RERUM BRITANNICARUM MEDII ÆVI SCRIPTORES,

OR

CHRONICLES AND MEMORIALS OF GREAT BRITAIN AND IRELAND

DURING

THE MIDDLE AGES.

THE CHRONICLES AND MEMORIALS

OF

GREAT BRITAIN AND IRELAND

DURING THE MIDDLE AGES.

PUBLISHED BY THE AUTHORITY OF HER MAJESTY'S TREASURY, UNDER THE DIRECTION OF THE MASTER OF THE ROLLS.

On the 26th of January 1857, the Master of the Rolls submitted to the Treasury a proposal for the publication of materials for the History of this Country from the Invasion of the Romans to the Reign of Henry VIII.

The Master of the Rolls suggested that these materials should be selected for publication under competent editors without reference to periodical or chronological arrangement, without mutilation or abridgment, preference being given, in the first instance, to such materials as were most scarce and valuable.

He proposed that each chronicle or historical document to be edited should be treated in the same way as if the editor were engaged on an Editio Princeps; and for this purpose the most correct text should be formed from an accurate collation of the best MSS.

To render the work more generally useful, the Master of the Rolls suggested that the editor should give an account of the MSS. employed by him, of their age and their peculiarities; that he should add to the work a brief account of the life and times of the author, and any remarks necessary to explain the chronology; but no other note or comment was to be allowed, except what might be necessary to establish the correctness of the text.

The works to be published in octavo, separately, as they were finished; the whole responsibility of the task resting upon the editors, who were to be chosen by the Master of the Rolls with the sanction of the Treasury.

The Lords of Her Majesty's Treasury, after a careful consideration of the subject, expressed their opinion in a Treasury Minute, dated February 9, 1857, that the plan recommended by the Master of the Rolls "was well calculated for the accomplishment of this important national object, in an effectual and satisfactory manner, within a reasonable time, and provided proper attention be paid to economy, in making the detailed arrangements, without unnecessary expense."


They expressed their approbation of the proposal that each chronicle and historical document should be edited in such a manner as to represent with all possible correctness the text of each writer, derived from a collation of the best MSS., and that no notes should be added, except such as were illustrative of the various readings. They suggested, however, that the preface to each work should contain, in addition to the particulars proposed by the Master of the Rolls, a biographical account of the author, so far as authentic materials existed for that purpose, and an estimate of his historical credibility and value.

Rolls House,
December 1857.

RICARDI DE CIRENCESTRIA

SPECULUM HISTORIALE

DE GESTIS REGUM ANGLIÆ.



MS. BIBL. PUBL. CANTAB. Ff. 1. 28. P. 5

Day & Son Lith. to the Queen

Ricardus Cicestrius, or Corinensis.

RICARDI DE CIRENCESTRIA

SPECULUM HISTORIALE

DE GESTIS REGUM ANGLIÆ.

FROM THE COPY IN THE PUBLIC LIBRARY, CAMBRIDGE.

EDITED

Eyton Bickersteth

JOHN E. B. MAYOR, M.A.,

FELLOW OF ST. JOHN'S COLLEGE, CAMBRIDGE.

PUBLISHED BY THE AUTHORITY OF THE LORDS COMMISSIONERS OF HER MAJESTY'S TREASURY, UNDER THE DIRECTION OF THE MASTER OF THE ROLLS.

VOL. I.

A.D. 447—871.

LONDON:

LONGMAN, GREEN, LONGMAN, ROBERTS, AND GREEN.

1863.

Printed by
Eyre and Spottiswoode, Her Majesty's Printers,
For Her Majesty's Stationery Office.

CONTENTS OF VOL. I.

RICARDI DE CIRENCESTRIA SPECULUM HISTORIALE DE GESTIS REGUM ANGLIÆ.

INCIPIT PROŒMIUM IN SPECULUM HISTORIALE DE GESTIS REGUM ANGLIÆ.

PRUDENTIÆ veterum mos inolevit laudabilis res memoriæ dignas suis in temporibus factas ad notitiam futurorum beneficio stili commendare, ne oblivione reminiscendorum æmula novercante a recordatione posteritatis penitus tollerentur, quæ successivis temporibus studio legentium forent indubio profutura. Mores namque et actus præcedentium subsequentibus redundant in exemplum. Hinc est quod inter tales scriptores illustrissimos extiterunt plures in Anglia viri doctissimi, qui Anglorum gesta regum variis in codicibus luculento sermone curarunt depingere: quatinus et facta regum digna recolerentur memoria, et succedenti non laterent ætati quæ merito fuerant imitanda. Nempe inter cetera regna sub mundi cardine constituta speciali gloria de suorum sanctitate regum Anglia refulget; quorum meritis decoratur, quorum suffragiis adiuvatur, et quorum exemplis ad summam virtutum penitus informatur. Quidam namque Anglorum regum gloria et divitiis gubernaculum regni in pace optinebant, considerabantque ex cuius munere venit, unde ad apicem regalem promoti fuerunt: icciroo de bonis sibi a Deo collatis eidem rependere sedule affectabant: qua de re in pauperum recreatione largas dederunt eleemosynas, circa ecclesiarum PREFACE.

et monasteriorum fundationes operam dabant, prædiis et possessionibus in honorem ipsius Dei multipliciter ea ditantes ac privilegiis diversis fulcientes, expensis innumeris non parcendo. Unde ab ipso summo retributore Deo iam vicem suorum beneficiorum optinent in cœlo. Alii autem regum Anglorum consilii gloria sceptrum regni tenentes, post eleemosynarum largitiones, post monasteriorum ecclesiarumque fundationes ab ipsis factas, pro Christi amore insignia deponentes regalia spontaneum sumpserunt monachatum, omnibus etiam quæ videbantur in mundo possidere propter Evangelium relictis, in Christi discipulatu usque ad finem vitæ permanentes, centuplum in cœlo recepturi in habitu et paupertate monachali de sæculo migraverunt. Alii vero ipsorum Anglorum regum præferentes patriæ peregrinationem, regno minoribus dimisso, sceptraque regalia pro Christo linquentes, peregrinam vitam a solo proprio remoti usque ad finem vitæ suæ indesinenter coluerunt. Alii etiam venerabilium Anglorum regum divitiis gloria et sanctitate præfulgentes, castimoniæque decorati puritate, virginitatis candore sicut lilia floruerunt, eligentes pro amore Christi heredibus carere in terris, ut hereditatem consequerentur in cœlis. Alii præterea memorandorum Anglorum regum, sicut et ceteri de quibus prælocuti sumus, virtutum exercitiis præpollentes, pro iure regni et republica contra hostiles invasiones dimicarunt, seque discrimini mortis obicientes magis elegerunt pro patria et reipublicæ defensione gloriose occumbere, quam vitam ignavam aut Deo odibilem dierum diuturnitate infeliciter possidere; sicque digno coronati martyrio inter cœlorum cives perenniter regnare meruerunt. Ad hæc alii dictorum Anglorum regum fortitudine et industria habenas regni moderantes, gloria floruerunt militari, finesque regni sui

contra exterorum incursiones fortiter tuentes vicinaque regna suo subdentes imperio, ac triumphalibus adornati victoriis, audaciæ animositatisque exemplum suis posteris reliquerunt. Ceterum vero inter primos Anglorum reges quidam fuerunt, de quibus etiam præsens historia tacere non debet, qui religionem Christianam prorsus ignorantes vanis gentilium serviebant erroribus. Hi tamen in re militari et bellicis congressionibus tam famosi extiterunt, quod et illorum gesta memoranda præfati historiographi ad legentium utilitatem suis in codicibus decreverunt annotare. Et, ut breviter præsentem concludamus materiam, in Anglorum regibus vix aut raro quempiam reperies, qui in vita sua aliquod non commiserit laudabile aut virtuosum, quod posteris suis non inmerito relinqueretur in exemplum. Talium igitur et tantorum gesta principum veneranda memorati scriptores, ut diximus, ad instructionem futurorum suis scriptis commendarunt, quatinus dictorum exemplis principum posteri ad incitamenta virtutum provocati, eos quos mirarentur imitari studerent. Horum ergo venerabilium gesta regum a prudentissimis viris variis in locis diversisque in codicibus luculenter descripta, ego frater Ricardus ecclesiæ beati Petri Westmonasterii prope Londoniam monachus, quamvis indignus, ad utilitatem legentium et fratrum consolationem præsens opus compilare curavi, et ea quæ in chronicis multiplicium studio relatorum exarata perpendere valui veracibusque descriptionibus vidi digesta, in codicem compegi præsentem, ut si in eventu aliqui de dictis libris, ex quibus ista compilavi, ad manus lectoris non affuerint, aut sibi defecerit librorum copia, ex quorum contextu præsentia transtuli, tunc præsens pagina studio legentis satisfaciat in hac parte, et avide sitienti gesta degustare regalia ex præsenti

The author, Richard, a monk of St. Peter's, Westminster, compiled his work from many old chronicles.

rivulo a fonte veridicorum recto cursu prosiliente tribuatur potus sitim anhelantis sufficienter sedaturus. A primo autem adventu Saxonum in Britanniam, modo Angliam dictam, qui temporibus Vortigerni tunc regis Britanum contingebat, præsens opus, sicut subsequentia plenius declarabunt, dignum duximus inchoandum. Et sic deinceps gesta regum linealiter succedentium pertractare curavimus, quatinus facta regalia dignissima laude memoranda diligenter ea intuenti luce clarius elucescant.

EXPLICIT PROŒMIUM.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI SPECULI HISTORIALIS
DE GESTIS REGUM ANGLIÆ.

LIBER PRIMUS.

Incipit liber qui vocatur Speculum Historiale De Gestis Regum Angliæ.

Cap. I.

De causa vocationis Anglorum et de adventu ipsorum in Britanniam.

Post primum insulæ Britanniæ regem nomine Brutum (a quo dicta insula, quæ prius Albion vocabatur, Britannia a Bruto extitit denominata, incolæ quoque insulæ præfatæ dicti fuerunt Britanni) cum plurimi reges per annorum curricula multorum in eadem insula sorte varia sibi successissent, tandem quidam nomine Vortigernus, vir lubricus et incestuosus, in exitium regni, sicut sequentia luculentius declarabunt, Britanniæ monarchiam indebite adeptus est, anno videlicet gratiæ quadringentesimo quadragesimo septimo. Nam rege Britanniæ, Constante nomine, filio regis Constantini, quem idem Vortigernus tunc consul Gewisseorum de monacho in regem sublimaverat, proditione dicti Vortigerni a Pictis interfecto, fratribusque ipsius Constantis, videlicet Aurelio Ambrosio et Utherpendragon, propter timorem præfati Vortigerni, ne ab ipso perimerentur, in minorem Britanniam transvectis, cum Vortigernus neminem sibi parem in regno Britanniæ conspexisset, capiti suo inposuit regni Britanniæ diadema, et conprincipes suos supergressus est. Nam ceteri Britanniæ principes illo in tempore omnes pæne iuvenes fuerunt ac pueri. Unde facilius a dicto Vortigerno circumventi fuerunt, ut super eos regnare debuisset. Quum igitur ipsius Vortigerni

Britain from Brutus.

Vortigern makes himself king of Britain.

A.D. 447.

Matth. Westm. p. 153. Cf. Rog. Wend. vol. i. pp. 5, 6.

in regem Britanniæ promoti iniquitas et animi levitas omnibus per circuitum nationibus esset divulgata, insurrexerunt in eum Skoti a Circio et Picti ab Aquilone, quorum Vortigernus centum concives interemerat, et regnum Britanniæ acerrima infestatione et labore continuo inpugnabant. Nam ferro et flamma, prædis et rapinis omnia consumentes, gentem peccatricem, quæ regio fastui favebat, contriverunt, et sic plebs simul cum rege contaminata communi percellitur ultione. Et quod de populo miserando hostilis irruptio non attigit, fames prævalida penitus consumpsit, ut sic quasi inter duas molas plebs contrita volveretur. Ingruente peste gladius grassabatur, adeo quidem ut nec vivi sufficerent mortuos sepelire.[1] Rex itaque cum populo desolato et bellicis incursionibus fatigato, contra hostium irruptionem ignarus quid ageret, in desolationem inclinavit. Tandem omnibus placuit ut gentem Saxonum de partibus transmarinis in auxilium convocarent. Quod Divino nutu dispositum constat esse, ut veniret contra improbos malum, sicut evidentius rerum exitus comprobabit. Mittuntur interea nuntii, ut quod prælocutum est compleatur.

Invasion of the Picts and Scots.

A famine.

Matth. Westm. p. 154. Cf. Bed. i. 15; Rog. Wend. pp. 7, 8.

Anno igitur gratiæ quadringentesimo quadragesimo nono gens Anglorum sive Saxonum a rege Britanum Vortigerno invitata in regnum Britanum tribus longis navibus advehitur, et in orientali parte insulæ locum manendi a rege quasi pro patria pugnatura suscepit, et ut Britanni ipsis militantibus debita stipendia providerent. Advenerunt igitur de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est Saxonibus, Anglis, et Jutis. De Jutarum autem origine sunt Cantuarii et Wictuarii, hoc est ea gens quæ Vectam tenet insulam, et ea quæ usque hodie in provincia Occidentalium Saxonum Jutarum natio nominatur, posita[2] contra ipsam insulam Vectam. De Saxonibus vero (id est ea regione

Vortigern invites the Saxons to his aid. A.D. 449.

Saxons, Angles, and Jutes.

Seat of the Jutes; of the Saxons;

---

[1] *sepelire*] sepellire, MS.

[2] *posita*] poitam, MS.

quæ nunc antiquorum Saxonum natio cognominatur) venerunt Orientales Saxones, Meridiani Saxones, et Occidui Saxones. Porro de Anglis (hoc est de illa patria quæ Angulus dicitur et ab eo tempore usque hodie manere desertus perhibetur) Orientales Angli, Merci, cum Northumbrorum gente, quæ ad Boream Humbri fluminis habitat, ceterique Anglorum populi sunt exorti. Duces vero eorum perhibentur fuisse duo fratres Hengistus et Horsa qui fuerant filii Withgisii, cuius pater Witha, cuius pater Wetha, cuius pater Woden, de cuius stirpe multarum provinciarum regium genus originem duxit. Cumque tandem in præsentia regis essent constituti, quæsivit ab eis quam fidem quamque religionem patres eorum coluissent. Cui Hengistus, "Deos patrios, scilicet Saturnum, Jovem, atque ceteros qui mundum gubernant colimus, maxime autem Mercurium, quem lingua nostra Woden appellamus. Huic patres nostri veteres dedicaverunt quartam feriam septimanæ, quæ usque in hodiernum diem Wodenesday appellatur. Post illum colimus deam inter ceteras potentissimam vocabulo Fream, ex cuius vocabulo Freday appellamus. Frea, ut volunt quidam, idem est quod Venus, et dicitur Frea, quasi Froa, a frodos quod est spuma maris, de qua nata est Venus secundum fabulas, unde idem dies appellatur dies Veneris." Ad hæc Vortigernus: "De credulitate vestra, quæ potius incredulitas dici potest, vehementer doleo: de adventu autem vestro gaudeo, quia in tempore congruo vos necessitati meæ sive Deus sive alius optulit. Opprimunt me etenim inimici mei undique, et si laborem præliorum meorum mecum communicaveritis, retinebo vos honorifice infra regnum meum, et diversis muneribus et agris ditabo." Paruerunt illico barbari, et fœdere confirmato in curia eius remanserunt.

Of the Angles.

Hengist and Horsa.

Cf. Galfrid. Monum. vi. 10.

Saxon religion.

Woden, Wodenesday.

Frea, Freday.

Matth. Westm. p. 155. Cf. Rog. Wend. pp. 10, 11.

CAP. II.

Ut Vortigernus Rex ad bellum provocatus auxilio Saxonum hostes vicerit.

Incursion of the Picts and Scots. A.D. 450.

ANNO gratiæ quadringentesimo quinquagesimo emergentes ex more Scoti cum Pictis ex partibus Aquilonis exercitum nimis grandem confecerunt, atque Aquilonales insulæ partes cœperunt depopulare. Quod ubi Vortigerno nuntiatum fuisset, collegit milites atque trans Humbram in obviam perrexit. Nec multum oportuit cives pugnare: nam Saxones qui aderant tam viriliter præliabantur, ut hostes qui prius vincere solebant sine mora in fugam propellerent. Cumque Picti pilis et lanceis in prælio uterentur, Saxones longis gladiis et securibus decertabant. Vortigernus ergo per eos victoria potitus, donaria sua ipsis ampliavit, atque duci eorum Hengisto dedit agros plurimos in Lindeseya, quibus sese suosque sustentaret commilitones. At Hengistus, cum esset vir astutus, comperta regis amicitia, ipsum in hunc sermonem adivit: "Domine mi, undique inquietant te inimici tui atque minantur tibi, dicuntque sese conducturos ex Armoricano tractu Aurelium Ambrosianum, ut te deposito ipsum in regem promoveant. Si placet ergo, mittamus in patriam nostram, ut invitemus ex ea milites, ut numerus noster augeatur." Rex igitur eius consilio atque petitioni adquiescens, præcepit Hengisto in Germaniam mittere, ut milites ex ea invitati festinum timiditati suæ conferrent auxilium. Nec mora: missa in Germaniam legatione, nuntii revertentes decem et octo naves electis militibus oneratas adduxerunt. Adduxerunt etiam filiam Hengisti, nomine Ronwen, cuius pulcritudine Vortigernus illectus, postulavit eam a patre suo. Hengistus vero, comperta animi regis levitate, concessit ei filiam suam. Intravit itaque Sathanas in cor regis, qui cum esset

They are driven back by Vortigern and the Saxons.

Cf. Galfr. Monum. vi. 11.

Hengist summons more Saxons from Germany.

Christianus, cum pagana coire desiderabat. Nupsit igitur eadem nocte rex paganæ, quæ ultra modum placuit ei. Post hæc abiecta uxore sua legitima, ex qua tres inclitos filios generaverat, scilicet Vortimerum, Katigernum, et Pascentium, atque ex eadem coniuge filiam, quam in societatem tori suscipiens, filium ex ea procreaverat, unde a sancto Germano et ab omni episcoporum conventu excommunicatus extiterat, dictam Ronwen ex consensu patris sui Hengisti duxit in uxorem.

Vortigern marries Ronwen, daughter of Hengist.

Vortigern is excommunicated.

Cap. III.

Ut Vortigernus propter Saxones miserit.

Matth. Westm. p. 157. Cf. Rog. Wend. p. 13.

Anno gratiæ quadringentesimo quinquagesimo tertio Hengistus, cum Vortigerno filiam suam copulasset, ipsum in hunc modum allocutus est, dicens: "Audi consilium meum, et invitemus adhuc et filium meum Octam cum fratruele suo Abissa; viri enim bellatores sunt, et tibi subdent regiones quas des eis ad tenendum de vobis, quæ sunt in Aquilonalibus Britanniæ partibus iuxta murum inter Deiram et Scotiam; qui detinebunt ibidem impetum barbarorum, et sic citra Humbrum in pace remanebit." Paruit Vortigernus, atque illico missis legatis, venerunt Octa et Abissa et Cerdicius cum trecentis navibus armata manu repletis. Quos omnes Vortigernus benigne suscepit, desiderabilibusque ditavit donativis. Quod cum vidissent Britones, timentes proditionem eorum, dixerunt regi, ut ipsos ex finibus expelleret. Non enim debebant pagani Christianis communicare, quia hoc lex Christiana prohibebat. Immo etiam de coniugio regis detestando murmur resonat, et procerum querimonia: de quo quidam ait metrice et eleganter:

A.D. 453.

Vortigern invites Octa, son of Hengist, into Britain.

Octa, Abissa, and Cerdic arrive with 300 ships.

Fears of the Britons.

> Lex connectit eos, amor et concordia lecti.
> Sed lex qualis, amor qualis, concordia qualis?
> Lex exlex, amor odibilis, concordia discors.

Insuper tanta adventantium multitudo supervenerat, ut indigenis terrori essent, quibus debuerant esse præsidio. At Vortigernus contempsit consiliis suorum adquiescere, quia super omnes gentes propter coniugem suam Saxones diligebat. Hengistus vero in territorio Lindeseye, quod prius ex dono regis Vortigerni acceperat, castellum construxit ad receptionem sui et suorum; quod castellum lingua Anglorum Twangcastre nominatur, quod sonat castrum corrigiæ, eo quod tantum terræ spatium ad ædificandum castrum illud sibi concedebatur, quantum cum una corrigia circuire posset. Unde et Hengistus corium tauri in subtilem corrigiam redegit, et locum prædictum circuivit.

Cf. Galfr. Monum. vi. 11.

Twangcastre built by Hengist.

CAP. IV.

Matth. Westm. p. 157; Rog. Wend. p. 13.

Rege Vortigerno deposito, filius eius Vortimerius ei succedens Saxones devicit.

A.D. 454.

The Britons depose Vortigern, and raise Vortimer to the throne.

ANNO gratiæ quadringentesimo quinquagesimo quarto magnates Britanniæ regem Vortigernum penitus deserentes, unanimiter Vortimerium filium eius in regem sublimaverunt. Qui consiliis eorum in omnibus adquiescens, cœpit expellere Saxones; et insequens eos usque ad flumen Dorowente, ubi victoria potitus est, multos trucidavit. Fugit autem cum illis Vortigernus, qui propter uxorem suam Ronwen quod potuit (quia uxorius erat) auxilium impendebat.

Vortimer defeats the Saxons.

CAP. V.

Matth. Westm. p. 158; Rog. Wend. p. 14.

De maxima probitate regis Vortimerii, et quod Horsus fuit primus rex Kantiæ.

A.D. 455.

ANNO gratiæ quadringentesimo quinquagesimo quinto, qui est annus adventus Anglorum in Angliam, id est

Britanniam, septimus, gens Anglorum cum Vortigerno viribus resumptis cœperunt iterum Vortimerium regem Britonum ad bellum provocare. Convenientes autem hinc et inde apud Ailleporđ cunei acriter et diu pugnaverunt. Tandem pondus prælii in Saxones est conversum, qui et pugnam deseruerunt et campum. Britones vero viriliter insequentes illorum innumeram multitudinem peremerunt. Ceteris autem dispersis, Vortimerius cum victoria ad propria remeavit. Nec multo post Vortimerius, cum fratribus suis Katigerno et Pascentio, et universo insulæ populo, Saxonibus bellum indixit. Quibus congregatis, acies disposuerunt ad bellum. Horsus vero frater Hengisti, cui Vortigernus Kantiæ provinciam contulerat, et rex a suis concivibus dicebatur, percussit aciem Katigerni fratris Vortimerii regis tanto impetu, ut ad modum pulveris dissiparetur. Deinde Katigernum ab equo prostratum interfecit. Quod videns Vortimerius frater eius, irruit in eum, et illo interfecto reliquias cohortis suæ ad Hengistum fugavit. Sepulcrum quoque Horsi in Orientalibus Kantiæ partibus adhuc famosum ostenditur.

Battle of Ailleporđ.

Successes of the Britons.

Horsus, king of Kent, kills Katigern, and is killed by Vortimer.

Bed. H. E. i. 15.

CAP. VI.

Ut defuncto Horso Saxones Hengistum regem in Kantia fecerunt.

Matth. Westm. p. 58; Rog. Wend. p. 15.

ANNO gratiæ quadringentesimo quinquagesimo sexto Horso primo rege Kantiæ defuncto, Saxones Hengistum fratrem eius in regnum Kantiæ sublimaverunt. Quo etiam anno ter contra Britones pugnasse legitur. Sed probitati Vortimerii resistere non valens, ad insulam Thanet confugit, ubi cotidio prælio navali vexabatur. Tandem Saxones cymbas suas vix ingressi, relictis mulieribus et filiis, in Germaniam redierunt.

A.D. 456. Hengist king of Kent.

The Saxons are driven back to Germany.

Matth. Westm. p. 159. Cf. Rog. Wend. p. 16.

CAP. VII.

De morte Vortimerii regis Britanum, et quomodo Vortigernus revocaret Hengistum, ut veniret in Britanniam.

A.D. 460. Death of Vortimer.

ANNO gratiæ quadringentesimo sexagesimo Vortimerius rex Britonum defunctus est, cum quo simul spes et victoria Britannorum est extincta. Quo defuncto misit Vortigernus instinctu uxoris suæ Ronwen in Germaniam propter Hengistum, ut veniret in Britanniam privatim et cum paucis, ne, si aliter veniret, Britones communi inpetu ei obviarent.

Vortigern recals Hengist.

Matth. Westm. p. 159. Cf. Rog. Wend. p. 17; Galfr. Monum. vi. 15, 16.

CAP. VIII.

Hengistus rediit in Britanniam.

Return of Hengist. A.D. 461.

ANNO gratiæ quadringentesimo sexagesimo primo Hengistus, audito obitu Vortimerii, cum tribus milibus armatorum sibi sociatis in Britanniam est reversus. Sed cum tantæ multitudinis adventus Vortigerno principibusque regni nuntiatus fuisset, indignati sunt valde et constituerunt cum illis præliari. Quod cum Hengisto filia sua per internuntios clam indicasset, gentem patriæ sub specie pacis perdere cogitavit, misitque legatos ad regem; dicens se non tantam multitudinem conduxisse, ut vel sibi vel regno aliquam ingereret violentiam: sed æstimabat Vortimerium adhuc vivere, quem super omnia cupiebat expugnare. Sed quoniam nunc ipsum esse defunctum non hæsitabat, sese et populum suum dispositioni suæ committebat, ut quos optaret in regno retinuisset, et residui in Germaniam vela retorquerent. Cumque talia regi nuntiarentur, necnon et dies et locus ut hæc firmarentur de communi consensu præfigeretur, iussit rex omnes Saxones Kalendis Maii in pago Ambrosii convenire, ut ibidem prædicta firmarentur. Præcepit autem Hengistus commilitonibus suis, ut unusquisque longum cultrum infra

caligas haberet, et cum Britones securius colloquium contrectarent, unusquisque paratus facto signo, videlicet ut quum ipse Hengistus Anglice proclamaret, "Nymeth ȝowre Sexeȝ," statim extractis cultris quos in caligis suis absconditos habebant, socium Britonem sibi astantem cito iugularet. Quod et ita factum est. Hengistus vero illico Vortigernum per pallium detinuit; ceteri autem astantes principes nihil talia præmeditatos circiter quadringentos sexaginta viros, barones, inclitos, et consules, iugularunt. Aderat tunc consul Claudiocestriæ, vocabulo Eldol, qui visa proditione arripuit palum quem forte invenerat, et quemcunque illo attingebat,[1] confestim occidit; nec prius de eo loco recessit, donec septuaginta viros consumpto palo interfecisset. Sed tandem cum tantæ multitudini resistere nequivisset, divertit se ab illis atque civitatem suam petivit. Multi hinc et inde ceciderunt; sed victoriam Saxones habuerunt, quod Britones inermes resistere non potuerunt.

Massacre of the Britons.

Eldol kills 70 Saxons.

Victory of the Saxons.

Cap. IX.

Matth. Westm. p. 160; Rog. Wend. p. 18.

Quomodo Saxones Vortigerno regi comminantes petierunt civitates suas atque munitiones pro vita.

Anno gratiæ quadringentesimo sexagesimo secundo Saxones Vortigerno regi mortem comminantes, ligaverunt eum, petieruntque civitates suas atque munitiones pro vita. Quibus ilico quicquid affectaverant concessit, ut vivus abcedere sineretur. Quod cum iuramento confirmatum fuisset, solverunt eum; atque urbem Londoniam primo adeuntes ceperunt, deinde Eboracum, necnon et Wyntoniam, quasque provincias devastantes, nobiliores urbes Britanniæ receperunt. Vortigernus

A.D. 462.

Vortigern seized by the Saxons, and forced to grant them cities and strongholds.

London, York, and Winchester taken.

[1] *attingebat*] attigebat, MS.

Vortigern retires into Wales. Cf. Galfrid. Monum. viii. 2.

autem sic desolatus, et inscius quid contra gentem Saxonum ageret, secessit ad occiduas partes Cambriæ apud oppidum Genorium super flumen Gwaniæ in monte Gloarcio, et sese pro tutamine infra oppidum inclusit.

CAP. X.

Matth. Westm. p. 160. Cf. Rog. Wend. p. 19.

Ut gens Britonum misit in minorem Britanniam pro Aurelio Ambrosiano et Uterpendragon fratre eius.

A.D. 464. The brothers Aurelius Ambrosianus and Utherpendragon summoned from Brittany by the Britons.

ANNO gratiæ quadringentesimo sexagesimo quarto gens Britonum in minorem Britanniam nuntios ad Aurelium Ambrosianum et Uterpendragonem fratrem eius, qui præ timore Vortigerni illuc missi fuerant, destinantes, postulaverunt obnixius et instanter, ut velociter ex tractu Armaricano ad illos venientes, Saxonibus et rege Vortigerno expulsis, Britanniæ susciperent diadema. At illi iam adultæ[1] ætatis existentes, iter suum proinde cum navibus et armatis militibus paraverunt. Nec mora: applicuit Aurelius Ambrosius cum fratre suo Uterpendragone et innumera manu armatorum. Convenerunt itaque Britones undique dispersi, et convocato regni clero, Aurelium in regem erexerunt.

Matth. p. 170; Rog. p. 34. Aurelius is chosen king.

CAP. XI.

Matth. Westm. p. 170; Rog. Wend. p. 34.

Ut Vortigernus incendio periit.

A.D. 466.

ANNO gratiæ quadringentesimo sexagesimo sexto, cum Britanni regem Aurelium cohortarentur, ut in Saxones impetum faceret, dissuasit rex. Nam prius voluit persequi Vortigernum. Deinde exercitum suum in Cambriam dirigens, oppidum Genorium petivit. Ut igitur ad illud pervenit, proditionis patri et fratri illatæ reminiscens,

Aurelius marches against Vortigern.

---

[1] *adultæ*] adhulte, MS.

astantibus ait: "Respicite, duces nobilissimi, huius turris mœnia Vortigernum protegere si possint, qui fertilem patriam devastavit, nobiles regni exterminavit, sanctas ecclesias destruxit, et Christianitatem fere a mari usque ad mare delevit; et, quod magis dolendum censeo, patrem meum et fratrem prodidit. Nunc, cives nobilissimi, viriliter agite, et vindicate nos prius in illum, per quem hæc omnia accesserunt; et deinde arma vertamus in hostes." Nec mora: diversis machinationibus adhibitis, mœnia diruere nituntur. Postremo cum cetera defecissent, adhibuerunt ignem, qui cum alimentum suscepisset, non cessavit donec turrim et Vortigernum conbussit. Galfrid. Monum. viii. 2. Death of Vortigern.

De isto Vortigerno diversæ sunt opiniones. Nam dicitur a quibusdam quod rex Vortigernus, formidans robur Saxonum, duxit Ronwen filiam Hengisti in uxorem. Dicitur etiam quod ad cumulum damnationis propriæ propriam duxit filiam, ex qua filium genuerat. Unde et a sancto Germano et ab omni cœtu episcoporum excommunicatus, fugit ad Occidentem Cambriæ. Dicitur et quod Vortigernus quia sanctum Germanum audire nollet, immo fugeret sanctum insequentem, ignis de cœlo descendens combussit eum in turri sua. Quod videntes Saxones, plurimam partem de suis domum miserunt. Unde Britanni collecto exercitu duce Ambrosio Aurelio cum duobus filiis Vortigerni, Vortimerio scilicet et Vortierio, aciem contra Horsum et Hengistum in Kantiam duxerunt. Various accounts respecting him. Nenn. c. 50; Henr. Hunt. p. 708, B. Aurelius, with Vortigern's sons, marches into Kent against Hengist.

In legenda sancti Germani habetur, quod cum Vortigernus Germano hospitium denegaret, subulcus regis, videns sanctos Dei afflictos, hospitium exhibuit, vitulum occisum ad cibum tradidit; sed post cœnam sanctus Dei Germanus vitulum resuscitavit. In crastino vero ex Dei mandato sanctus Germanus regem Vortigernum deposuit, et eius subulcum cunctis stupentibus regem constituit. Ac ex tunc reges Britannorum ex genere subulci prodierunt. Legend of St. German.

Matth. Westm. p. 171; Rog. Wend. p. 36.

CAP. XII.

Quomodo Aurelius Ambrosius cum Hengisto pugnavit.

A.D. 473.

AURELIUS AMBROSIANUS anno gratiæ quadringentesimo septuagesimo tertio Hengistum et Osricum filium suum, cognomento Cossæ,[1] ad bellum provocans, duodecim cuneos Britonum ordinavit, in loco qui postea Wipedeflete dicebatur, quod a denominatione cuiusdam militis nomine Wiped, ex parte Anglorum ibidem tunc interfecti; ubi diu et acriter ex utraque parte pugnantes sanguinem non minimum profuderunt. Sed victoria dubia et adeo lacrimabilis fuit, quod multo postea tempore nec Saxones fines Britonum, nec Britones Kantiam intrare præsumerent. Unde Saxones, ut prædiximus, quemdam principem magnum Wipped appellatum ibidem inter ceteros amittentes, locum belli ad memoriam ipsius Wippedflete denominaverunt.

Battle of Wipedeflete.

Matth. Westm. p. 172; Rog. Wend. p. 38. (A.D. 477.)

CAP. XIII.

Elle primus rex Australium Saxonum ex Anglis venit in Angliam sive Britanniam.

A.D. 473.

EODEM anno Elle dux et tres filii eius, Cymen, Plencyng, et Cessa, in Britanniam venientes, in loco qui postea a Cymene Cymeneseora, id est Portus Cymeni, dicebatur, applicuerunt. Egredientibus autem illis, innumera Britonum turba convolarunt, et bellum ilico inierunt. Sed Britones campum deserentes, ad proximum nemus, quod Andredeswold dicebatur, fugati sunt. Saxones vero littora maris in Southsexia occupantes, magis magisque sibi regionis illius spatia subiugarunt, et tunc incepit regnum Australium Saxonum, cuius rex primus ex Anglis Elle extiterat.

Elle with his three sons, Cymen, Plencyng, and Cessa, lands at Cymeneseora.

Elle first king of Sussex.

[1] *Æsc*, chap. 16 below.

Cap. XIV.

Quomodo Britones convenerunt ad pugnam contra Elle et filios suos apud Mereredesbourn. Matth. Westm. p. 173; Rog. Wend. p. 39.

Britones duce Ambrosio Aureliano convenerunt ad pugnam apud Mereredesbourn contra Elle et filios suos, anno gratiæ quadringentesimo octogesimo quinto, et cum diu et acriter pugnam commisissent, Elle cum filiis suis non sine dispendio Britonum campum deseruit. Misit ergo Elle in patriam suam, maiorem quærens copiam armatorum. A.D. 485. Elle defeated by the Britons at Mereredesbourn.

Cap. XV.

Quomodo Aurelius Ambrosianus Saxones ad pugnam provocans, gloriosam victoriam est adeptus. Matth. Westm. p. 173; Rog. Wend. 40; Galfrid. Monum. viii. 4.

Ambrosius Aurelianus, maxima Britonum multitudine collecta, Saxones ad pugnam provocare disposuit, anno videlicet gratiæ quadringentesimo octogesimo septimo. Exercitum itaque suum versus Aquilonem dirigens, Hengistum cum suis Saxonibus trans Humbrum invenit. Hengistus vero cum adventum ipsius comperisset, audacter in obviam[1] et in campo, qui Maisebely vocabatur, quo Aurelius erat transiturus, subitum atque furtivum impetum facere affectans, Britones non præmeditatos disposuit occupare. Quod tamen Aurelium non latuit, nec iccirco campum distulit adire; ubi dispositis militaribus utrobique legionibus congrediuntur acies, cruoremque non minimum hinc indeque diffundentes, stragem magnam peregerunt. Hinc Britones, hinc Saxones variis casibus vulnerati gladio consumuntur. Demum cum Hengistus socios suos succumbere vidit, Britonesque prævalere, confestim diffugit, atque oppidum A.D. 487. Battle of Maisebely between Aurelius and Hengist. Hengist flies to Kaerconan.

[1] Read with Rog. Wend. *perrexit audacter in obviam*, &c.

Kaerconan, quod nunc Cunicgeburh appellatur, petivit. Sciens vero quod omne tutamen suum in gladio et hasta consisteret, oppidum intrare noluit, quia illud Aurelio resistere nequaquam æstimavit. Insequitur eum Aurelius, et quoscunque in itinere reperiebat, amputatis capitibus ad mortem destinavit. Potitus itaque victoria Aurelius, Deum cœli ex intimo cordis affectu glorificavit, qui sibi de hostibus concessit triumphare.

Cap. XVI.

Matth. Westm. p. 174; Rog. Wend. p. 41.

Quomodo Aurelius Hengistum bello victum cepit, ac decapitare præcepit, et quomodo Osric successit in Cantiam.

A.D. 489.

Aurelius Ambrosius epistolas anno gratiæ quadringentesimo octogesimo nono ad universos Britanniæ fines dirigens, præcepit ut omnes, qui potuerunt arma movere, ad eum quantocius convenirent, et paganos exterminare a Britanniæ finibus non cessarent. Congregatis igitur omnibus, promovit exercitum Ambrosius versus Aquilonem, et Hengistum cum Saxonibus super flumen quod Don appellatur aciebus ad bellum instructis invenit. Quid multa? concurrentibus hinc inde catervis acerrimam pugnam commisere, cruorem non minimum diffundentes. Dumque in hunc modum diutissime decertassent, dux Claudiocestriæ Eldol, cui ardens inerat desiderium cum Hengisto congrediendi, cum phalange cui præerat cuneos penetrans, cepit Hengistum per nasale cassidis, summisque utens viribus ipsum infra concives suos pertraxit. "Desiderium meum," inquit, "hodie adimplevit Deus. Victoria enim nobis in manu est." Diffugerunt itaque Saxones, quo impetus quemque ducebat: quos Aurelius insequens viriliter trucidavit. Octa vero filius Hengisti cum maiori multitudine Eboracum, Cosa autem urbem Aldclud petierunt. Ut igitur triumphavit Aurelius, cepit urbem Conani, et ibidem tribus diebus moratus est.

Aurelius attacks Hengist beyond the Don.

Eldol seizes Hengist.

Flight of the Saxons.

Post hæc convocatis ducibus, præcepit decernere quid de Hengisto fieri debuisset. Surgens itaque Eldadus, episcopus Claudiocestrensis et frater Eldol ducis, iussit omnes tacere, et ait frendens præ ira. "Etsi omnes istum liberare vellent, ego eum in frusta concidam. Quid hæsitatis effeminati? Nonne Samuel propheta, cum regem Amelech in bello captum membratim concidisset, ait: 'Sicut fecisti matres sine liberis, sic faciam matrem tuam esse sine liberis hodie inter mulieres?' Similiter facite de isto altero Agag, qui multas matres suis orbavit filiis." His dictis, Eldol educto gladio duxit eum extra urbem, et amputato capite ad Tartara destinavit.

Discussion about the doom of Hengist.

He is beheaded by Eldol.

Successit ei Osric filius eius, cognomento Æsc, super gentem Saxonum in Kantia, a quo reges Kantiæ usque hodie Æsckinges vocantur. Dederat namque Vortigernus provinciam illam Hengisto pro filia sua Ronwen, ut superius est relatum, et sic eam annis viginti quatuor quasi iure hereditario possidebat.

Osric succeeds to the throne of Kent; from whose surname, Æsc, the kings of Kent were called Æsckinges.

CAP. XVII.

Ut Octa misericordiam impetravit.

Matth. Westm. p. 175; Rog. Wend. p. 43.

A.D. 490.

AURELIUS AMBROSIUS exercitum suum duxit ad Eboracum, ut Octam filium Hengisti expugnaret, anno gratiæ quadringentesimo nonagesimo. Cumque civitatem obsedisset, timuit Octa urbem contra tantam multitudinem retinere. Communicato itaque salubri consilio, egressus est cum nobilibus qui secum erant, seque suosque in hæc verba præsentavit: "Victi sunt dii mei; Deumque tuum regnare non hæsito, qui tot nobiles ad te venire compellit. Accipe ergo nos, et nisi[1]

Octa, son of Hengist, is besieged in York by Aurelius, and capitulates.

[1] *nisi* Sec. hand. "Et nisi misericordiam habueris, habe nos legatos et "ad quodlibet supplicium, &c." Galfrid. Monumet. viii. 8. Cf. Matth. Westm. p. 175.

misericordiam adhibueritis, ad quodcunque supplicium voluntarie paratos." Motus igitur pietate Aurelius misericordiam habuit[1] de eis. Exemplo etiam Octæ venit et Cosa, ceterique qui diffugerant, misericordiam impetrantes. Dedit ergo eis regionem prope Scotiam, et fœdus cum eis confirmavit.

Matth. Westm. p. 178; Rog. Wend. p. 48.

Cap. XVIII.

Ut Elle rex Australium Saxonum Andredecestre urbem munitissimam obsedit.

A.D. 492. Elle brings reinforcements from Germany, and lays siege to Andredecestre.

ELLE, qui regionem Australium Saxonum, ut supradictum est, occupaverat, anno gratiæ quadringentesimo nonagesimo secundo venit ex partibus Germaniæ militare adducens subsidium, cuius fretus auxilio Andredecestre urbem munitissiman obsedit. Quo audito, convenerunt undique Britones ad modum examinis apum, et assilientibus Saxonibus a tergo semper assistentes cum viris sagittariis, hostes acriter infestabant. Dimissis ergo mœnibus, Saxones gressus et arma in Britones dirigebant. At Britones pedum velocitate et corporum agilitate illis præstantiores, silvas petebant, atque iterum Saxonibus ad mœnia tendentibus, rursum a tergo infestabant. Hac arte Saxones diutius fatigati, stragem non minimam sunt perpessi. Tunc Saxones exercitum in duas partes dividentes, partem unam mœnibus civitatis, alteram ad debellandos Britones assignarunt. Cives vero diuturna fame fatigati et macerati, cum iam pondus infestantium Saxonum diutius ferre nequivissent, omnes in ore gladii

He destroys the town.

perierunt; civitatemque hostes funditus deleverunt. Locus autem civitatis usque hodie transeuntibus ostenditur desolatus. Mansit ergo ibidem Elle cum tribus filiis suis, et regionem illam quæ usque hodie Anglice Suthsexe, Latine autem Regio Australium Saxonum dicitur, colere cœpit.

[1] *habuit*] hinc, MS.

CAP. XIX.

Ut Certik primus rex Occidentalium Saxonum venit in Britanniam. Matth. Westm. p. 178; Rog. Wend. p. 50.

CERTIK et filius eius Kinerik cum quinque navibus in Britanniam applicuerunt, in loco qui postea de nomine eius Certichesora, id est portus Certik, dicebatur, anno gratiæ quadringentesimo nonagesimo quarto. Quo die convenit universa multitudo regionis contra eos, et pugnam viriliter commiserunt. Inventis autem Saxonibus asperis, Britanni sese subtraxerunt, et Saxones in terra hostili, non sine frequentibus bellis incolarum, littora maris ibidem magis ac magis occupare cœperunt. Ab isto Certik[1] reges Occidentalium Saxonum originem habuerunt.

Certik, first king of Wessex, lands at Certichesora. A.D. 494.

CAP. XX.

De coronatione Utherpendragonis, et quomodo Octa filius Hengisti atque Cosa cognatus suus moliti sunt bellum movere et suos fines dilatare.[2] Matth. Westm. p. 188; Rog. Wend. p. 52; Galfrid. Monum. viii. 18.

UTHERPENDRAGON, frater Aurelii regis Britonum defuncti, audita morte fratris, cum festinatione Wintoniam venit, et convocato populo regni et clero, Britanniæ diadema suscepit anno gratiæ quadringentesimo nonagesimo octavo.

Utherpendragon succeeds his brother Aurelius. A.D. 498.

Sub his diebus Octa filius Hengisti atque Cosa cognatus suus, cum soluti essent a fœdere quod Aurelio pepigerant, moliti sunt regi Uther bellum movere et suos fines dilatare. Maxima igitur Saxonum multitudine stipati Aquilonales Britanniæ provincias invaserunt, et munitiones ab Albania usque ad Eboracum penitus destruxerunt. Postremo cum

Octa and Cosa take up arms.

---

[1] *Certik*] Certi, MS. | [2] *dilatare*] dilitare, MS.

They lay siege to Aclud.

urbem Aclud obsidere incepissent, supervenit Uterpendragon cum tota fortitudine regionis, et cum illis pugnam commisit. Restiterunt viriliter Saxones, et Britones in fugam propulerunt, insecutique sunt eos Saxones usque ad montem Daneo. Cum sole dies emicuit, occupaverunt montem Britones, illumque pro refugio habuerunt, quid agerent ignorantes. Tandem salubri consilio decreverunt nocturnum in hostes impetum facere, atque ipsos soporatos et inermes occupare. Statuti itaque per turmas et armati castra hostium petunt, eosque acriter invadunt. Qui ita ex inproviso occupati inutiliter prælium reddiderunt, cum ceteri ex præmeditatione audaciam recepissent. Tandem capti Octa[1] atque Cosa, et Saxones penitus dissipati. Denique omnibus pacificatis, rex Lundoniam perrexit, Octam quoque et Cosam ibidem in carcere servare fecit.

They are defeated and taken prisoners.

Matth. Westm. p. 182; Rog. Wend. p. 55. (A.D. 501.)

CAP. XXI.

Unde Portesmouth nomen sortitur.

Port with his two sons lands at the place called from him Portsmouth.

PORT et duo filii eius Bleda et Magla cum duabus navibus applicuerunt in Britanniam in loco, qui de nomine Port Portismouth nomen accepit. Porro regionis illius habitatores expellentes maris litora occuparunt, et locum tunc desertum inhabitare cœperunt.

Matth. Westm. p. 182; Rog. Wend. p. 58. (A.D. 508).

CAP. XXII.

Certik et filius eius Kinerik Britones ad bellum provocaverunt.

Certik defeats the Britons, who lose their general

CERTIK et filius eius Kinerik Britones ad prælium provocaverunt. Infirmabatur enim Uther rex Britonum, nec se potuit in latus aliud declinare. Unde ducem Nathanliot principem militiæ Britonum ordinavit. Con-

[1] *Octa* added in a late hand.

venientibus autem Saxonibus et Britonibus, pugnam acriter commiserunt. Sed Saxones aciebus Britonum perforatis ducem Nathanliot peremerunt. Corruerunt etiam cum eo quinque milia virorum, et Saxones cum victoria lætantes recesserunt. Nathanliot and 5000 men.

Matth. Westm. p. 183; Rog. Wend. p. 57; Galfrid. Monum. viii. 21.

Cap. XXIII.

Quomodo Octa et Cosa de carcere evaserunt.

Custodes carceris, quo Octa et Cosa tædiosam agebant vitam, donariis corrupti fugerunt cum eis in Germaniam, atque cum classe maxima in exitium Britanniæ redierunt anno gratiæ quingentesimo nono. Commisit igitur rex Uther exercitum Britanniæ Loth consuli Leicestriæ,[1] viro strenuissimo. Cumque in hostes progressum fecisset, multotiens ab eis repulsus est, quia Britanni noluerunt ipsius consiliis obedire. Octa and Cosa escape to Germany, and return with a large force. A.D. 509. They defeat the Britons under the command of Loth.

Cap. XXIV.

Matth. Westm. p. 183; Rog. Wend. p. 58.

Quomodo Saxones convenerunt omnes in unum ut insulanos a finibus suis expellerent.

Anno gratiæ quingentesimo undecimo, videntes Saxones qui Britanniam inhabitabant Utherpendragon regem gravi infirmitate depressum, convenerunt omnes in unum, ut insulanos a finibus suis expellerent, et iunctis viribus fertilem patriam sibi in perpetuum subiugarent. Perlustrantes itaque quasque provincias, cum neminem sibi resistere cognovissent, totam fere insulam a mari usque ad mare devastare cœperunt. Insulani autem regem infirmum deserentes, ad montium abrupta et silvarum latibula confluxerunt, secundum illud antiquum proverbium: A.D. 511. The Saxons unite their forces, and ravage the island.

Cui caput infirmum, cetera membra dolent.

---

[1] *Leic^{b}*. MS.; *Leyli* Matth. Westm. p. 183; *Leir*, Galfrid.; *Leil*, Rog. Wend.

Cap. XXV.

Matth. Westm. p. 183; Rog. Wend. p. 58; Galfrid. Monum. viii. 22, 23. (A.D. 512.)

Ut Utherpendragon in lectica portatus Saxones vicerit.

Rex Britonum Utherpendragon de regni subversione procerumque desolatione necnon et populi dispersione vehementer commotus, convocatis omnibus regni sui magnatibus, acriter eis de superbia et segnitie increpavit: convicia etiam multa cum opprobriis inferens, iuravit quod ipsemet illos in hostes conduceret, ut animos omnium ad statum et audaciam pristinam revocaret. Præcepit ergo feretrum sibi fieri quo portaretur, cum alteriusmodi progressum infirmitas denegaret. Imposito itaque rege in lectica, cum tota fortitudine regni Verolamium perrexit, ubi iam Saxones universam patriam affligebant. Cumque edocti essent Octa et Cosa de adventu Britonum, regemque eorum in feretro advenisse, dedignati sunt cum illo præliari, quia in vehiculo veniebat. Receperunt itaque se infra urbem, valvasque præ indignatione patentes reliquerunt. At Utherpendragon iussit eius[1] urbem obsidere, et mœnia undique complanare; stragemque non minimam Saxonibus inferentes, mœnibus subversis iam essent ingressi, nisi Saxones resistere perstitissent. Mane autem facto, egressi sunt Saxones catervis bellicis dispositis, Britones ad prælium provocantes. Restiterunt audacter Britones, invadunt viriliter Saxones, et necem mutuam utrobique conficiunt. Denique post multas cruentas congressiones regi Britonum cessit victoria, interfectisque Octa et Cosa, ceteri Britonibus terga dederunt.

King Uther is borne in a litter before his troops.

He defeats the enemy at Verolamium. Death of Octa and Cosa.

---

[1] *eius*] ocius, Matth. Westm. p. 184.

CAP. XXVI.

Matth. Westm. p. 184; Rog. Wend. p. 60.

De morte Ellæ regis Australium Saxonum.

ANNO gratiæ quingentesimo decimo quarto venerunt nepotes Certich, Sthuph et Wilgarus, cum duabus navibus in Britanniam, et applicuerunt in occidentali parte Britanniæ. Venerunt igitur duces Britonum contra eos ad prælium, sed fortitudo eorum ilico dissipata est. Facta est fortitudo Certich terribilis valde; nempe universam insulam hostiliter pertransiens vix invenit qui repugnaret. Unde in dies singulos aucta est magnificentia Saxonum.

A.D. 514. Certich's nephews, Sthuph and Wilgar, invade England.

Certich's increasing power.

Eodem anno Elle, quem omnes Saxones pro rege habuerunt, defunctus est, regnavitque pro eo Cissa filius eius, de cuius nomine Cicestria, quam ipse fundavit, nomen sortita est.

Elle dies, and is succeeded by his son Cissa, who founds, and gives name to, Cicestria.

CAP. XXVII.

Matth. Westm. p. 185; Rog. Wend. p. 61; Galfrid. Monum. ix. 1.

Quod defuncto rege Utherpendragon Arthurus filius eius in Regem Britonum est erectus.

ANNO gratiæ quingentesimo decimo sexto defuncto Utherpendragon rege Britonum, convenerunt pontifices cum clero regni et populo, ac Arthurum filium eius, iuvenem quindecim annorum, in regem magnifice erexerunt. Erat enim inauditæ virtutis atque largitatis; unde tantam gratiam promeruit, ut a cunctis etiam et ab hostibus commendaretur. Confluebat autem ad eum tanta militum fortitudo, tantaque militantium multitudo, quod sufficienter quæ illis ministraret stipendia distribuenda non haberet. Invitaverant igitur eo tempore Saxones concives suos ex Germania, et duce Colgrino subiugaverant sibi totam insulæ partem quæ a flumine Humbri usque ad mare Katanensium dilatatur. Quo audito, Arthurus cum subdita sibi

A.D. 516. Arthur succeeds his father Utherpendragon.

The Saxons under Colgrin extend their conquests.

gente Eboracum petivit, a Saxonibus iam subactum. Colgrinus autem adventum Arthuri comperiens, cum multitudine maxima iuxta flumen Duglas obviam perrexit. Et facto congressu, Arthurus Colgrinum in fugam coegit, ac fugientem insecutus, eum infra Eboracum obsedit. Baldulphus vero frater Colgrini circa maritima adventum Saxonum expectans, proposuit nocturnam in Arthurum facere irruptionem. Sed Arthurus per exploratores præmunitus, misit Cadorem Cornubiæ ducem cum militibus sexcentis et tribus milibus peditum ad viam qua hostes veniebant: qui inopinatum impetum facientes, quibusdam interfectis et laceratis, ceteros in fugam compulerunt.

They are routed by Arthur, and besieged in York.

Matth. Westm. p. 185; Rog. Wend. p. 62; Galfrid. Monum. ix. 2.

Cap. XXVIII.

Ut dux Cheldricus venit a Germania cum navibus septingentis et in Albaniam applicuit.

A.D. 517. Cheldric crosses from Germany with 700 vessels.

Anno gratiæ quingentesimo decimo septimo venit dux Cheldricus a Germania cum navibus septingentis, et in Albaniam applicuit. Timuerunt itaque Britanni contra tantam multitudinem dubium inire certamen. Unde Arthurus obsidionem Eboraci relinquens, ad urbem Londoniarum cum exercitu suo recessit. Deinde habita cum suis deliberatione, misit nuntios in minorem Britanniam ad regem Hoelum, qui ei calamitatem Britanniæ intimarent. Erat autem Hoelus filius sororis Arthuri, ex Dubricio rege Armoricanorum Britonum generatus. Unde audito periculo quod avunculo suo imminebat, copiosum iussit parari navigium, collectisque quindecim milibus armatorum, proximo ventorum flatu in portu Hamonis applicuit. Excepit illum Arthurus cum gaudio et honore debito.

Arthur retires to London, and waits for succours from Hoel, king of Brittany, his sister's son.

Cap. XXIX.

Matth. Westm. p. 186; Rog. Wend. p. 63; Galfrid. Monum. ix. 3.

Ut apud Lincolniam Saxonibus inventis, Arthurus fecit ex eis stragem inauditam.

A.D. 518. Arthur defeats the Saxons at Lincoln with great slaughter.

Anno gratiæ quingentesimo decimo octavo[1] Arthurus rex Britonum collecto exercitu grandi, urbem Kaerludcoit, quæ nunc Lincolnia dicitur, petivit, ubi inventis Saxonibus, stragem fecit ex eis inauditam. Ceciderunt namque ex illis una die sex milia hominum, qui partim fluminibus submersi, partim telis perforati, partim in fugiendo trucidati, vitas et animas miserabiliter exhalarunt. Arthurus vero fugientes insecutus, non cessavit donec ad nemus Colidonis pervenerunt, ibique ex fuga confluentes Arthuro resistere conati sunt, sese viriliter defendentes. Quod Arthurus intuens, iussit arbores circa partem illam nemoris incidi, et truncos ita in circuitu locari, ut egressus eis penitus negaretur. Volebat namque eos ibidem tam diu obsidere, donec omnes inedia interirent. At Saxones, quo vescerentur non habentes, eo pacto petierunt egressum, ut saltem Germaniam nudis corporibus petere sinerentur. Tunc Arthurus inito consilio petitioni eorum adquievit; retinens eorum opes et spolia reddendique vectigal obsides, solummodo recessum concessit.

The fugitives are allowed to return to Germany.

Cap. XXX.

Matth. Westm. p. 186; Rog. Wend. p. 64; Galfrid. Monum. ix. 3–5.

Quomodo pœnituit Colgrinum, Baldulphum, et Cheldricum pactum cum Arthuro fecisse.

A.D. 520. Colgrin, Baldulph, and Cheldric return to Britain

Anno gratiæ quingentesimo vicesimo pœnituit Colgrinum, Baldulphum, et Cheldricum Saxones pactum cum Arthuro fecisse. Unde in Britanniam revertentes, in Totenosio litore applicuerunt, et ad ultimum urbem Badonis obsederunt. Rumore itaque divulgato, Arthurus

[1] D. xvii., MS.; 518, Matth. Westm., Rog. Wend.

and lay siege to Bath. obsides eorum suspendi præcepit; deinde obsidionem petens, præcepit omnibus ad arma convolare. Ipse loricam indutus, galeam simulacro draconis insculptam capiti adaptavit: humeris quoque suis clipeum vocabulo Pridwen appendit, quo imago sanctæ Dei genitricis picta ipsam ad memoriam sæpissime revocabat: accinctus etiam Caliburno gladio optimo: lancea nomine [Ron][1] eius dexteram decoravit. Deinde catervis dispositis audacter Saxones invasit. Ipsi autem die tota viriliter resistentes, Britones assidue prosternebant. Vergente tandem sole ad occasum, Saxones proximum occupant montem, illum pro castro habituri. At ubi sol diem reduxisset, Arthurus cum exercitu suo montis cacumen ascendit. Sed in ascendendo multos suorum amisit: Saxones namque occurrentes facilius vulnera infligebant. Britanni tamen maxima probitate cacumen montis adepti, hostibus strages acerrimas ingerebant: quibus Saxones arma prætendentes omni nisu resistebant. Cumque multum diei in certando consumpsissent, Arthurus tandem, abstracto Caliburnio, nomen Beatæ Mariæ Virginis invocavit, atque rapido impetu sese infra densas hostium acies immittens, quemcunque attingebat[2] sine ictus nugatoria iteratione perimebat. Nec cessavit impetum facere, donec quadringentos et sexaginta viros solo Caliburnio gladio peremit. Quod videntes Britones, densatis illum turmis sequuntur, stragem undique facientes. Ac Cheldricus, viso sociorum periculo, cum reliquo exercitu in fugam conversus est. Iussit itaque rex Arthurus Cadorem ducem Cornubiæ illos insequi. Qui postremo cum nihil tutaminis accepissent, laceratis agminibus Thanet insulam petierunt. Insequitur eos ibidem dux, nec quievit donec perempto Cheldrico ceteros in deditionem accepit.

Arthur's armour.

He attacks the Saxons.

He destroys 460 of them single-handed.

They retreat to the Isle of Thanet, where Cheldric is slain. The survivors surrender.

---

[1] *Ron*] om. MS. | [2] *attingebat*] attigebat, MS.

CAP. XXXI.

Quomodo Modredus, cui Arthurus custodiam totius Britanniæ cum uxore sua commisit, appetens in Britannia regnare, solum Cerdicum regem Occidentalium Saxonum timens, dedit Cerdico ut sibi faveret septem provincias. Matth. Westm. pp. 190, 191; Rog. Wend. pp. 71, 73; Polychron. lib. v. p. 225. (A.D. 536–540.)

REX Arthurus partes Gallicanas suæ dicioni subdere cupiens, parato navigio Modredo nepoti suo custodiam totius Britanniæ cum uxore sua commisit. Deinde mare cum prosperitate pertransiens Estrusiam, quæ nunc Normania dicitur, sine difficultate subegit. Denique ulterius procedens universas Galliæ provincias sibi subiugavit. Modredus vero regnare appetens in Britannia, sed solum Cerdicum regem Occidentalium Saxonum timens, dedit Cerdico ut sibi faveret septem alios pagos sive provincias, scilicet Sowthsex, Sowthreiam, Barkshire, Wilteshire, Dorset, Devenshire, et Cornubiam. Cerdicus autem his consentiens, suas provincias novis Anglis instauravit, et coronatus fuit more gentilium apud Wintoniam super Anglos. Modredus vero coronatus extitit super Britones apud Londoniam.

Arthur leaves his kingdom in charge to Modred, his nephew, and crossing the channel conquers Normandy. Modred buys the support of Cerdic by giving up to him 7 counties. Cerdic is crowned at Winchester; Modred, at London.

CAP. XXXII.

Matth. Westm. p. 189; Rog. Wend. p. 70. (A.D. 533.)

Certik primus rex Occidentalium Saxonum obiit, cui successit Kenrik filius eius.

A.D. 530.

ANNO gratiæ quingentesimo tricesimo Certik primus rex Occidentalium Saxonum obiit, et regnavit pro eo Kineric filius eius triginta[1] annis.

Certik, first king of Wessex, dies. His son Kineric reigns 30 years.

---

[1] xxvi. Matth. Westm., Rog. Wend.

Matth. Westm. p. 193; Rog. Wend. p. 77.

A.D. 548.

Ida, first king of the Northumbrians.

His twelve sons.

He reigns twelve years, and builds Baenburc castle.

Cap. XXXIII.

Quod regnum Northumbrorum initium sumpsit.

Anno gratiæ quingentesimo quadragesimo octavo regnum Northumbrorum exordium sumpsit. Cum enim proceres Anglorum magnis laboribus et continuis patriam illam subiugassent, Idam iuvenem nobilissimum regem sibi unanimiter præfecerunt. Genuit autem ex regina sua sex filios, Addam scilicet, et Elricum, Theodoriccum, Æthelricum, Osmerum, et Theodfredum; præterea ex concubinis alios sex filios generavit, scilicet Ogam, et Aliricum, Eccham, Osbaldum, Segor, et Segotherum. Isti omnes venerunt in Britanniam cum navibus quadraginta, et apud Flemesburc applicuerunt. Regnavit autem Ida annis duodecim, et castellum de Baenburc construxit; quod prius ligneis palis, postea muro circuivit. [Genealogiam eius sequentia declarabunt.][1]

Matth. Westm. p. 194; Rog. Wend. p. 80.

A.D. 559.

Death of Kenrik king of Wessex.

Ceaulinus, his son, reigns 30 years.

Cap. XXXIV.

Kenrik rege defuncto Occidentalium Saxonum Ceaulinus successit.

Anno gratiæ quingentesimo quinquagesimo nono Kenrik rex Occidentalium Saxonum defunctus est, et regnavit pro eo Ceaulinus filius eius triginta annis.

---

[1] The words in brackets are struck out in the MS.

Cap. XXXV.

Quomodo regnum Northumbrorum est divisum.

Matth. Westm. p. 194; Rog. Wend. p. 81.

A.D. 560. Death of Ida. Division of the kingdom of Northumbria into Deira and Bernicia. Elle, king of Deira, reigns 30 years. Adda, son of Ida, reigns 7 years in Bernicia.

Anno gratiæ quingentesimo sexagesimo defuncto Ida rege, Northumbrorum regnum in duo regna est divisum. Siquidem Elle filius Yffe ducis strenuissimi in Deira regnare incepit, et regno tale nomen dedit, et annis triginta in eo regnavit. Adda vero filius Idæ in regno Berniciorum patri successit, et septem annis regnavit. Iste est Elle rex Deirorum, de quo in vita beati Gregorii papæ fit mentio, sicut subscripta docebunt.

Bede and others assign to this year the accession of Athelbert king of Kent.

Eodem anno Athelbertus rex magnus Cantuariorum secundum quosdam regnare incepit, quibus etiam Beda[1] consentit. Verumtamen aliorum sententia apparet probabilior.

Cap. XXXVI.

Quomodo Athelbertus Ermerici filius incepit regnare in Kantia.

Matth. Westm. p. 196; Rog. Wend. p. 83.

A.D. 566. Æthelbert son of Ermeric, begins to reign in Kent, and reigns 56 years.

Anno gratiæ quingentesimo sexagesimo sexto Æthelbertus Ermerici filius regnum Kantiæ suscipiens, quinquaginta sex annis illud strenuissime gubernavit. Hic regum Angliæ potentissimus usque ad confinium Humbræ fluminis, quo meridiani et septentrionales populi dirimuntur, imperii sui fines extendens, omnium illarum provinciarum gentibus nobilissime imperavit.

---

[1] H. E. ii. 5.

Cap. XXXVII.

Matth. Westm. p. 196; Rog. Wend. p. 83.

Glappa rex regnavit in regno Berniciorum.

A.D. 567. Glappa succeeds Adda as king of the Bernicians, and reigns 5 years.

Anno gratiæ quingentesimo sexagesimo septimo, defuncto Adda rege Berniciorum, Glappa regnavit pro eo quinque annis.

Cap. XXXVIII.

Matth. Westm. p. 196; Rog. Wend. p. 83.

Quomodo Ceaulinus rex Westsaxonum et Cutha frater eius pugnaverunt contra Ethelbertum regem Kantiæ.

A.D. 568. Ceaulin, king of Wessex, defeats Ethelbert, king of Kent.

Anno gratiæ quingentesimo sexagesimo octavo Ceaulinus rex Westsaxonum et Cutha frater eius causis compellentibus contra Ethelbertum regem Kantiæ pugnaverunt. Ubi Ethelbertus, duobus comitibus suis interfectis, ipsemet in fugam conversus est.

Cap. XXXIX.

Matth. Westm. p. 196; Rog. Wend. p. 84.

De Ethelwaldo rege.

A.D. 569. Theodwald succeeds Glappa as king of the Bernicians, and reigns one year.

Anno gratiæ quingentesimo sexagesimo nono, defuncto Glappa rege Berniciorum, regnavit pro eo Theodwaldus uno anno.

Cap. XL.

Matth. Westm. p. 196; Rog. Wend. p. 84.

De Frethewlfo rege.

A.D. 570. Frethewlph reigns 7 years in Bernicia.

Anno gratiæ quingentesimo septuagesimo Frethewlfus regnavit in Bernicia[1] septem annis.

---

[1] *Bernicia*] originally written Deira.

CAP. XLI.

De cyclo paschali, et Wlfa rege Est Anglorum.

Matth. Westm. p. 196; Rog. Wend. p. 84.

ANNO gratiæ quingentesimo septuagesimo primo completus est cyclus unus sancti paschæ annorum quingentorum viginti duorum, ex quo Dominus noster Iesus crucifixus est, indictione septima, anno secundum Græcos a traditione [1] mundi quinquies millesimo septuagesimo quinto; et tunc Wlfa rex regnavit in Est Anglia.

A.D. 571. A.M. 5075. First paschal cycle since the crucifixion. Wlfa king of East Anglia.

CAP. XLII.

Quod Theodoricus successit Frethewlfo in regno Berniciorum.

Matth. Westm. p. 197; Rog. Wend. p. 86.

ANNO gratiæ [quingentesimo] [2] septuagesimo septimo, defuncto rege Berniciorum Frethelwlfo, Teodoricus successit annis septem.

A.D. 577. Theodoric succeeds Frethewlf, and reigns 7 years.

CAP. XLIII.

Quod post Wiffam regem Orientalium Anglorum Titilus successit.

Matth. Westm. p. 197; Rog. Wend. p. 86.

ANNO gratiæ quingentesimo septuagesimo octavo post Wiffam regem Orientalium Anglorum, a quo reges illius provinciæ Wiffingas dicuntur, Titilus filius eius regnum suscepit. Erat autem Titulus pater Redwaldi, qui a Wodenio decimus extitit.

A.D. 578. Death of Wiffa (Wlfa) king of the East Angles. Accession of his son Titilus.

---

[1] *traditione*] Read *conditione*. Matth. Westm. p. 196.

[2] *quingentesimo*] om. MS.

CAP. XLIV.

Matth. Westm. p. 197; Rog. Wend. p. 86.

Quod Ceaulinus rex Westsaxonum multa castra cepit.

A.D. 580. Ceaulin, king of Wessex, takes Bedford and other towns.

ANNO gratiæ [quingentesimo][1] octogesimo Ceaulinus Rex Westsaxonum cepit castellum Bedeanforde, quod modo Bedeforde nuncupatur, cum aliis, videlicet Lienberi, Alesbury, Bensintone, Hemesham, Glouerniam, Cirencestriam, et Bathoniam. Et magnificatum est nomen eius vehementer.

CAP. XLV.

Matth. Westm. p. 198; Rog. Wend. p. 88.

Quod Ceaulinus rex et frater eius Cuthwinus cum Britannis[2] bellum commiserunt.

A.D. 584. Ceaulin joins battle with the Britons at Frithonleia. His brother Cuthwin falls, and his troops are put to flight.

ANNO gratiæ quingentesimo octogesimo quarto[3] Ceaulinus rex Westsaxonum et frater eius Cuthwinus bellum cum Britannis[2] commiserunt apud Frithonleiam, ubi Cuthwinus graviter oppressus et peremptus est. Victi sunt igitur Angli et fugæ dati.

CAP. XLVI.

Matth. Westm. p. 198; Rog. Wend. p. 88.

Quod regnum Merciorum initium sumpsit, cuius rex primus Creodda fuit.

A.D. 585. Creodda first king of Mercia. The eight Saxon kingdoms:—

ANNO gratiæ quingentesimo octogesimo quinto regnum Merciorum initium sumpsit, quod primus omnium Creodda tenuit. Inchoata sunt igitur hoc tempore omnia Anglorum sive Saxonum regna, quæ octo numerantur: — Regnum videlicet Kantiæ, cuius caput est Dorobernia; regnum Australium Saxonum, id est

[1] *quingentesimo*] om. MS.
[2] *Britannis*] Britaniis, MS.
[3] *quarto*] A later correction; orig. *quinto*, as it seems.

Southsex, cuius caput est civitas Cicestriæ; regnum Orientalium Saxonum, id est Eastsex, cuius caput est civitas Londoniæ; regnum Orientalium Anglorum, id est Eastanglia, cuius caput Norwicum; regnum Westsaxonum sive Occidentalium Saxonum, cuius caput est civitas Wentana, quæ modo Wyntonia dicitur; regnum Merciæ,[1] sive Middelanglia, cuius caput est Dorkecestria, nunc vero Lincolnia; regnum Northumbrorum, cuius caput est Eboracum. Hoc regnum, videlicet Northumbrorum, dividitur in duo regna, id est Deirorum et Berniciorum, sicut dictum est supra.

Kent, Sussex, Essex, East Anglia, Wessex, Mercia, Deira, and Bernicia.

Cap. XLVII.

Quomodo Britones patriam suam deserentes in Walliam recesserunt.

Matth. Westm. p. 198; Rog. Wend. p. 89.

Anno gratiæ quingentesimo octogesimo sexto Malgoni Britannorum regi Karetius civilium amator bellorum successit, Deo et Britonibus inimicus. Cuius inconstantiam reges memorati, Anglorum videlicet et Saxonum, comperientes, insurrexerunt unanimiter in eum, et post prælia multa fugaverunt eum a civitate in civitatem, donec ad ultimum commisso prælio ipsum ultra Sabrinam in Walliam fugaverunt. Clerici vero et sacerdotes, mucronibus undique micantibus ac flammis in ecclesiis circumquaque crepitantibus, omnes simul in exterminium pellebantur. Decesserunt itaque Britonum reliquiæ in occidentalibus regni partibus, Cornubia videlicet atque Wallia, maximam insulæ partem relinquentes. Unde crebras et ferales irruptiones sine intermissione hostibus inferebant. Tunc archipræsules Theonus Londoniensis et Thadiocus Eboracensis, cum omnes ecclesias sibi subditas solo tenus destructas

A.D. 586. Malgo, king of the Britons, dies, and Karet succeeds; who is driven by the Saxons into Wales.

Many of the Britons withdraw to Wales,

[1] *Merciæ*] Merce, MS.

vidissent, cum pluribus ordinatis, qui in tanto discriminis superfuerant, cum reliquiis sanctorum in Cambriam diffugerunt, timentes ne barbarorum irruptione tot et tantorum ossa veterum a memoriis hominum delerentur, si ipsa in imminenti[1] minime subtraxissent. Plures etiam Armoricanam Britanniam petentes totam ecclesiam duarum provinciarum, Loegriæ videlicet et Northanhumbriæ, a conventibus suis viduatam deseruerunt et inanem. Quibusdam vero sanctorum corporibus quæ in sepulcris iacebant reverenter occultatis, tumulos terræ superposuerunt, ne ab hostibus despectui haberentur. Erant enim Anglorum sive Saxonum reges armis strenuissimi et pagani atrocissimi, qui nihil potius quam Christum et Christianorum cultum subvertere sitiebant. Nam siqua ecclesia terra subiugata illæsa servabatur, hoc magis ad confusionem nominis Christi quam ad gloriam faciebant. Nempe ex eis deorum suorum templa facientes, profanis suis sacrificiis sancta Dei altaria polluerunt.

and others fly to Brittany.

The Saxons use the British churches as idol temples.

Itaque Britanni regni diadema multis temporibus amittentes, videlicet usque ad tempora Cadwallonis, quem Beda Cedwallam vocat, illam patriæ partem quæ eis remanserat, non uni regi sed tribus tyrannis subiectam, civilibus bellis sæpissime infestare non cessabant. Residebant igitur miserrimæ Britonum reliquiæ in tribus provinciis, Cornubia videlicet (quæ Cornu Walliæ a quibusdam dicitur, eo quod in mare sese quasi cornu extendat), Demecia quæ Australis Wallia appellatur, Venedocia quæ North Wallia nuncupatur. His finibus quamvis eis invitis contenti, a fide tamen Christi nunquam recesserunt. Sed in hoc tantum reprehensibiles iudicantur, quod semper gentem Anglorum et etiam usque in hodiernum diem quasi per eos propriis finibus proscripti odio mortali perstringunt, nec illis

The three British kingdoms. Cornwall, (Cornu Walliæ), Demecia (South Wales), Venedocia (North Wales).

Lasting enmity between the Britons and Saxons.

[1] *ipsa in imminenti*] ipsa imminenti periculo, Matth. Westm., p. 199.

libentius quam canibus communicare volunt. Sunt autem provinciæ eorum inexpugnabiles, videlicet nemorum densitatibus consitæ, altis vallatæ paludibus, præruptis tumentes montibus, unde sæpissime quasi mures[1] de cavernis erumpentes gentem Anglorum nequiter infestant, nec aliud ab eis in bello nisi capita solum pro redemptione requirunt.

Hac denique tempestate ecclesia beati martyris Albani, quæ post passionem suam miro tabulatu lapideo atque eius martyrio condigna legitur fabricata, deiecta penitus cum aliis creditur et deleta, donec per ministerium Offæ regis, angelo sibi revelante, corpus gloriosi confessoris ac martyris inventum est, et monasterium eius denuo fabricatum.

St. Alban's church destroyed; restored by King Offa.

Cap. XLVIII.

Matth. Westm. p. 200; Rog. Wend. p. 91.

De distinctionibus regnorum et regum Angliæ.

Subiugata itaque Britannia civibusque proscriptis, reges Anglorum sive Saxonum terras undique occupant, regna dilatant, et pro uniuscuiusque possibilitate regnis suis limites ponunt. Regnabant autem his temporibus in insula octo reges, quorum nomina hæc sunt:—Æthelbertus videlicet in Kantia, Cissa in Suthsexia, Ceaulinus in Westsexia, Credda in Mercia, Erkenwinus in Eastsexia, Titulus[2] in Estanglia, Elle in Deira, Alfridus in Bernicia. Hæc denique regna processu temporis ita distinguebantur: — Reges autem Cantuariæ in sola Kantiæ provincia dominabantur. Reges Southsexiæ in illa tantum provincia dominabantur. Reges Estsexiæ in illa provincia et in Middlesexe dominabantur.

The eight Saxon kings:— Æthelbert of Kent, Cissa of Sussex, Ceaulin of Wessex, Credda of Mercia, Erkenwin of Essex, Titulus of East Anglia, Elle of Deira, Alfrid of Bernicia.

Limits of

[1] *mures*] muri, MS.; mures, Matth. Westm., p. 199.

[2] *Titulus*] Titula, MS.

their respective dominions. Reges Estangliæ in Northfolk et Southfolc dominabantur, necnon et in provincia Cantabregensi, donec a rege Offa Merciorum mutilati sunt. Reges Merciorum dominabantur in provinciis Glouernensi, Wigornensi, Warewicensi, Cestrensi, Derebiensi, Scropesberiensi, Notingehamensi, Lincolniensi, Leircestrensi, Oxeniensi, Herefordensi, Staffordensi, Northamtunensi, Bukingehamensi, Bedefordensi, Huntendunensi, Cantabregensi, et Hertfordensi. Reges Westsaxonum dominabantur in provinciis Bercensi, Dorsetensi, Devoniensi, Sowthamptonensi, Sowthereiensi, Wiltunensi, Salesberiensi, Bathoniensi. Istis igitur provinciis inter sex reges distributis, quandoque ad invicem bella civilia commiserunt. Duo reges qui sunt in Northumbria dominabantur a magno flumine Humbriæ usque ad mare Scotiæ. De his autem sufficienter superius dictum est.

They change the name of the island from Britannia to Anglia.

His ita dispositis placuit dictis regibus Britanniam et memoriam Britannorum penitus delere; unde communiter statuerunt, quatinus insula non a Bruto Britannia, sed ab Anglis Anglia vocaretur.

Matth. Westm. p. 200; Rog. Wend. p. 93.

Cap. XLIX.

De Sledda rege Orientalium Saxonum.

A.D. 587. Erkenwin, king of Essex, dies. His son Sledda succeeds.

Anno gratiæ quingentesimo octogesimo septimo defuncto Erkenwino rege Orientalium Saxonum, Sledda filius eius, a Wodenio decimus, regnavit pro eo.

Rog. Wend. p. 93.

Cap. L.

Quod Athelfridus rex Berniciorum filiam Elle regis Deirorum coniugem accepit.

A.D. 588. Æthelfrid, king of Bernicia, marries the daughter of Elle, king of Deira. Their seven sons.

Anno gratiæ quingentesimo octogesimo octavo Æthelfridus rex Berniciorum filiam Elle regis Deirorum coniugem accepit, et ex ea septem filios processu

temporis generavit. Nomina autem filiorum hæc sunt: Eanfridus, Oswaldus, Oslacus, Oswidus, Osa et Offa.[1]

Eodem anno Credda Merciorum rege mortuo, Wibba filius eius successit tribus annis.

Death of Credda, king of Mercia. His son Wibba reigns 3 years.

CAP. LI.

De nativitate regis Seberti.

Matth. Westm. p. 201; Rog. Wend. p. 94. A.D. 589. Birth of Sebert, son of Sledda.

ANNO gratiæ quingentesimo octogesimo nono Sledda rex Orientalium Saxonum ex filia Ermenrici regis olim Cantuariorum genuit Sebertum, qui post patrem regnavit. Iste Sebertus fuit fundator ecclesiæ beati Petri Westmonasterii, sicut inferius luculenter patebit.

CAP. LII.

De morte Cissæ regis Australium Saxonum.

Matth. Westm. p. 201; Rog. Wend. p. 94. A.D. 590. Death of Cissa, king of Sussex. His kingdom falls to Ceaulin, king of Wessex.

ANNO gratiæ quingentesimo nonagesimo defuncto Cissa rege Australium Saxonum, regnum illud ad regem Occidentalium Saxonum Ceaulinum devolutum est.

CAP. LIII.

Quod Ceolricus rex in regnum Occidentalium Saxonum successit, et Elle regi Deirorum Ethelfridus successit.

Matth. Westm. p. 201; Rog. Wend. p. 95.

A.D. 593. Death of Ceaulin. Ceolric his successor reigns 5 years.

ANNO gratiæ quingentesimo nonagesimo tertio Ceaulinus et frater eius Quichelinus decesserunt, et Ceolricus Ceaulino in regno Occidentalium Saxonum successit quinque annis.

---

[1] *Offa*] Offa, Oswinus, Matth. Westm., p. 201.

On the death of Elle, his son Edwin is supplanted by Athelfrid, king of Bernicia.

Eodem anno Elle rex Deirorum defunctus est. Quo mortuo, Athelfridus rex Berniciorum filium eius Edwinum expellens regno Deirorum, duo regna strenuissime gubernavit. Ac Edwinus in exilium pulsus exulavit cum Redwaldo rege Orientalium Anglorum, quousque per illum regno suo restitutus est.

Matth. Westm. p. 202; Rog. Wend. p. 96. A.D. 594. Wibba, king of the Mercians, dies. Cherlus, his successor, reigns 10 years.

Cap. LIV.

De obitu Wibbæ regis.

Anno gratiæ quingentesimo nonagesimo quarto Wibba rex Merciorum obiit. Cui successit Cherlus, non filius sed consanguineus eius, decem annis.

Conclusion.

Et quoniam Historiam de Gestis et successione Regum Anglorum, quam ab anno adventus ipsorum primitus in Britanniam, videlicet ab anno gratiæ quadringentesimo quadragesimo nono, usque ad annum gratiæ quingentesimum nonagesimum sextum, qui est annus centesimus quadragesimus septimus adventus ipsorum in Britanniam, prout in scriptis sanctorum patrum luculenter existit declarata, stilo nostro deduximus exhaustam; nunc vero quia tempus gratiæ attigimus, in quo Oriens ex alto gentem nostram Anglicanam dignatus est visitare, ipsam a superstitione gentili ad fidei sacræ culturam misericorditer evocando, icciro Historiæ nostræ prælibatæ Libro Primo metam figentes ad Secundum Librum operis præsentis stilum nostrum duximus convertendum.

First Book contains the Pagan Period.

Explicit Liber Primus.

INCIPIT PROLOGUS IN LIBRUM SECUNDUM SPECULI HISTORIALIS DE GESTIS REGUM ANGLORUM.

PROSEQUENTES igitur materiam inchoatam de gestis et successione Regum Anglorum, Secundum Librum Historiæ nostræ iam ingressi, de nostræ gentis conversione ad[1] Christianæ fidei religionem per sacros et apostolicos doctores gratiose innormatæ, ac etiam de statu regum et successoribus dictæ gentis usque ad tempora Alfredi sive Aluredi, qui primus inter Anglorum reges fuit monarcha, et ad quem monarchia regni Anglicani totaliter extitit devoluta, in præsenti libro operis nostri duximus consequenter inserere.

Preface to the Second Book. Beginning with the conversion of the Saxons, it will be continued to the union of the country under one *monarch* Alfred.

EXPLICIT PROLOGUS.

---

[1] *ad*] et ad, MS.

Incipiunt Capitula Libri Secundi Speculi Historialis de Gestis Regum Angliæ.

---

[1] *sibi*] sive, MS. But see below.

---

[1] *Paulino*] om. MS.; but see below.

---

[1] *sive*] second hand.

[1] *Saxonum*] om. MS.; but see below.

INCIPIT LIBER SECUNDUS SPECULI HISTORIALIS DE GESTIS REGUM ANGLIÆ.

CAP. I.

Quod Augustinus fuit missus a beato Gregorio in Britanniam ad prædicandum genti Anglorum. Bed. H.E. i. 23; ii. 1.

ANNO gratiæ quingentesimo nonagesimo sexto, qui est annus centesimus quadragesimus octavus adventus Anglorum in Britanniam ut eam subiugarent, vel secundum Bedam[1] adventus Anglorum annus circiter centesimus quinquagesimus, beatus papa Gregorius, Divino monitus instinctu, misit servum Dei Augustinum et alios plures monachos cum eo timentes Deum prædicare verbum Dei genti Anglorum. Sed opinio, quæ de beato Gregorio traditione maiorum ad nos usque perlata est, non est silentio prætereunda; qua videlicet ex causa admonitus tam sedulam erga salutem nostræ gentis curam gesserit. Dicitur enim, sicut in legenda dicti patris liquido patet, quod die quadam cum advenientibus nuper mercatoribus multa venalia in forum fuissent collata, multi[2] ad emendum confluxissent, et ipsum Gregorium inter alios advenisse ac vidisse inter alia pueros venales positos candidi corporis ac venusti vultus, capillorum quoque forma egregia.[3] Quos cum aspiceret, interrogavit, de qua regione vel terra essent allati. Dictumque est, quia de Britannia

A.D. 596. In the 148th (or, as Bede says, 150th) year after the coming of the Angles, pope Gregory sent Augustine into England.

Legend of Gregory and the English slaves.

---

[1] *Bedam*] H. E. i. 23.

[2] *multi*] multique, Beda, H. E. ii. 1.

[3] *egregia*] egregii, MS.

insula, cuius incolæ talis essent aspectus. Rursus interrogavit, utrum iidem insulani Christiani essent, an paganis adhuc erroribus essent inplicati. Dictumque est, quod essent pagani. At ille intimo ex corde longa trahens suspiria: "Heu, pro dolor," inquit, "quod tam lucidi vultus homines tenebrarum auctor possidet, tantaque frontispicii gratia mentem ab interna gratia vacuam gestat!" Rursus ergo interrogavit, quod esset vocabulum gentis illius. Responsum est, quod Angli vocarentur. At ille, "Bene," inquit, "Angli[1]; nam et angelicam habent faciem, et tales angelorum in cœlis decet esse coheredes. Quod habet nomen ipsa provincia de qua isti sunt allati?" Responsum est, quia "Deiri" vocarentur iidem provinciales. At ille, "Bene," inquit, "Deiri, quasi de ira eruti, et ad misericordiam Christi vocati. Rex provinciæ illius quomodo appellatur?" Responsum est, quod "Elle" diceretur. At ille alludens ad nomen ait: "Alleluya! laudem Dei Creatoris illis in partibus oportet cantari." Accedensque ad pontificem Romanæ apostolicæ[2] sedis (nondum enim erat ipse pontifex factus) rogavit ut genti Anglorum in Britanniam aliquos verbi ministros per quos ad Christum converterentur[3] mitteret, seipsum paratum esse in hoc opus Domino cooperante perficiendum, si tamen apostolico papæ hoc ut fieret placeret. Quod dum perficere non posset, quia etsi pontifex concedere illi quod petierat voluit, non tamen cives Romani ut tam longe ab urbe secederet potuerunt permittere; mox ut ipse pontificatus officio functus est, perfecit opus diu desideratum, alios quidem prædicatores mittens, sed ipse prædicationem ut fructificaret suis exhortationibus ac precibus adiuvans. Misit ergo beatus papa Gregorius servum Dei Augustinum, sicut prædiximus, et alios

---

[1] *Angli*] om. Bed.
[2] *apostolicæ*] et apostolicæ, Bed.
[3] *converterentur*] converteretur, Bed.

plures cum eo monachos timentes Deum[1] prædicare verbum Dei genti Anglorum. Qui [cum][2] iussis pontificalibus obtemperantes, memoratum opus aggredi cœpissent, iamque aliquantulum itineris confecissent, perculsi timore inerti redire domum potius, quam barbaram, feram, incredulamque gentem, cuius nec linguam quidem nossent, adire cogitabant, et hoc esse tutius communi consilio decernebant. Nec mora: Augustinum, quem eis episcopum ordinandum si ab Anglis susciperentur disposuerat, domum remittunt, qui a beato Gregorio humili supplicatu optineret, ne tam periculosam, tam laboriosam, tam incertam peregrinationem adire deberent. Quibus ille exhortatorias mittens litteras, in opus eos verbi Divino confisos auxilio proficisci suadet. Quarum videlicet litterarum ista est forma:

The mission of Augustine.

"Gregorius servus servorum Dei, servis Dei[3] nostri. Quia melius fuerat bona non incipere, quam ab his quæ cœpta sunt cogitatione retrorsum redire, summo studio, dilectissimi filii, oportet ut opus bonum, quod auxiliante Domino cœpistis, impleatis. Nec labor vos ergo itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant: sed omni instantia omnique fervore quæ inchoastis Deo auctore peragite: scientes quod laborem magnum maior æternæ retributionis gloria sequitur. Remeanti autem Augustino præposito vestro, quem et abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite: scientes hoc vestris animabus per omnia profuturum, quicquid a vobis fuerit in eius admonitione completum. Omnipotens Deus sua vos gratia protegat, et vestri laboris fructum in æterna me patria videre concedat; quatinus etsi vobiscum laborare nequeo, simul in gaudio retributionis inveniar, quia laborare

Gregory encourages the missionaries to persevere. (Greg. Ep. vi. 51.)

---

1 *Deum*] Dominum, Bed. i. 23.
2 *cum*] om. MS. But see Bed.
3 *Dei*] Domini, Bed.

scilicet[1] volo. Deus vos incolumes custodiat, dilectissimi filii.

Jul. 23, an. Mauric. imper. 14. "Data die decima kalendarum Augustarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto quarto decimo, post consulatum eiusdem domini anno tertio decimo, indictione quarta decima."

Cap. II.

Bed. i. 24. *Quod beatus Gregorius misit litteras ad Ethereum Arelatensem Archiepiscopum.*

Letter of Gregory to Ethereus bishop of Arles.

Misit etiam tunc idem venerandus pontifex Gregorius ad Ethereum Arelatensem archiepiscopum litteras, ut Augustinum pergentem Britanniam benigne susciperet, quarum litterarum iste est textus:

"Reverentissimo et sanctissimo fratri Ethereo coepiscopo, Gregorius servus servorum Dei. Licet apud sacerdotes habentes Deo placitam caritatem religiosi viri nullius commendatione indigeant; quia tamen aptum tempus se scribendi ingessit, fraternitati vestræ nostra mittere scripta curavimus: insinuantes, latorem præsentium Augustinum servum Dei, de cuius certi sumus studio, cum aliis servis Dei illic nos pro utilitate animarum auxiliante Domino direxisse: quem necesse est ut sacerdotali studio sanctitas vestra adiuvare, et sua ei solacia præbere festinet. Cui etiam ut promptiores ad suffragandum possitis existere, causam vobis ei iniunximus subtiliter indicare; scientes quod ea cognita, tota vos propter Deum devotione ad solaciandum, quia res exigit, commendetis.[2] Candidum præterea presbyterum, communem filium, quem ad

[1] *scilicet*] si licet, MS.; scilicet, Bed.

[2] *commendetis*] commodetis, Bed. i. 24.

gubernationem patrimoniali ecclesiæ nostræ transmisimus, caritati vestræ in omnibus commendamus. Deus te incolumen custodiat, reverentissime frater.

"Data die decimo kalendarum Augustarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto [anno decimo quarto, post consulatum eiusdem domini nostri][1] anno tertio decimo, indictione quarta decima." Jul. 23.

Cap. III.

Quod Augustinus cum famulis Christi qui erant cum eo rediit in opus verbi pervenitque Britanniam. Bed. i. 25.

Roboratus ergo confirmatione beati patris Gregorii Augustinus cum famulis Christi qui erant cum eo, rediit in opus verbi pervenitque Britanniam. Erat eo tempore rex Æthelbertus in Kantia potentissimus, qui ad confinium usque Humbræ fluminis maximi, quo meridiani et septentrionales Anglorum populi dirimuntur, fines imperii tetenderat. Est autem ad orientalem Kantiæ plagam Tanatos insula non modica, id est, magnitudinis iuxta consuetudinem æstimationis Anglorum, familiarum sexcentarum, quam a continenti terra secernit fluvius Wantsuma, qui est latitudinis circiter trium stadiorum, et duobus tantum in locis est transmeabilis: utrumque enim caput protendit in mare. In hac ergo applicuit servus Domini Augustinus, et socii eius viri ferme quadraginta. Acceperat autem, præcipiente beato Gregorio papa, de gente Francorum interpretes, et mittens ad Æthelbertum, mandavit se venisse de Roma, ac nuntium ferre optimum, qui sibi obtem-

A.D. 597. Augustine lands in the Isle of Thanet.

He announces his mission to Ethelbert, king of Kent.

[1] *anno—nostri*] om. MS. But see Bed.

perantibus æterna in cœlis gaudia et regnum sine fine cum Deo[1] vivo et vero futurum sine ulla dubietate promitteret. Qui hæc audiens, manere illos in ea quam adierant insula, et eis necessaria ministrari, donec videret quid eis faceret, iussit. Nam et antea fama ad eum Christianæ religionis pervenerat, utpote qui et uxorem habebat Christianam de gente Francorum reginam, vocabulo Bertham: quam ea condicione a parentibus acceperat, ut ritum fidei ac religionis suæ cum episcopo quem ei adiutorem fidei dederant, nomine Liuthardo, inviolatum servare licentiam haberet.

The king visits Augustine.

Post dies ergo venit ad insulam rex, et residens sub divo iussit Augustinum cum sociis ad suum ibidem advenire colloquium. Caverat autem[2] ne in aliquam domum ad se introirent, vetere usus augurio, ne superventu suo, si quid maleficæ artis habuissent, eum superando deciperent. At illi non dæmonica sed Divina virtute præditi veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, et imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam, letaniasque canentes pro sua simul et eorum propter quos et ad quos venerant salute æterna Domino supplicabant. Cumque ad iussionem regis residentes verbum ei vitæ una cum omnibus qui aderant eius comitibus prædicarent, respondit rex dicens: "Pulcra quidem sunt verba et promissa quæ affertis; sed quia nova sunt et incerta, non his modo possum assensum tribuere, relictis eis quæ tanto tempore cum omni Anglorum gente servavi. Verum quia de longe in regnum meum peregrini venistis, et ut ego mihi videor perspexisse, ea quæ vos vera et optima credebatis, nobis quoque communicare desiderastis; nolumus molesti esse vobis: quin potius benigno vos hospitio recipere, et quæcunque victui vestro sunt necessaria ministrare curamus: nec tamen prohibemus

---

[1] *Deo*] do, first hand; deo, second hand. [2] *autem*] enim, Bed.

quin omnes quos potestis fidei vestræ religionis prædicando societis." Dedit ergo eis mansionem in civitate Dorobernensi, quæ imperii sui totius erat metropolis, eisque, ut promiserat, cum administratione victus temporalis licentiam quoque prædicandi non abstulit. Appropinquans autem Augustinus cum sociis suis civitati Dorobernensi more suo cum cruce sancta et imagine magni Regis Domini nostri Iesu Christi, hanc letaniam consona voce modulabantur: "Deprecamur Te, Domine, in omni misericordia Tua, ut auferatur furor Tuus et ira Tua a civitate ista et de domo sancta Tua, quoniam peccavimus. Alleluya."

And allows him to reside at Canterbury.

Cap. IV.

Quod in data sibi mansione cœperunt apostolicam primitivæ ecclesiæ vitam imitari.

Bed. i. 26.

At ubi datam sibi mansionem intraverant, cœperunt apostolicam primitivæ ecclesiæ vitam imitari; orationibus videlicet assiduis, vigiliis ac ieiuniis serviendo, verbum vitæ quibus poterant prædicando, cuncta huius mundi velut aliena spernendo, ea tantum quæ victui necessaria videbantur ab eis quos docebant accipiendo, secundum ea quæ docebant ipsi per omnia vivendo, et paratum ad patiendum adversa quæque vel etiam moriendum pro ea quam prædicabant veritate animum habendo. Quid mora? crediderunt nonnulli et baptizabantur, mirantes simplicitatem innocentis vitæ ac dulcedinem doctrinæ eorum cœlestis. Erat autem prope ipsam civitatem ad orientem ecclesia in honorem sancti Martini antiquitus facta, dum adhuc Romani Britanniam incolerent, in qua regina,[1] quam Christianam

Devout life of the missionaries.

---

[1] *regina*] regina regina, MS.

fuisse prædiximus, orare consueverat. In hac ergo et ipsi primo convenire, psallere, orare, missas facere, prædicare et baptizare cœperunt; donec rege ad fidem converso, maiorem prædicandi per omnia et ecclesias fabricandi vel restaurandi licentiam acciperent. At ubi ipse etiam inter alios delectatus vita mundissima sanctorum et promissis eorum suavissimis, quæ vera esse miraculorum quoque multorum ostensione firmaverant, credens baptizatus est, cœperunt plures, et non pauci cotidie, ad audiendum verbum confluere, ac relicto gentilitatis ritu unitati se sanctæ Christi ecclesiæ credendo sociare. Quorum fidei et conversioni ita congratulatus esse rex perhibetur, ut nullum tamen cogeret ad Christianismum, sed tantummodo credentes artiori dilectione quasi concives sibi regni cœlestis amplecteretur. Didicerat enim a doctoribus autoribusque suæ salutis, servitium Christi voluntarium non coacticium esse debere. Nec distulit, quin etiam ipsis doctoribus suis locum sedis eorum gradui condignum in Doroberni metropoli sua donaret, simul et necessarias in diversis speciebus possessiones conferret.

Baptism of Ethelbert.

Cap. V.

Bed. i. 27.

Quod Augustinus genti Anglorum est episcopus ordinatus.

Augustine is consecrated by Ethereus.

INTEREA vir Domini Augustinus venit Arelas, et ab archiepiscopo eiusdem civitatis Ethereo, iuxta quod iussa sancti patris Gregorii acceperat, episcopus genti Anglorum ordinatus est. Reversusque in Britanniam, misit continuo Romam Laurentium presbyterum et Petrum monachum, qui beato pontifici Gregorio gentem Anglorum fidem Christi suscepisse et se episcopum factum esse referrent: simul et de eis quæ necessariæ videbantur quæstionibus eius consulta flagitans. Nec mora: congrua quæsitui responsa recepit; quæ etiam huic historiæ nostræ commodum duximus inserere.

CAP. VI.

Interrogationes Augustini et responsiones Gregorii. Bed. i. 27; Greg. Epist. xi. 64.

INTERROGATIO beati Augustini episcopi Cantuariensis ecclesiæ "de episcopis, qualiter cum suis clericis conversentur, vel de his quæ fidelium oblationibus accedunt altario, quantæ debeant fieri portiones." Questions of Augustine, and replies of Gregory. 1. Distribution of church revenues.

Responsio Gregorii. "Qualiter episcopus agere debeat in ecclesia sacra Scriptura testatur, quam te[1] bene nosse dubium non est, et specialiter beati Pauli ad Timotheum epistolæ, in quibus eum erudire studuit qualiter in domo Dei conversari debuisset. Mos autem sedis apostolicæ est, ordinatis episcopis præcepta tradere, ut ex omni stipendio quod accedit quatuor debeant fieri portiones; una videlicet episcopo et familiæ propter hospitalitatem atque susceptionem; alia clero; tertia pauperibus; quarta ecclesiis reparandis. Sed quia tua fraternitas monasterii regulis erudita seorsum fieri non debet a clericis suis, in ecclesia Anglorum, quæ autore Deo nuper adhuc ad fidem perducta est, hanc debet conversationem instituere, quæ in initio nascentis ecclesiæ fuit patribus nostris; in quibus nullus eorum ex his quæ possidebant aliquid suum esse dicebat, sed erant eis communia omnia. Church revenues divided into four portions: 1. for the bishop; 2. for the clergy; 3. for the poor; 4. for repairs of churches.

"Si qui vero sunt clerici extra sacros ordines constituti, qui se continere non possunt, sortiri uxores debent et stipendia sua exterius accipere. Quia et Marriage of clergy.

---

[1] *te*] de, MS.

de eisdem patribus de quibus præfati sumus novimus scriptum, quod dividebatur singulis prout cuique opus erat. De eorum quoque stipendio cogitandum atque providendum est, et sub ecclesiastica regula sunt tenendi, ut bonis moribus vivant et canendis psalmis invigilent, et ab omnibus illicitis et cor et linguam et corpus Deo auctore conservent. Communi autem vita viventibus iam de faciendis portionibus vel exhibenda hospitalitate et adimplenda misericordia nobis quid erit loquendum? cum omne quod superest in causis piis ac religiosis erogandum est; Domino Magistro omnium docente: Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis."

Their stipend and rule of life.

2. Masses.

Interrogatio beati Augustini.[1] "Cur cum una scitur[2] fides, sunt ecclesiarum diversæ consuetudines, et altera consuetudo missarum in sancta Romana ecclesia atque altera in Gallia tenetur?"

Responsio beati Gregorii. "Novit fraternitas tua Romanæ ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit nutritam. Sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in Galliarum, seu in qualibet ecclesia, aliquid invenisti quod plus Omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, et in Anglorum ecclesia, quæ adhuc ad fidem nova est, institutione præcipua, quæ de multis ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis quibusque ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige, et hæc quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem depone."

3. Sacrilege.

Interrogatio beati Augustini. "Obsecro quid pati debet, si quis aliquid de ecclesia furto abstulerit?"

---

[1] *Augustini*] Et altera consuetudo missarum, erased in MS.

[2] *scitur*] sit, Bed.

Responsio beati Gregorii. "Hoc tua fraternitas ex persona furis pensare potest, qualiter valeat corrigi. Sunt enim quidam qui habentes subsidia furtum perpetrant, et sunt alii qui hac in re ex inopia delinquunt: unde necesse est ut quidam damnis, quidam vero verberibus; et quidam districtius, quidam autem levius corrigantur. Et cum paulo districtius agitur, ex caritate agendum est, et non ex furore: quia ipsi hoc præstatur qui corrigitur, ne gehennæ ignibus tradatur. Sic enim nos fidelibus tenere disciplinam debemus, sicut boni patres carnalibus filiis solent, quos et pro culpis verberibus feriunt, et tamen ipsos, quos doloribus affligunt, habere heredes quærunt, et quæ possident ipsis servant, quos irati insequi videntur. Hæc ergo caritas in mente tenenda est, et ipsa modum correctionis dictat, ita ut mens extra rationis regulam omnino nihil faciat. Addis etiam, quomodo ea quæ furto de ecclesiis abstulerint reddere debeant. Sed absit ut ecclesia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, et lucra de vanis quærere."

4. Marriage with brother's wife's sister.

Interrogatio beati Augustini. "Si debeant duo germani fratres singulas sorores accipere, quæ sunt ab illis longa progenie generatæ?"

Responsio beati Gregorii. "Hoc fieri modis omnibus licet: nequaquam enim in sacris eloquiis invenitur, quod huic capitulo contradicere videatur."

5. Marriage of kindred.

Interrogatio beati Augustini. "Usque ad quotam generationem debeant fideles cum propinquis sibi coniugio copulari? et in novercis et cognatis si liceat copulari coniugio?"

Responsio beati Gregorii. "Quædam terrena lex in Romana republica permittit, ut sive fratris et sororis,[1] seu duorum fratrum germanorum vel duarum soro-

---

[1] *fratris et sororis*] frater et soror. MS. Cf. Justinian. Instit. i. 10, § 4.

rum filius et filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere: Et sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est ut iam tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi iungi debeat: nam secunda quam diximus a se omni modo debet abstinere. Cum noverca autem misceri grave est facinus, quia et in lege scriptum est:[1] 'Turpitudinem patris tui non revelabis.' Neque enim patris turpitudinem filius revelare potest. Sed quia scriptum est:[2] 'Erunt duo in carne una;' qui turpitudinem novercæ quæ una caro cum patre fuit revelare præsumpserit, profecto patris turpitudinem revelavit. Cum cognata quoque misceri prohibitum est, quæ per iunctionem priorem caro fratris fuerit facta. Pro qua re etiam Johannes Baptista capite truncatus est et sancto martyrio consummatus, cui non est dictum ut Christum negaret, et pro Christi confessione occisus est;[3] sed quia idem Dominus noster Jesus Christus dixerat:[4] 'Ego sum veritas;' quia pro veritate Johannes occisus est, videlicet pro Christo sanguinem fudit. Quia vero sunt multi in Anglorum gente, qui dum adhuc in infidelitate essent, huic nefando coniugio dicuntur admixti, ad fidem venientes admonendi sunt ut se abstineant,[5] et grave hoc esse peccatum cognoscant. Tremendum Dei iudicium[6] timeant ne pro carnali dilectione tormenta æterni cruciatus incurrant. Non tamen pro hac re sacri corporis ac sanguinis Domini communione privandi sunt, ne in eis illa ulcisci videantur, in quibus se per ignorantiam ante lavacrum baptismatis astrinxerunt. In hoc enim tem-

[1] Levit. xviii. 7.

[2] Gen. ii. 24.

[3] *consummatus—occisus est*] Perhaps we should read, consummatus, et pro . . . occisus est; cui non . . . negaret; sed quia, &c.

[4] John xiv. 6.

[5] *abstineant*] abstinent, MS.

[6] *Tremendum — iudicium*] Tremendum dedi iud. et, &c., MS.

pore sancta ecclesia quædam per fervorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam per considerationem dissimulat, atque ita portat et dissimulat, ut sæpe malum quod adversatur portando et dissimulando compescat. Omnes autem qui ad fidem veniunt, admonendi sunt, ne tale aliquid audeant perpetrare. Si qui autem perpetraverint, corporis et sanguinis Domini communione[1] privandi sunt: quia sicut in his qui per ignorantiam fecerunt, culpa aliquatenus toleranda est, ita in his fortiter insequenda, qui non metuunt sciendo peccare."

Interrogatio beati Augustini. "Si longinquitas itineris magna interiacet, ut episcopi non facile valeant convenire, an debeat sine aliorum episcoporum præsentia episcopus ordinari?" 6. Consecration of bishops.

Responsio beati Gregorii. "Ut quidem in Anglorum ecclesia, in qua adhuc solus tu episcopus inveniris, ordinare episcopum non aliter nisi sine episcopis potes. Nam quando de Gallis episcopi veniunt, qui in ordinatione episcopi testes assistant?[2] Sed fraternitatem tuam ita volumus episcopos ordinare, ut ipsi sibi episcopi longo intervallo minime disiungantur, quatinus nulla sit necessitas; ut in ordinatione episcopi pastores quoque alii quorum præsentia valde est utilis facile debeant[3] convenire. Cum igitur auctore Deo ita fuerint episcopi in propinquis sibi locis ordinati, per omnia episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus vel quattuor episcopis fieri non debet. Nam in ipsis rebus spiritualibus, ut sapienter et mature disponantur, exemplum trahere a rebus etiam carnalibus possumus. Certe enim dum coniugia in mundo celebrantur, coniugati quique convocantur, ut qui in via iam coniugii præcesserunt, in subsequentis quoque copulæ gaudio

---

[1] *communione*] communionē, MS.
[2] *assistant*] assitant, MS.
[3] *debeant*] non debeant, MS.; debeant, Bed.

misceantur. Cur non ergo et in hac spirituali ordinatione, qua per sacrum ministerium homo Deo coniungitur, tales conveniant, qui vel in provectu ordinati episcopi gaudeant, vel pro eius custodia Omnipotenti Deo preces pariter fundant?"

7. Relation of Augustine to the bishops of Gaul and Britain.

Interrogatio beati Augustini. "Qualiter debemus cum Galliarum atque Britannorum episcopis agere?"

Responsio beati Gregorii. "In Galliarum episcopis nullam autoritatem tribuimus: quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus pallium Arelatensis episcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minime debemus. Si igitur contingat ut fraternitas tua ad Galliarum provinciam transeat, cum eodem Arelatensi episcopo debet agere, qualiter si qua sunt vitia in episcopis, corrigantur. Qui si forte in disciplinæ vigore tepidus existat, tuæ fraternitatis zelo accendendus est. Cui etiam epistolas fecimus, ut cum tuæ sanctitatis præsentia in Galliis et ipse tota mente subveniat, et quæ sunt Creatoris nostri iussioni contraria ab episcoporum moribus compescat. Ipse autem extra autoritatem propriam episcopus Galliarum iudicare non poteris; sed suadendo, blandiendo, bona quoque[1] opera tua eorum imitationi monstrando, pravorum mentes ad sanctitatis studia reforma: quia scriptum est in lege:[2] 'Per alienam messem transiens, falcem mittere non debet, sed manu spicas conterere et manducare.' Falcem ergo iudicii mittere non potes in ea segete, quæ alteri videtur commissa; sed per affectum boni operis frumenta Dominica vitiorum suorum paleis expolia, et in ecclesiæ corpus[3] monendo et persuadendo quasi mandendo converte. Quicquid vero ex autoritate agendum est, cum prædicto Arelatensi episcopo agatur, ne prætermitti possit hoc, quod antiqua

[1] *quoque*] quosque, MS.
[2] Deut. xxiii. 25.
[3] *corpus*] corpore, Bed.

patrum institutio invenit. Britannorum vero omnes episcopos tuæ fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, perversi auctoritate corrigantur."

Interrogatio beati Augustini. "Si prægnans mulier debeat baptizari? aut postquam genuerit, post quantum tempus possit ecclesiam intrare? aut etiam ne morte præoccupetur quod genuerit, post quot dies hoc liceat sacri baptismatis sacramenta percipere? aut post quantum tempus huic vir suus possit in carnis copulatione coniungi? aut si menstrua consuetudine tenetur, an ecclesiam intrare ei liceat, aut sacræ communionis sacramenta percipere? aut vir suæ coniugi permixtus, priusquam lavetur aqua, si ecclesiam possit intrare? vel etiam ad mysterium communionis sacræ accedere? Quæ omnia rudi Anglorum genti oportet haberi comperta."

8. Should pregnancy, or childbirth, or menstruation exclude from baptism or public worship?

Responsio beati Gregorii. "Hoc non ambigo fraternitatem tuam esse requisitam, cui iam responsum reddidisse me arbitror. Sed hoc quod ipse dicere et sentire potuisti, credo quia mea apud te volueris responsione uti et firmari. Mulier etenim prægnans cur non debeat baptizari, cum non sit ante Omnipotentis Dei oculos culpa aliqua fecunditas carnis? Nam cum primi parentes nostri in paradiso deliquissent, immortalitatem quam acceperant recto Dei iudicio perdiderunt. Quia itaque idem Omnipotens Deus humanum genus pro culpa sua funditus extinguere noluit, et immortalitatem homini pro peccato suo abstulit, et tamen pro benignitate suæ pietatis fecunditatem ei sobolis reservavit. Quod ergo naturæ humanæ ex Omnipotentis Dei dono servatum est, qua ratione poterit a sacri baptismatis gratia prohiberi? In illo quippe mysterio, in quo omnis culpa funditus extinguitur, valde stultum est, si donum gratiæ contradicere videatur. Cum vero enixa fuerit mulier, post quot dies debeat ecclesiam intrare, Testamenti veteris

præceptione[1] didicisti, ut pro masculo diebus triginta tribus, pro femina autem diebus sexaginta sex debeat abstinere. Quod tamen sciendum est quia in mysterio accipitur. Nam si hora eadem qua genuerit actura gratias intrat ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur: voluptas enim carnis, non dolor in culpa est. In carnis autem commixtione voluptas est: nam in prolis prolatione gemitus. Unde et ipsi primæ matri omnium dicitur,[2] 'In doloribus paries.' Si itaque enixam mulierem prohibemus ecclesiam intrare, ipsam ei pœnam suam in culpam deputamus. Baptizari autem vel enixam mulierem, vel hoc quod genuerit, si mortis periculo urgetur, vel ipsam hora eadem qua gignit,[3] vel hoc quod gignitur, eadem hora qua natum est, nullo modo prohibetur: quia sancti mysterii gratia, sicut viventibus atque discernentibus cum magna discretione providenda est; ita quibus mors inminet, sine ulla dilatione offerenda; ne dum adhuc tempus ad præbendum redemptionis mysterium quæritur, interveniente paululum mora inveniri non valeat qui redimatur.

"Ad eius vero concubitum vir suus accedere non debet, quoadusque qui gignitur[4] purificetur.[5] Prava autem consuetudo in coniugatorum moribus surrexit, ut mulieres filios quos gignunt nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant, quod videlicet ex sola causa incontinentiæ videtur inventum: quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque quæ filios suos ex prava consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus transierit, viris suis non debent admisceri: quippe quia et sine partus

[1] Levit. xii.
[2] Gen. iii. 16.
[3] *gignit*] gingnit, MS.
[4] *gignitur*] gingnitur, MS.
[5] *purificetur*] ablactatur, Bed.

causa, cum in consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibentur; ita ut morte lex sacra[1] feriat, si quis ad menstruatam mulierem accedat. Quæ tamen mulier dum consuetudinem menstruatam patitur, prohiberi ecclesiam intrare non debet; quia ei naturæ superfluitas in culpam non valet reputari: et pro hoc quod invita patitur, iustum non est ut ingressu ecclesiæ privetur. Novimus namque quod mulier quæ fluxum patiebatur sanguinis, post tergum Domini humiliter veniens, vestimenti eius fimbriam tetigit, [atque][2] ab ea statim sua infirmitas recessit. Si ergo in fluxu sanguinis posita laudabiliter potuit Domini vestimentum tangere: cur quæ menstruam sanguinis patitur, ei non liceat Domini ecclesiam intrare? Sed dicis: Illam infirmitas compulit; has vero de quibus loquimur, consuetudo constringit. Perpende autem, frater carissime, quia omne quod in hac mortali carne patimur ex infirmitate naturæ, est digno Dei iudicio post culpam ordinatum.[3] Esurire namque, sitire, æstuare, algere, lassescere, ex infirmitate naturæ est. Et quid est aliud, contra famem alimenta, contra sitim potum, contra æstum auras, contra frigus vestem, contra lassitudinem requiem quærere, nisi medicamentum quoddam contra ægritudines explorare? Feminis itaque et menstruus sui sanguinis fluxus ægritudo est. Si igitur bene præsumpsit quæ vestimentum Domini in languore posita tetigit, quod uni personæ infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus, quæ suæ naturæ vitio infirmantur? Sanctæ autem communionis mysterium in eisdem[4] diebus percipere non debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si perceperit, non iudicanda. Bonarum quippe mentium

---

[1] Levit. xx. 18.
[2] *atque*] om. MS.
[3] *ordinatum*] ordinatī, MS.
[4] *eisdem*] hisdem, MS.

est, et ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est; quia sæpe sine culpa agitur, quod venit ex culpa: unde etiam cum esurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis factum est ut esuriremus. Menstrua enim consuetudo mulieribus non aliqua culpa est, videlicet quia naturaliter accedit. Sed tamen quod natura ipsa ita vitiata est, ut etiam sine voluntatis studio videatur esse polluta, ex culpa venit vitium, in quo se ipsam, qualis per iudicium facta sit, humana natura cognoscat; et homo qui culpam sponte perpetravit, reatum culpæ portet invitus. Atque ideo feminæ cum semetipsas considerant et in menstrua consuetudine ad sacramentum Domini corporis et sanguinis accedere non præsumunt, de sua recta consideratione laudandæ sunt; dum vero percipiendi ex religiosæ vitæ consuetudine eiusdem mysterii amore rapiuntur, reprimendæ, sicut prædiximus, non sunt. Sicut enim in Testamento veteri exteriora opera observantur, ita in Testamento novo, non tam quod exterius agitur, quam id quod interius cogitatur, sollicita intentione attenditur, ut subtili sententia puniatur. Nam cum multa Lex velut inmunda manducari prohibeat; in Evangelio[1] tamen Dominus dicit: 'Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quæ exeunt de ore, illa sunt quæ coinquinant hominem.' Atque paulo post subiecit exponens.[2] 'Ex corde exeunt cogitationes malæ.' Ubi ubertim indicatum est, quia illud ab Omnipotenti Deo pollutum esse in opere ostenditur, quod ex pollutæ cogitationis radice generatur. Unde Paulus quoque apostolus dicit:[3] 'Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum.' Atque mox eiusdem coinquinationis causam annuntians subiungit: 'Coinquinata sunt enim et mens

[1] Matt. xv. 11.
[2] Matt. xv. 19.
[3] Tit. i. 15.

eorum et conscientia.' Si ergo ei cibus inmundus non est, cuius mens inmunda non fuerit: cur quod munda mente mulier ex natura patitur, ei in inmunditiam reputetur?

"Vir autem cum propria coniuge dormiens, nisi lotus aqua, intrare ecclesiam non debet; sed neque lotus intrare statim debet. Lex autem populo veteri præcepit,[1] ut mixtus vir mulieri et lavari aqua debeat, et ante solis occasum ecclesiam non intrare: quod tamen intelligi spiritualiter potest. Quia mulieri vir miscetur, quando illicitæ concupiscentiæ animus in cogitatione per delectationem coniungitur; quia nisi prius ignis concupiscentiæ a mente deferveat, dignum se congregatione fratrum æstimare non debet, qui se gravari per nequitiam pravæ voluntatis videt. Quamvis de hac re diversæ hominum nationes diversa sentiant, atque alia custodire videantur; Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriæ coniugis et lavacri purificationem quærere, et ab ingressu ecclesiæ paululum reverenter abstinere. Nec hoc dicentes culpam deputamus esse coniugium; sed quia ipsa licita admixtio[2] coniugis sine voluptate carnis fieri non potest, a sacri loci ingressu abstinendum est; quia voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. Non enim de adulterio vel fornicatione, sed legitimo coniugio natus fuerat qui dicebat:[3] 'Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea.' Qui enim in iniquitatibus conceptum se noverat, a delicto se natum gemebat: quia portat arbor in ramo humorem vitii, quem traxit ex radice. In quibus tamen verbis non ipsam admixtionem coniugum iniquitatem nominat, sed ipsam videlicet voluptatem admixtionis. Sunt enim multa licita ac legitima,

---

[1] Lev. xv. 16, 17.
[2] *admixtio*] admixeo, MS.
[3] Psal. li. 5.

et tamen in eorum actu aliquatenus fœdamur; sicut sæpe irascendo culpas insequimur, et tranquillitatem in nobis animi perturbamus: et cum rectum sit quod agitur, non est tamen approbabile quod in eo animus perturbatur. Contra vitia quippe delinquentium iratus fuerat qui dicebat:[1] 'Turbatus est præ ira oculus meus.' Quia enim non valet nisi[2] tranquilla mens in contemplationis se lucem suspendere, in ira suum oculum turbatum dolebat: quia dum male acta deorsum insequitur, confundi atque turbari et summorum contemplatione cogebatur. Et laudabilis ergo est ira contra vitium, et tamen molesta, quia turbatum se aliquem reatum incurrisse æstimabat. Oportet itaque legitima carnis copula ut causa prolis sit, non voluptatis; et carnis commixtio creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio vitiorum. Si quis vero suam coniugem non cupidine voluptatis raptus, sed solummodo creandorum liberorum gratia utitur, iste profecto sive de ingressu ecclesiæ, seu de sumendo Dominici corporis sanguinisque mysterio, suo est iudicio relinquendus; quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cum vero non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent coniuges etiam de sua commixtione quod defleant. Hoc enim eis concedit sancta prædicatio; et tamen de ipsa concessione metu animum concutit. Nam cum Paulus apostolus diceret:[3] 'Qui se continere non potest, habeat uxorem suam;' statim subiungere curavit: 'Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.' Non enim indulgetur quod licet, quia iustum est. Quod igitur indulgeri dixit, culpam esse demonstravit. Vigilanti vero mente pensandum est, quod in Sina monte

[1] Psal. vi. 7.

[2] *non—nisi*] nisi non valet, MS.

[3] 1 Cor. vii. 2, 6.

Dominus ad populum locuturus, prius eundem populum abstinere a mulieribus præcepit. Et si illic ubi Dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tanta provisione est munditia corporis requisita, ut qui verba Dei perciperent mulieribus mixti non essent; quanto magis mulieres, quæ corpus Domini Omnipotentis accipiunt, custodire in se munditiam carnis debent, ne ipsa inæstimabilis mysterii magnitudine graventur? Hinc etiam ad David de pueris suis per sacerdotem dicitur, ut si a mulieribus mundi essent, panes propositionis[1] acciperent, quos omnino non acciperent, ni prius mundos eos David a mulieribus fateretur? Tunc autem vir qui post admixtionem coniugis lotus aqua fuerit, etiam sacræ communionis mysterium valet accipere, cum ei iuxta[2] præfinitam sententiam etiam ecclesiam licuerit intrare."

Interrogatio beati Augustini. "Si post illusionem quæ per somnum solet accidere, vel corpus Domini quilibet accipere valeat; vel, si sacerdos sit, sacra mysteria celebrare?" **9. Of involuntary pollution.**

Responsio beati Gregorii papæ. "Hunc quidem Testamentum[3] veteris Legis, sicut in superiori capitulo iam diximus, pollutum dicit, et nisi lotum aqua, et usque ad vesperam intrare ecclesiam non concedit. [Quod tunc specialiter illum populum, spiritualiter autem intelligens sub eodem,][4] quod tamen aliter populus spiritualis intelligens, sub eodem intellectu accipiet quo præfati sumus: quia quasi per somnum illuditur qui temptatus inmunditia veris imaginibus in cogitatione inquinatur; sed lavandus est aqua, ut culpas cogitationis lacrimis abluat: et nisi prius ignis temptationis recesserit, reum se quasi usque ad vesperum

---

[1] *propositionis*] propiciationis, MS.
[2] *juxta*] mixta, MS.
[3] Deut. xxiii. 10, 11.
[4] *Quod tunc — eodem*] om. Bed.

cognoscat. Sed est in eadem illusione valde necessaria discretio, quæ subtiliter pensare debeat, ex qua re accidat menti dormientis: aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem ex naturæ superfluitate vel infirmitate cum evenerit, omni modo hæc non est timenda; quia hanc animum nescientem[1] pertulisse magis dolendum est, quam fecisse. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis[2] rapitur, atque iccirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sancti mysterii vel missarum sollemnia celebrandi: cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi mysterium, pro eo quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si assunt alii qui implere ministerium valeant, illusio pro crapula facta a perceptione sacri mysterii prohibere[3] non debet; sed ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet: si tamen dormientis mentem turpi imaginatione non concusserit. Nam sunt quibus ita plerumque illusio nascitur, ut eorum animus, etiam in somno corporis positus, turpibus imaginationibus non fœdetur. Qua in re una sibi ostenditur ipsa mens rea, non tamen vel suo iudicio libera, cum se, etsi dormienti corpore nihil meminit vidisse, tamen in vigiliis corporis meminit in[4] ingluviem cecidisse. Sin vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio dormientis, patet animo reatus suus: videt enim a qua radice inquinatio illa processerit, quia quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens. Sed pensandum est, ipsa cogitatio utrum suggestione, an

[1] *animum nescientem*] animus nesciens, MS.

[2] *alimentis*] alimentis alimentis, MS.

[3] *prohibere*] prohiberi, MS.

[4] *in*] om. MS.

delectatione, vel, quod maius est, peccati consensu acciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum; videlicet suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum: quia et primam culpam serpens suggessit, Eva velut caro delectata est, Adam velut spiritus consensit: et necessaria est magna discretio, ut inter suggestionem atque delectationem, inter delectationem et consensum, iudex sui animus præsideat. Cum enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omni modo perpetratum non est: cum vero delectari caro cœperit, tunc peccatum incipit nasci: si autem ex deliberatione consentit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati initium est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio. Et sæpe contingit ut hoc quod malignus spiritus seminat in cogitatione, carnem in delectationem trahat; nec tamen animus eidem delectationi consentiat: et cum caro delectari sine anima nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans in delectatione carnali aliquo modo ligatur invitus, ut ei et ratione contradicat, ne consentiat, et tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat. Unde et ille cœlestis exercitus præcipuus miles gemebat dicens:[1] 'Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.' Si autem captivus erat, minime pugnabat; sed pugnabat: quapropter captivus non erat; pugnabat igitur lege[2] mentis, cui lex quæ in membris est repugnabat. Et si[3] pugnabat, captivus non erat. Ecce itaque homo est,

[1] Rom. vii. 23.

[2] *sed—lege*] sed et pugnabat; quapropter et captivus erat, et pugnabat igitur legi, Bed.

[3] *Et si*] Et sic, MS.

ut ita dixerim, captivus et liber; liber ex iustitia quam diligit, captivus ex delectatione quam portat invitus."

CAP. VII.

Bed. i. 28; Greg. Epist. xi. 68.

Quod beatus Gregorius misit epistolam Virgilio episcopo.

HUCUSQUE responsiones beati papæ Gregorii ad consulta reverentissimi antistitis Augustini. Epistolam vero quam se Arelatensi episcopo fecisse commemorat,[1] ad Virgilium Etherii successorem dederat. Cuius hæc forma est:

Letter of Pope Gregory to Virgil, bishop of Arles.

Commends Augustine to his care.

" Reverentissimo et sanctissimo fratri Virgilio coepiscopo Gregorius servus servorum Dei. Quantus sit affectus venientibus sponte fratribus impendendus, ex eo quod plerumque solent caritatis causa invitari, cognoscitur. Et ideo si communem fratrem Augustinum episcopum ad vos venire contigerit, ita illum dilectio vestra, sicut decet, affectuose dulciterque suscipiat, ut et ipsum consolationis suæ bono refoveat, et alios quoque, qualiter fraterna caritas colenda sit, doceat. Et quoniam sæpius evenit, ut hi qui longe sunt positi, prius ab aliis quæ sunt emendanda,[2] cognoscant: si quas fortasse fraternitati vestræ sacerdotum vel aliorum culpas intulerit, una cum eo residentes subtili cuncta investigatione perquirite, et ita vos in ea quæ Deum offendunt et ad iracundiam provocant districtos ac solicitos exhibete, ut ad aliorum emendationem et vindicta culpabilem feriat, et

---

[1] Supra, p. 64.

[2] *quæ—emendanda*] quæ sunt quæ emendanda, MS.

innocentem falsa opinio non affligat. Deus te incolumem custodiat, reverentissime frater.

"Data die decima kalendarum Juliarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto anno nono decimo, post consulatum eiusdem domini nostri anno octavo decimo, indictione quarta." Jun. 22, A.D. 601.

Cap. VIII.

Quod beatus Gregorius misit plures prædicatores in Britanniam. Bed. i. 29.

Gregory sends to Augustine Mellitus, Paulinus, and other assistants, with sacred vessels and vestments, books and relics, also the pall.

PRÆTEREA idem papa Gregorius Augustino episcopo, quia suggesserat ei multam quidem sibi esse messem, sed operarios paucos, misit cum præfatis legatariis suis plures cooperatores ac verbi ministros:[1] in quibus primi et præcipui erant Mellitus, Justus, Paulinus, Rufinianus; et per eos generaliter universa quæ ad cultum erant ac ministerium ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra et vestimenta altarium, ornamenta quoque ecclesiarum et sacerdotalia vel clericalia indumenta, sanctorum etiam apostolorum ac martyrum reliquias, nec non et codices plurimos. Misit etiam litteras in quibus significat se ei pallium direxisse, simul et insinuat qualiter episcopos in Britannia constituere debuisset; quarum litterarum iste est textus:[2]

Letter of Gregory to Augustine.

"Reverentissimo et sanctissimo fratri Augustino coepiscopo Gregorius servus servorum Dei. Cum certum sit pro Omnipotenti Deo laborantibus ineffabilia æterni regni præmia reservari; nobis tamen eis

---

[1] *ministros*] ministris, MS. [2] Greg. Epist. xi. 65.

sua non videt destrui, de corde errorem deponat, et Deum verum cognoscens ac adorans ad loca quæ consuevit familiarius concurrat. Et quia boves solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet eis etiam hac de re aliqua sollemnitas immutari: ut die dedicationis, vel natalicii sanctorum martyrum quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias quæ ex fanis commutatæ sunt de ramis arborum faciant, et religiosis conviviis sollemnitatem celebrent; nec diabolo iam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, et Donatori omnium de satietate sua gratias referant: ut dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant. Nam duris mentibus simul omnia abscidere impossibile esse non dubium est, quia et is[1] qui summum locum ascendere nititur, gradibus vel passibus, non autem saltibus, elevatur. Sic in Israelitico populo in Ægypto Dominus se quidem innotuit; sed tamen eis sacrificiorum usus quem diabolo solebant exhibere, in cultu proprio reservavit, ut eis in suo sacrificio animalia immolare præciperet; quatinus cor mutantes aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent: ut etsi ipsa essent animalia quæ offerre consueverant, vero tamen Deo hæc et non idolis immolantes, iam sacrificia ipsa non essent. Hæc[2] igitur dilectionem tuam prædicto fratri necesse est dicere, ut ipse in præsenti illic positus perpendat, qualiter omnia debeat dispensare. Deus te incolumem custodiat, dilectissime fili.

Origin of wakes.

"Data die quinta decima kalendarum Juliarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto anno nono decimo, post consulatum[3] eiusdem domini anno octavo decimo, indictione quarta."

Jun. 17. A.D. 601.

---

[1] *is*] his, MS.
[2] *Hæc*] Hanc, MS.
[3] *post consulatum*] pontificatus, MS.

CAP. X.

Quod beatus Gregorius misit Augustino epistolam super miraculis quæ per eum [facta][1] esse cognoverat. Bed. i. 31.

Quo tempore misit etiam Augustino epistolam super miraculis quæ per eum facta esse cognoverat, in qua eum, ne per illorum copiam periculum elationis incurreret, his verbis hortatur:

Gregory writes to Augustine on hearing of the miracles wrought by him, and cautions him against undue elation. (Greg. Ep. xi. 28.)

"Scio, frater carissime, quia Omnipotens Deus per dilectionem tuam in gente quam eligi voluit magna miracula ostendit: unde necesse est ut de eodem dono cœlesti et timendo gaudeas, et gaudendo pertimescas: gaudeas videlicet, quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur; pertimescas vero, ne inter signa quæ fiunt infirmus animus in sui præsumptione se elevet, et unde foras in honorem tollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. Meminisse etenim debemus quia discipuli cum gaudio a prædicatione redeuntes, dum cœlesti Magistro dicerent:[2] 'In Nomine Tuo etiam dæmonia nobis subiecta sunt;' protinus audierunt: 'Nolite gaudere super hoc, sed potius gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo.' In privata[3] enim et temporali lætitia mentem posuerant qui de miraculis gaudebant; sed de privata[4] ad communem, de temporali ad æternam lætitiam revocantur quibus dicitur: 'In hoc gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo.' Non enim omnes electi miracula faciunt; sed tamen eorum nomina omnium in cœlo tenentur ascripta. Veritatis

[1] *facta*] om. MS.
[2] Luc. x. 17, 20.
[3] *privata*] privato, MS.
[4] *privata*] privato, MS.

etenim discipulis esse gaudium non debet, nisi de eo[1] bono quod commune cum omnibus habent, et in quo finem lætitiæ non habent. Restat itaque, frater carissime, ut inter ea quæ operante Domino exterius facis, semper te interius subtiliter iudices, ac subtiliter intelligas, et temetipsum quis sis, et quanta sit in eadem gente gratia, pro cuius conversione faciendorum signorum dona percepisti. Et si quando te Creatori nostro seu per linguam sive per opera reminisceris deliquisse, semper hæc ad memoriam revoces, ut surgentem cordis gloriam memoria reatus premat. Et quicquid de faciendis signis acceperis vel accepisti, hæc non tibi sed illis deputes donata, pro quorum tibi salute collata sunt."

CAP. XI.

Bed. i. 32. *Quod beatus Gregorius misit epistolam regi Ethelberto simul et dona in diversis speciebus perplura.*

MISIT idem papa beatus Gregorius eodem tempore etiam regi Ethelberto epistolam simul et dona in diversis [speciebus][2] perplura; temporalibus quoque honoribus regem glorificare satagens, cui gloriæ cœlestis suo labore et industria notitiam provenisse gaudebat. Exemplar autem præfatæ epistolæ hoc:—

Letter of Gregory to king Ethelbert. (Greg. Ep. xi. 66.)

"Domino gloriosissimo atque præcellentissimo filio Ethelberto regi Anglorum Gregorius episcopus.

"Propter hoc Omnipotens Deus bonos quosque ad populorum regimina perducit, ut per eos omnibus

[1] *nisi de eo*] nisi deo, MS. [2] *speciebus*] om. MS.

quibus prælati fuerint, dona suæ pietatis impendat.[1] Quod in Anglorum gentem factum cognovimus: cui vestra gloria icciroo est præposita, ut per bona quæ vobis concessa sunt, etiam subiectæ vobis genti superna beneficia præstarentur. Et ideo, gloriose fili, eam quam accepisti divinitus gratiam, sollicita mente custodi, Christianam fidem in populis tibi subditis extendere festina, zelum rectitudinis tuæ in eorum conversione multiplica, idolorum cultus insequere, fanorum ædificia everte,[2] subditorum mores et magna vitæ munditia, exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, et boni operis exempla monstrando ædifica: ut illum retributorem invenias in cœlo, cuius nomen atque cognitionem dilataveris in terra. Ipse enim vestræ quoque gloriæ nomen etiam posteris gloriosius reddet, cuius vos honorem quæritis et servatis in gentibus.

"Sic etenim Constantinus quondam piissimus imperator, Romanam rempublicam a perversis idolorum cultibus revocans, Omnipotenti Deo Domino nostro Jesu Christo secum subdidit, seque cum subiectis populis tota ad eum mente convertit. Unde factum est ut antiquorum principum nomen suis vir ille laudibus vinceret, et tanto in opinione præcessores suos, quanto et in bono opere superaret. Et nunc itaque vestra gloria cognitionem unius Dei,[3] Patris et Filii et Spiritus Sancti, regibus ac populis sibimet subiectis festinet infundere, ut et antiquos gentis suæ reges laudibus ac meritis transeat, et quanto in subiectis suis etiam aliena peccata deterserit, tanto etiam de peccatis propriis ante Omnipotentis Dei terribile examen securior fiat.

"Reverentissimus frater noster Augustinus epis-

---

[1] *impendat*] impendit, MS.
[2] *everte*] eccerte, MS.
[3] *Dei*] diei, MS.

copus, in monasterii regula edoctus, sacræ Scripturæ scientia repletus, bonis auctore Deo operibus præditus, quæque[1] vos admonet, libenter audite, devote peragite, studiose in memoria reservate: quia si vos eum in eo quod pro Omnipotente Domino loquitur, auditis, isdem Omnipotens Deus hunc pro vobis exorantem celerius exaudit. Si enim, quod absit, verba eius postponitis, quando eum Omnipotens Deus poterit audire pro vobis, quem vos negligitis audire pro Deo? Tota igitur mente cum eo vos in fervore fidei stringite, atque adnisum[2] illius virtute quam vobis Divinitas tribuit, adiuvate, ut regni sui vos ipse faciat[3] esse participes, cuius vos fidem in regno vestro recipi facitis et custodiri.

Signs of the approaching end of the world.

"Propterea scire vestram gloriam volumus, quia sicut in Scriptura sacra ex verbis Domini Omnipotentis agnoscimus, præsentis mundi iam terminus iuxta est, et sanctorum regnum venturum est, quod nullo unquam poterit fine terminari. Appropinquante autem eodem mundi termino, multa imminent quæ antea non fuerunt: videlicet inmutatio aëris,[4] terroresque de cœlo, et contra ordinem temporum tempestates, bella, fames, pestilentiæ, terræmotus per loca; quæ tamen non omnia nostris diebus ventura sunt, sed post nostros dies omnia subsequentur. Vos itaque, si qua ex his evenire in terra vestra cognoscitis, nullo modo vestrum animum perturbetis; quia icciroo hæc signa de fine sæculi præmittuntur, ut de animabus nostris debeamus esse solliciti, de mortis hora suspecti, et venturo Iudici in bonis actibus inveniamur esse præparati. Hæc nunc, gloriose fili, paucis locutus sum, ut cum Christiana fides in regno vestro excreverit, nostra quoque apud vos locutio

---

[1] *quæque*] quoque, MS.
[2] *adnisum*] ad nisum, MS.
[3] *faciat*] facias, MS.
[4] *aëris*] aieris, MS.

latior[1] excrescat, et tanto plus loqui habeat, quanto se in mente nostra gaudia de gentis vestræ perfecta conversione multiplicant.

"Parva autem exennia transmisi, quæ vobis parva non erunt, cum a vobis ex beati Petri apostoli fuerint benedictione suscepta. Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam suam quam cœpit, perficiat, atque vitam vestram et hic per multorum annorum curricula extendat, et post longa tempora in cœlestis vos patriæ congregatione recipiat. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat, domine fili.

"Data die decimo kalendarum Juliarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto anno nono decimo, post consulatum[2] eiusdem domini anno octavo decimo, indictione quarta." Jun. 22. A.D. 601.

Cap. XII.

Quod Augustinus in regia civitate, scilicet Dorobernia, sedem episcopalem accepit. Bed. i. 33.

At Augustinus, ubi in regia civitate, scilicet Dorobernia, sedem episcopalem, ut prædiximus, accepit, recuperavit in ea regio fultus adminiculo ecclesiam quam inibi antiquo Romanorum fidelium opere factam fuisse didicerat, et eam in nomine sancti Salvatoris Dei et Domini nostri Jesu Christi sacravit, atque ibidem sibi habitationem statuit et cunctis successoribus suis. Fecit autem et monasterium non longe ab ipsa civitate ad orientem, in quo eius hortatu Ethelbertus rex eccle-

Augustine settles at Canterbury, and restores the old church.

He builds a monastery.

[1] *latior*] laicōr, MS.

[2] *post consulatum*] pontificatus, MS.

siam beatorum apostolorum Petri et Pauli a[1] fundamentis construxit, ac diversis donis ditavit, in qua ipsius Augustini et omnium episcorum Dorobernensium, simul et regum Kantiæ, poni corpora possent. Quam tamen ecclesiam non ipse Augustinus, sed successor eius Laurentius consecravit. Primus autem eiusdem monasterii abbas Petrus presbyter fuit, qui legatus Galliam missus demersus est in sinu maris qui vocatur Amfleat, et ab incolis loci ignobili traditus sepulturæ: sed Omnipotens Deus ut qualis meriti vir fuerit demonstraret, omni nocte supra sepulcrum eius lux cœlestis apparuit, donec animadvertentes vicini, qui[2] videbant sanctum fuisse virum qui ibi esset sepultus, et investigantes unde vel quis esset, abstulerunt corpus eius, et in Bolonia civitate iuxta honorem tanto viro congruum in ecclesia posuerunt.

Peter, first abbot of the monastery.

Cap. XIII.

Bed. i. 34.

Quod Æthelfridus rex Northumbrorum vastabat gentem Britonum.

Æthelfrid king of Northumbria.

Isdem temporibus Æthelfridus Northumbrorum rex fortissimus et paganus[3] ferocissimus ac gloriæ cupidissimus, qui plus omnibus Anglorum primatibus gentem vastabat Britonum; ita ut Sauli quondam regi Israeliticæ[4] gentis comparandus videretur, excepto dumtaxat hoc, quod divinæ erat religionis ignarus. Nemo enim in tribunis, nemo in regibus plures eorum terras, exterminatis vel subiugatis indigenis, aut tributarias genti Anglorum, aut habitabiles fecit. Cui merito poterat illud quod benedicens filium patriarcha in personam Saulis dicebat,[5]

---

[1] *a*] et, MS.
[2] *qui*] que, MS.
[3] *paganus*] pacanus, MS.
[4] *Israeliticæ*] Jsraletice, MS.
[5] Gen. xlix. 27.

aptari: "Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia." Unde motus eius profectibus[1] Etdanus rex Scotorum qui Britanniam inhabitant, venit contra eum cum inmenso ac forti exercitu; sed cum paucis victus aufugit. Siquidem in loco celeberrimo qui dicitur *Degsestan*, id est, Degse lapis, omnis pæne eius est cæsus exercitus. In qua etiam pugna Theobaldus frater Æthelfridi, cum omni illo quem ipse ducebat exercitu, peremptus est. Quod videlicet bellum Æthelfridus anno ab incarnatione Domini sexcentesimo tertio, regni autem sui, quod viginti quatuor [annis][2] tenuit, anno undecimo perfecit. Neque ex eo tempore quisquam regum Scottorum in Britanniam adversus gentem Anglorum per plurimorum annorum curricula postea in prælium venire audebat.

Battle of Degsestan between Æthelfrid and Etdanus, king of the Scots.

A.D. 603.

CAP. XIV.

Quod mortuo Sledda rege Orientalium Saxonum, Sebertus filius eius regnavit pro eo.

Bed. ii. 2; Matt. Westm., p. 204.

A.D. 603.

ANNO gratiæ sexcentesimo tertio mortuo Sledda rege Orientalium Saxonum, filius eius Sebertus, nepos Æthelberti magni regis Kantiæ ex sorore Ricula, sub potestate ipsius Æthelberti constitutus, qui omnibus usque terminum Humbræ fluminis Anglorum gentibus imperabat, in regno Orientalium Saxonum post patrem cœpit regnare. Eodem anno Ethelfridus contra Britannos apud Kaerlegion dimicans, viros religiosos de abbatia Bangorensi[3] maximam multitudinem interfecit.

Death of Sledda, king of Essex. He is succeeded by his son Sebert.

Nempe vir Domini Augustinus, auxilio regis Æthelberti usus, convocavit ad synodum suam episcopos et

Augustine convenes a synod of

[1] *profectibus*] profectus, MS. But see Bed. i. 34.

[2] *annis*] om. MS. See Bede i. 34.

[3] *Bangorensi*] Bargonensi, MS.

British bishops.

doctores proximæ provinciæ, in loco qui usque hodie lingua Anglorum *Augustinos ac*, id est, robur sive quercus Augustini appellatur, in confinio Occidentalium Saxonum et Wicciorum: cœpitque eis[1] fraterna admonitione suadere, ut pace catholica secum habita, communem evangelizandi gentibus pro Domino laborem susciperent. Non enim paschæ diem Dominicum suo tempore, sed a quarta decima usque ad vicesimam lunam observabant: quæ computàtio octoginta trium[2] annorum circulo continetur. Sed et alia perplurima unitati ecclesiasticæ contraria faciebant. Qui cum longa disputatione habita, neque precibus, neque hortamentis, neque increpationibus Augustini ac sociorum eius assensum præbere voluissent, sed suas potius traditiones universis quæ per orbem sibi in Christo concordant ecclesiis præferrent, sanctus pater Augustinus hunc laboriosi atque longi certaminis finem fecit, ut diceret: "Obsecremus Deum, qui habitare facit unanimes in domo Patris sui, ut ipse nobis insinuare cœlestibus signis dignetur, quæ sequenda traditio, quibus sit viis ad ingressum regni illius properandum. Adducatur aliquis æger, et per cuius preces fuerit curatus, huius fides et operatio Deo devota atque omnibus sequenda credatur." Quod cum adversarii inviti licet concederent, allatus est quidam de genere Anglorum, oculorum luce privatus: qui cum oblatus Britonum sacerdotibus, nil curationis vel sanationis horum ministerio perciperet; tandem Augustinus iusta necessitate compulsus flectit genua sua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, deprecans ut visum cæco quem amiserat restitueret, et per illuminationem unius hominis corporalem in plurimorum corda fidelium spiritualis gratiam lucis accenderet. Nec mora: illuminatur cæcus, ac verus summæ lucis præco ab omnibus prædicatur Augus-

The Britons *quartodecimans*.

Augustine appeals to God to decide the questions in dispute by miracle.

He restores sight to a blind man.

---

[1] *eis*] eos, MS.

[2] *trium*] quattuor, Bed.

tinus. Tum Britones confitentur quidem[1] intellexisse se veram esse viam iustitiæ quam prædicaret Augustinus: sed non se posse absque suorum consensu ac licentia priscis abdicare moribus. Unde postulabant ut secundo synodus pluribus advenientibus fieret.

Quod cum esset statutum, venerunt, ut perhibent, septem Britonum episcopi et plures viri doctissimi, maxime de nobilissimo eorum monasterio, quod vocatur lingua Anglorum *Bancornaburch*, cui tempore illo Dinothus abbas præfuisse narratur, qui ad præfatum ituri concilium, venerunt primo ad quendam virum sanctum ac prudentem, qui apud eos anachoreticam ducere vitam solebat, consulentes, an ad prædicationem Augustini suas deserere traditiones deberent. Qui respondebat: "Si homo Dei est, sequimini illum." Dixerunt: "Et [unde][2] hoc possumus probare?" At ille; "Dominus," inquit, "ait:[3] 'Tollite iugum meum super vos, et discite a me quia mitis [sum][4] et humilis corde.' Si ergo Augustinus ille mitis est et humilis corde, credibile quia iugum Christi et ipse portet, et vobis portandum offerat: sin autem inmitis est ac superbus, constat quia non est de Deo, neque vobis est eius sermo curandus." Qui rursus aiebant: "Et unde vel [hoc][5] dinoscere valemus?" "Procurate," inquit, "ut ipse prior cum suis ad locum synodi adveniat, et si vobis appropinquantibus assurrexerit, scientes quia famulus Christi est, optemperanter illum audite: sin autem vos spreverit, nec coram vobis assurgere voluerit, cum sitis numero plures, et ipse spernatur a vobis." Fecerunt ut dixerat. Factumque est, ut venientibus illis sederet Augustinus in sella. Quod illi videntes, mox in iram conversi sunt, eumque notantes superbiæ, cunctis quæ dicebat contradicere laborabant. Dicebat autem eis, "Quod in

Second synod, consisting chiefly of monks from Bangor.

The haughty bearing of Augustine offends the Britons.

---

[1] *quidem*] quidam MS.
[2] *unde*] om. MS.
[3] Matt. xi. 29.
[4] *sum*] om. MS.
[5] *hoc*] om. MS.

multis nostræ consuetudini,[1] immo universalis ecclesiæ contraria geritis: et tamen si tribus his mihi optemperare[2] vultis; ut pascha suo tempore celebretis, ut ministerium baptizandi, quo Deo renascimur, iuxta morem Romanæ sanctæ et apostolicæ ecclesiæ compleatis, ut genti Anglorum una nobiscum prædicetis verbum Domini, cetera quæ agitis, quamvis moribus nostris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus."[3] At illi nihil horum se facturos, neque illum pro archiepiscopo habituros esse respondebant: conferentes ad invicem, quia "si modo nobis assurgere noluit, quanto magis si ei subdi cœperimus, iam nos pro nihilo contemnet."

Augustine predicts the destruction of the British church.

Quibus vir Domini Augustinus fertur minitans[4] prædixisse, quia si pacem cum fratribus accipere nollent, bellum ab hostibus forent accepturi; et si nationi Anglorum noluissent viam vitæ prædicare, per horum manus ultionem essent mortis passuri. Quod ita per omnia, ut prædixerat Augustinus, Divino agente iudicio patratum est.

Cap. XV.

Bed. ii. 2.

Ut rex Northumbrorum Ethelfridus mille et ducentos monachos interfecerit.

Ethelfrid defeats the Britons at Kaerlegion, and massacres the monks of Bangor.

Non multum vero post hæc ipse de quo diximus, rex Anglorum fortissimus Ethelfridus, collecto grandi exercitu ad Civitatem Legionum, quæ a gente Anglorum *Legacester*, a Britonibus autem rectius *Kaerlegion* appellatur, maximam gentis perfidæ stragem dedit. Cumque bellum acturus videret sacerdotes

---

[1] *consuetudini*] consuetudine, MS.
[2] *optemperare*] optempare, MS.
[3] *tolerabimus*] tollerabimus, MS.
[4] *minitans*] mimitans, MS.

eorum, qui ad exorandum Deum pro milite bellum agente[1] convenerant, seorsum in tutiore loco consistere,[2] sciscitabatur qui essent hi, quidve acturi illo convenissent. Erant autem plurimi eorum de monasterio Bangor, in quo tantus fertur fuisse numerus monachorum, ut cum in septem portiones esset cum præpositis sibi rectoribus monasterium divisum, nulla eorum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum vivebant. Horum ergo plurimi ad memoratam aciem peracto ieiunio triduano cum aliis orandi causa convenerant, habentes defensorem nomine Brocmailum, qui eos intentos precibus a barbarorum gladiis protegeret. Quorum causam adventus cum intellexisset rex Ethelfridus, ait: "Ergo si adversum nos isti ad Deum suum clamant, profecto et ipsi quamvis arma non ferant, contra nos pugnant, qui adversis nos inprecationibus persequuntur." Itaque in hos primum arma verti iubet, et sic ceteras nefandæ militiæ copias non sine magno exercitus sui damno delevit. Extinctos in ea pugna ferunt, de his qui ad orandum venerant, viros circiter mille ducentos, et solum quinquaginta fuga esse lapsos. Brocmailus ad primum hostium adventum cum suis terga vertens, eos quos defendere debuerat inermes ac nudos ferientibus gladiis reliquit. Sicque completum est præsagium sancti pontificis Augustini, quamvis ipso iam multo ante tempore ad cœlestia regna sublato, ut etiam temporalis interitus[3] ultione sentirent perfidi, quod oblata sibi perpetuæ salutis consilia spreverunt.

---

[1] *agente*] agendo, MS. See Bed. ii. 2.

[2] *consistere*] consisteret, MS.

[3] *interitus*] interius, MS.

Cap. XVI.

Bed. ii. 1.

De obitu beati papæ Gregorii.

A.D. 605. Death of pope Gregory, apostle of England.

Anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo quinto beatus papa Gregorius, postquam Romanæ sedem apostolicæ ecclesiæ tresdecim annos, menses sex, et dies decem gloriosissime rexit, defunctus est atque ad æternam regni cœlestis sedem translatus. Quem nos convenit, quia gentem nostram, id est, Anglorum, de potestate Sathanæ ad fidem Christi sua industria convertit, in nostra historia laudibus devotis, mente pia glorificare. Ipsum nempe rectius et non indebite[1] nostrum appellare possumus[2] et debemus apostolum. Quia cum primum et summum in toto orbe gereret pontificatum, et conversis iam dudum ad fidem veritatis esset prælatus ecclesiis, nostram gentem eatenus idolis mancipatam, Christi fecit ecclesiam, ita ut apostolicum illum de eo liceat nobis proferre sermonem :[3] quia etsi aliis non est apostolus, sed tamen nobis est ; nam signaculum apostolatus eius nos sumus in Domino.

His birth.

Erat autem natione Romanus, ex patre Gordiano, genus a proavis non solum nobile, sed et religiosum ducens. Nobilitatem vero quam ad sæculum videbatur habere, totam ad nanciscendam supernæ gloriam dignitatis Divina gratia largiente convertit. Nam mutato repente habitu sæculari, monasterium petiit, in quo tantæ perfectionis gratia cœpit conversari, ut, sicut ipse postea flendo solebat attestari, animo illius labentia cuncta subtererant, ut rebus omnibus quæ volvuntur emineret, ut nulla nisi cœlestia cogitare soleret, ut etiam retentus corpore, ipsa iam carnis claustra contemplatione transiret, ut mortem[4] quæ pæne cunctis

He enters a monastery.

---

[1] *rectius—indebite*] non indebite rectius et non indebite, MS.

[2] *possumus*] posumus MS

[3] 1 Cor. ix. 2.

[4] *mortem*] morte, MS.

pœna est, videlicet ut ingressum vitæ et laboris sui præmium amaret. Hoc autem ipse de se, non profectum iactando virtutum, sed deflendo potius defectum quem sibi per curam pastoralem incurrisse videbatur, referre consueverat. Denique tempore quodam secreto cum diacono suo Petro colloquens, enumeratis animi sui virtutibus priscis, mox dolendo subiunxit: "At nunc ex occasione curæ pastoralis sæcularium hominum negotia patitur, et post tam pulcram quietis suæ speciem, terreni actus pulvere fœdatur. Cumque se pro condescensione[1] multorum ad exteriora sparserit,[2] etiam cum interiora appetit, ad hæc procul dubio minor redit. Perpendo itaque quod tolero, perpendo quid amisi: dumque intueor illud quod perdidi, fit hoc gravius quod porto." Hæc quidem sanctus vir ex magnæ humilitatis intentione dicebat. He laments the distraction of mind caused by the secular cares of the papacy.

Rexit autem vir iste beatus ecclesiam temporibus imperatorum Mauricii et Focati. Secundo autem eiusdem Focati anno transiens ex hac vita migravit ad veram quæ in cœlis est vitam. Sepultus vero est corpore in ecclesia beati Petri apostoli, ante secretarium, die quarta iduum Martiarum, quandoque in ipso cum ceteris sanctæ ecclesiæ pastoribus resurrecturus in gloria. His burial, March 12.

Cap. XVII.

Quod Augustinus Britanniarum archiepiscopus ordinavit duos episcopos, Mellitum videlicet et Justum. De dedicatione ecclesiæ beati Petri Westmonasterii. Bed. ii. 3.

Anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo quarto Augustinus Britanniarum archiepiscopus ordinavit duos A.D. 604. Mellitus, bishop of London.

---

[1] *condescensione*] condescensione, MS.

[2] *sparserit*] sparcerit, MS.

episcopos, Mellitum videlicet et Justum: Mellitum quidem ad prædicandum provinciæ Orientalium Saxonum, qui Tamense fluvio dirimuntur a Kantia et ipsi Orientali mari contigui, quorum metropolis Londonia civitas est, supra ripam præfati fluminis posita, et ipsa multorum emporium[1] populorum terra marique venientium. In qua gente tunc temporis Sebertus nepos Æthelberti ex sorore Ricula, sicut prædiximus, regnabat, quamvis sub potestate positus eiusdem Ethelberti, qui omnibus,[2] ut supra dictum est, usque ad terminum Humbræ fluminis Anglorum gentibus imperabat. Ubi vero et hæc provincia verbum veritatis prædicante Mellito accepit, fecit rex Ethelbertus in civitate Londonia ecclesiam sancti Pauli apostoli, in qua locum sedis episcopalis et ipse et successores eius haberent. Justum vero in ipsa Kantia Augustinus episcopum ordinavit in civitate Dorubreni, quam gens Anglorum a primario quondam illius qui dicebatur Rof, Rofecester cognominat. Distat autem a Dorubreni milibus[3] passuum ferme viginti quatuor ad occidentem, in qua Æthelbertus ecclesiam beati Andreæ apostoli fecit. Qui etiam episcopis utriusque ecclesiæ dona multa, sicut et Dorobernensi, optulit: sed et territoria ac possessiones in usum eorum qui erant cum episcopis adiecit.

Cf. Lib. i. c. 36.

Justus, bishop of Rochester.

Ubi vero provincia Orientalium Saxonum cum ipso rege suo Seberto verbum veritatis prædicante Mellito accepit; præfatus scilicet rex Sebertus ad instigationem avunculi[4] sui regis Æthelberti in occidentali Londoniæ parte de quodam fano, qui tunc Apollinis habebatur locus et[5] Thorneia dictus, inclitam basilicam Deo et

Cf. Usser. Brit. Eccl. Antiq. p. 387.

West-minster Abbey built on the

[1] *emporium*] emptorium, MS.
[2] *qui omnibus*] qui omnibus qui, MS.
[3] *milibus*] miliū, MS.
[4] *avunculi*] nepotis, first hand.
[5] *locus et*] et locus, MS.

sancto Petro apostolo fabricavit, sanctoque Mellito Londoniensi pontifici dedicandam commendavit. Qui cum die statuta quadam Dominica eam dedicare disposuisset, nocte præcedente cuidam piscatori nomine Eadrico apostolus sanctus Petrus apparens, et quasi mercede compacta in navicula cum eodem piscatore Tamensem fluvium transfretans, præfatam basilicam, quæ nunc ab incolis ab occidentali parte Londoniæ Westmonasterium dicitur, cum cœlestium comitatu et laudibus angelicis, vidente tremebundo prænominato piscatore, Deo et sibi consecravit. Mane autem facto sanctus pontifex piscatore nuntio a sancto Petro hoc[1] mandatum accepit, ut ecclesiam a se dedicatam rededicare non præsumeret, signa dedicationis universa reperiens. Et quia locus ille absque navigio undique erat inaccessibilis, transfretaret, et signa dedicationis videns, quod restabat, scilicet missam celebraret, pœnitentibus pro arbitrio afflictionis dies indulgeret, et sic finitis omnibus, Dei et suam benedictionem populo daret. Signa autem dedicationis hæc erant; parietes intrinsecus et extra madidi; oleum et cruces in ipsis cereique semicombusti; alphabetum utrumque Græcum et Latinum in atrio depictum; magna aqua a sancto Petro benedicta in medio; altare oleo perfusum; incensum in ipso altari super tres cruces in eodem sculptas semicombustum. Cuius reliquum tunc temporis illius loci monachi noviter adunati diligenter collectum in scrinio auro et argento decenter ornato recondiderunt, quod quidem scrinium in eadem ecclesia usque hodie reservatur. Est autem et aliud signum patens et perpetuum, quod minime reticendum censeo. Dedicato itaque cœnobio, quod hactenus,[2] sicut prædiximus, Westmonasterium, eo quod in civitatis occidentali parte situm sit, dicitur, ad piscatorem suum rediens sanctus

Site of a temple of Apollo.

Consecrated by St. Peter himself.

Relics.

---

[1] *hoc*] ho, MS.

[2] *hactenus*] actenus, MS.

Petrus ab interrogato qualiter se haberet, responsum accepit præ timore se pæne fore mortuum insuetæ claritatis visione et iubilantium inaudito strepitu timore. Cuius timorem compescens iussit ut se reducens mereretur naulum. Cum itaque in medium fluminis devenissent, interrogatus ab apostolo, si ipsa nocte ars sua ei aliquid contulisset, respondit se nihil cepisse. Ad quem apostolus, "Mitte," inquit, "in dexteram naviculæ rete et coadiutor tuus ero. Novi enim et ipse aliquantisper artem piscandi." Quod cum fecisset, tantam eius piscis qui esicius, id est salmo, dicitur, cepit copiam, ut navicula pæne mergeretur. Cui apostolus, "Sume," inquit, "eum quem extremum cepisti piscem, et ex mea parte defer episcopo pro munere. Decimationem nunc dedicatæ ecclesiæ dabis pro gratiarum actione: ceterum vero tibi tolle pro naulo. Sed et huius dedicationis signum erit perpetuum, quod et tu [et] tota tua sequens huius artis progenies huius generis piscium decimationem illi ecclesiæ dabitis[1] in perpetuum, quatinus vobis sit capiendi facultas, fluminis fecunditas; orationisque causa eam ecclesiam frequentantibus erit benedictio, et possessiones eis largientibus æterna vita retributio." Pavensque piscator et admirans cum miraculo iubentis imperium, quisnam esset tanta promittens, inquirit. Cui apostolus, "Ego," inquit, "sum, quem Christiani sanctum Petrum apostolum vocant, qui hanc ecclesiam meam hac nocte Deo dedicavi." Hæc dicens apostolus et de navi exiens disparuit. Ab illo itaque usque in hodiernum diem eius piscatoris progenies esiciorum decimationem Deo et sancto Petro prout audent conferunt. Presbyteri quippe quorum parochiani ipsi piscatores existunt, malitia placitorum crescente et dolo artant ipsos piscatores, ut Petri sancti decimationem sibi con-

Miraculous draught of fishes.

A tithe of the salmon caught in the river due to St. Peter.

---

[1] *dabitis*] dabit, MS.

ferant: propter quod et flumini ingerunt sterilitatem et sibi maledictionem. Asserunt enim etiam ipsi piscatores ob hoc ipsam flumini sterilitatem, et ob hoc capiendi difficultatem; se maximam pati penuriam. Rex vero Sebertus ecclesiæ sæpe dictæ beati Petri Westmonasterii cum uxore sua multis supervivens annis plura contulit bona, et in eius provectu et incremento studio sanctæ intentionis laborabant. Peractoque vitæ mortalis cursu, idem Sebertus cum dicta uxore sua in eadem ecclesia quam ipse construxerat, iuxta altare quod sanctus Petrus dedicaverat, in plumbeis sarcophagis sepultus est; sicut postea reperti sunt a quodam abbate dicti loci ecclesiam prædictam amplioribus renovante ædificiis. Sed demum multorum annorum curriculo interveniente, post septingentos ipsius Seberti decessus annos, per industriam fratrum eiusdem loci in loco honestiori corpus præfati regis constat esse sepultum. Quidam autem metricus considerans istius regis opera, et etiam humanæ condicionis miseriam et pii Retributoris erga mortales summam benivolentiam, metrice sic ait: versus vero ita sequuntur.

Sebert buried in the Abbey.

A.D. 1316.

Labilitas, brevitas mundanæ prosperitatis,
Cœlica præmia, gloria, gaudia danda beatis
    Sebertum certum iure dedere satis.
Hic rex Christicola verax fuit hac regione,
Qui nunc cœlicola gaudet mercede coronæ.
Rex humilis, docilis, socius et pius, inclitus iste,
Solicite, nitide, tacite, placide, bone Christe,
    Vult servire Tibi proficiendo sibi.
Ornat mores, spernit flores lucis avaræ,
Gliscens multum Christi cultum latificare,
Ecclesiam nimiam nimio studio fabricavit.
Visio dictavit, quod eam lustrando dicavit
Petrus apostolus; est nec in hoc dolus, immo probavit
Hæc illæsa manus quæ fundamenta locavit.
Hic septingentis annis terra tumulatus

Verses on king Sebert. (Weever's Fun. Monum., p. 451.)

Christi clementis instinctibus inde levatus,
Isto sub lapide nunc iacet, ipse vide.
Atque domum Christo quia mundo fecit in isto,
Nunc pro mercede cœli requiescit in sede.
Respice, mortalis, promissio fit tibi talis.
Accipies, si des; nil capies, nisi des.
Es Christo qualis, Christus fiet tibi talis.
Dapsilis esto Sibi, largus eritque tibi.
Effectus, non affectus, si reddere possis,
Debet censeri; si nihil reddere possis,
Tunc bonus affectus pro facto debet haberi.
Sicut de lignis per aquam depellitur ignis,
Sic mala commissa fiunt donando remissa,
Reddit ad usuram, quod quis dat nomine Christi,
Nam vitam puram pro parvo dat Deus isti.

Death of Sebert. July 31, A.D. 616.

Of his wife Æthelgoda. Sept. 13, A.D. 615.

Præfatus quidem rex Sebertus obiit ultimo die Julii, Anno Domini sexcentesimo decimo sexto; cuius uxor, nomine Æthelgoda, ante ipsum Sebertum diem suum claudens extremum, videlicet decimo tertio die Septembris, Anno Domini sexcentesimo decimo quinto, cum ipso Seberto viro suo, ut prædiximus, in ipsa ecclesia quam idem fundaverat, ac sanctus Petrus, prout supra retulimus, miraculose dedicaverat, in sarcophagis plumbeis honorabiliter est sepulta.

The Abbey restored by Offa and Kenulph.

Entirely rebuilt by Edward, son of Ethelred.

Eandem autem ecclesiam post mortem istius gloriosi regis Seberti propter bellorum tumultus et hostium incursiones per multorum annorum curricula neglectam famosi reges Offa et Kenulphus magno studio et industria reædificare et renovare curaverunt, possessionibus et libertatibus multipliciter fulcientes et ditantes. Tandem beatissimus rex Eduuardus Ethelredi regis filius, sicut subsequentia manifestius intimabunt, a fundamentis ex novo construxit et dedicare fecit. In qua eius corpus virgineum, sicut ab omni luxu incorruptum habebatur vivens, ita defunctum integerrimum habetur reconditum. De quo in sequentibus plenius dicemus.

CAP. XVIII.

Ceolricus rex Occidentalium Saxonum obiit.

Matth. Westm. p. 208; Rog. Wend. p. 109.

Ceolric, king of Wessex, dies. A.D. 607. His successor Ceolwlph reigns 24 (?) years.

ANNO ab incarnatione Domini sexcentesimo septimo Ceolrico rege Occidentalium Saxonum defuncto, Ceolwlphus regnavit pro eo viginti quattuor annis.

CAP. XIX.

De regibus Anglorum.

Matth. Westm. p. 209; Rog. Wend. p. 110.

A.D. 610. Death of Ceolwlph. His successor Kinegilis reigns 31 years. Kings of Mercia, Essex, &c.

ANNO gratiæ sexcentesimo decimo, defuncto Ceolwlpho[1] rege Occidentalium Saxonum, regnavit pro eo Kinegilis filius Seolæ triginta et uno annis. Regnabant hoc tempore in Mercia Penda, in regno Orientalium Anglorum Redwaldus, in Kantia Ethelbertus, in Essex Sebertus, in Northumbria Ethelfridus superbus et vanæ gloriæ cupidus.

Death of Augustine. [A.D. 608. Matth.; Rog.] Bed. ii. 3.

Circa eorundem temporum curricula defunctus est Deo dilectus pater Augustinus, Dorobernensis archiepiscopus et Anglorum apostolus, positumque est corpus eius foras, iuxta ecclesiam beatorum apostolorum Petri et Pauli, cuius supra meminimus, quia necdum ecclesia fuerat perfecta, nec dedicata. Mox vero ut dedicata est, corpus dicti patris intro illatum et in porticu illius aquilonali decenter sepultum est: in qua etiam sequentium archiepiscoporum omnium sunt corpora tumulata, præter duorum tantummodo, id est, Theodori et Berthwoldi, quorum corpora in ipsa ecclesia posita sunt, eo quod prædicta porticus

[1] In c. xviii. Ceolwlph's reign is said to have begun A.D. 607, and to have lasted 24 years. So, too, Matth. Westm., pp. 208, 209. Florence of Worcester and the Saxon Chronicle date his accession A.D. 597, and his death A.D. 611. (Petrie's *Monumenta Historica*, pp. 305, 306, 526, 527.) Assuming these dates, we must read xiv. for xxiv. in c. xviii.

plura capere nequivit. Habet hæc in medio pæne sui altare in honore beati papæ Gregorii dedicatum, in quo per omne sabbatum a presbytero loci illius agendæ eorum sollemniter celebrantur.

CAP. XX.

Ethelbertus rex Cantuariorum obiit.

Rex Occidentalium Saxonum Kinegils Quichelmum, filium suum, regni consortem suscepit. Postea vero tempore succedenti, anno videlicet ab incarnatione Dominica sexcentesimo decimo sexto, qui est annus vicesimus primus ex quo Augustinus cum sociis ad prædicandum genti Anglorum missus est, Ethelbertus rex Cantuariorum, post regnum temporale, quod quinquaginta et sex annis gloriosissime tenuerat, æterna cœlestis regni gaudia subiit: qui tertius quidem in regibus gentis Anglorum, cunctis australibus eorum provinciis quæ Humbriæ fluvio et contiguis ei terminis sequestrantur a borealibus,[1] imperavit; sed primus omnium cœli regna conscendit. Nam primus imperium huiusmodi Elle rex Australium Saxonum; secundus Celinus rex Occidentalium Saxonum, qui lingua ipsorum Ceulinus vocabatur; tertius, ut diximus, Ethelbertus rex Cantuariorum; quartus Redwaldus rex Orientalium Anglorum, qui etiam vivente Ethelberto eidem suæ genti ducatum præbebat, optinuit; quintus Edwinus rex Northumbrorum gentis, id est, eius quæ ad borealem Humbriæ fluminis inhabitat plagam, maiori potentia cunctis qui Britanniam incolunt Anglorum pariter et Britonum populis præfuit, præter Cantuariis tantum; necnon et Mevanias Britonum insulas, quæ inter Hiberniam et Britoniam sitæ sunt,

Bed. ii. 5.
A.D. 616. Death of Ethelbert.
Kings of the Saxons.

[1] *borealibus*] Borialibus, MS.

Anglorum subiecit imperio; sextus Oswaldus et ipse Northumbrorum rex Christianissimus, isdem finibus regnum tenuit; septimus Oswi frater eius, æqualibus pæne terminis regnum nonnullo tempore coercens,[1] Pictorum quoque atque Scottorum gentes, quæ septemtrionales Britanniæ fines tenent, maxima ex parte perdomuit ac tributarias fecit. Sed hæc postmodum. Defunctus vero est rex Ethelbertus die vicesima quarta mensis Februarii, post viginti et unum annos acceptæ fidei, atque in porticu sancti Martini, inter ecclesiam beatorum apostolorum Petri et Pauli sepultus, ubi et Berta regina condita est. Feb. 24.

Qui inter cetera bona, quæ genti suæ consulendo conferebat, etiam decreta illi iudiciorum, iuxta exempla Romanorum, cum consilio sapientium constituit; quæ conscripta Anglorum sermone hactenus habentur, et observantur ab ea: In quibus primitus posuit, qualiter id emendare debet, qui aliquid rerum vel ecclesiæ, vel episcopi, vel reliquorum ordinum furto auferret: volens scilicet tuitionem eis, quos et quorum doctrinam susceperat, præstare. **Laws of Ethelbert.**

Erat autem idem Ethelbertus filius Ermenrici, cuius pater Octa, cuius pater Eric cognomento Esc, a quo reges Cantuariorum Escingas cognominare solent; cuius pater Hengist, qui cum filio Esc invitatus a Vortigerno Britanniam primus intravit, ut supra retulimus. **His descent.**

CAP. XXI.

Bed. ii. 5 Matth. Westm. pp. 210, 211; Ro Wend. pp. 113, 114.

Quod Edbaldus rex filius Ethelberti in regno patri succedens, ad culturam idolorum revertitur.

Post mortem vero Ethelberti regis, cum filius eius Edbaldus regni gubernacula suscepisset, magno tenellis **Ethelbert's son and**

[1] *coercens*] cohercens, MS.

successor, the pagan Edbald, takes to wife his step-mother.

ibi adhuc ecclesiæ crementis detrimento fuit. Siquidem non solum fidem Christi recipere noluerat, sed et fornicatione pollutus est tali, qualem nec inter gentes auditam apostolus testatur,[1] ita ut uxorem patris haberet. Quo utroque scelere occasionem dedit ad priorem vomitum revertendi his qui sub imperio sui parentis vel favore vel timore regio fidei et castimoniæ iura susceperant. Nec supernæ flagella districtionis perfido regi castigando et corrigendo defuere: nam crebra mentis vesania et spiritus inmundi invasione premebatur.

Death of Sebert, king of Essex.

Auxit autem procellam huiusce perturbationis etiam mors Seberti regis Orientalium Saxonum; qui ubi regna perennia[2] petens tres filios suos, qui pagani perduraverunt, regni temporalis heredes reliquit, videlicet Sexredum, Siwardum et Sebertum, cœperunt illi mox idolatriæ patre mortuo, quam vivente eo aliquantulum intermisisse videbantur, palam servire, subiectisque populis idola colendi liberam dare licentiam.

His sons relapse into idolatry.

Cumque viderent pontificem celebratis in ecclesia missarum sollemniis, eucharistiam populo dare, dicebant, ut vulgo fertur, ad eum barbara inflati stultitia: "Quare non et nobis porrigis panem nitidum, quem et patri nostro Saba," sic namque eum appellare consueverant, "dabas, et populo adhuc dare in ecclesia non desistis?" Quibus ille respondit: "Si vultis ablui fonte illo salutari quo pater vester ablutus est, potestis etiam panis sancti, cui ille participabat, esse participes: sin autem lavacrum vitæ contemnitis, nullatenus valetis panem vitæ percipere." At illi, "Nolumus," inquiunt, "fontem illum intrare, quia nec opus illo nos habere novimus, sed tamen pane illo refici volumus." Cumque diligenter ac sæpe essent admoniti, nequaquam ita fieri posse ut absque purgatione sacrosancta quis oblationi sacrosanctæ communicaret, ad ultimum furore commoti,

---

[1] 1 Cor. v. 1.

[2] *perennia*] perhennia, MS.

aiebant : "Si non vis assentire nobis in tam facili causa quam petimus, non poteris iam in nostra provincia demorari." Et expulerunt eum, ac de suo regno cum suis abire iusserunt.

Qui expulsus inde, venit Kantiam, tractaturus cum Laurentio et Justo coepiscopis, quid in his esset agendum. Decretumque est communi consilio, quia satius esset ut omnes patriam redeuntes, libera ibi Domino mente deservirent, quam inter rebelles fidei barbaros sine fructu residerent. Discessere itaque primi Mellitus et Justus, atque ad partes Galliæ secessere,[1] ibi rerum finem expectare disponentes. Sed non post multo tempore reges qui præconem a se veritatis expulerant, dæmoniacis cultubus non inpune serviebant. Nam egressi contra gentem Gewisseorum in prælium, id est, contra Kinegils regem Occidentalium Saxonum et Quichelmum fratrem suum, omnes pariter cum sua militia corruerunt. Quibus in regnum successit Segebertus cognomento parvus.

Mellitus and Justus retire to Gaul.

Kinegils puts to the sword the sons of Sebert. They are succeeded by Segebert.

CAP. XXII.

Bed. ii. 6; Matth. Westm. pp. 211, 212; Rog. Wend. pp. 114, 115.

Qualiter Laurentius archiepiscopus Cantuariæ ab apostolorum principe flagellatur.

DUM vero Laurentius Cantuariæ archiepiscopus Mellitum Justumque secuturus ac Britanniam esset relicturus, iussit ipsa sibi nocte in ecclesia apostolorum Petri et Pauli, de qua frequenter iam diximus, stratum parari. In quo [cum][2] post multas preces ac lacrimas ad Deum pro statu ecclesiæ fusas, ad quiescendum membra posuisset atque obdormisset, apparuit ei beatissimus apostolorum princeps, et multo illum tempore secretæ noctis flagellis artioribus afficiens, sciscitabatur

Laurentius is scourged by St. Peter.

---

[1] *secessere*] cecessere, MS. | [2] *cum*] om. MS

apostolica districtione, quare gregem quem sibi ipse crediderat, relinqueret, vel cui pastorum oves Christi in medio luporum positas fugiens ipse dimitteret. "An mei," inquit, "oblitus es exempli, qui pro parvulis Christi, quos mihi in indicium suæ dilectionis commendaverat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipsam postremo mortem, mortem autem crucis, ab infidelibus et inimicis Christi ipse cum Christo coronandus pertuli?" His beati Petri flagellis et simul exhortationibus animatus famulus Christi Laurentius, mox mane facto venit ad regem, et reiecto vestimento quantis esset verberibus laceratus ostendit. Qui multum miratus, et inquirens quis tanto viro tales ausus esset plagas infligere: ut audivit quia suæ causa salutis episcopus ab apostolo Christi tanta esset tormenta plagasque perpessus, extimuit multum; atque anathematizato omni idolatriæ cultu, abdicato conubio non legitimo, suscepit fidem Christi, et baptizatus, ecclesiæ rebus, quantum valuit, in omnibus consulere ac favere curavit. Misit etiam Galliam, et revocavit Mellitum ac Justum, eosque ad suas ecclesias libere instituendas redire præcepit: qui post annum ex quo abierunt, reversi sunt; et Justus quidem ad civitatem Rofi, cui præfuerat, rediit, Mellitum vero Londonienses episcopum recipere noluerunt, idolatris magis pontificibus servire gaudentes. Non enim tanta erat ei, quanta patri ipsius regni potestas, ut etiam nolentibus ac contradicentibus paganis antistitem suæ posset ecclesiæ reddere. Verumtamen ipse cum sua gente, ex quo ad Dominum conversus est, Divinis se studuit[1] mancipare præceptis. Denique et in monasterio beatissimi apostolorum principis, ecclesiam sanctæ Dei genitricis fecit, quam consecravit archiepiscopus Mellitus. Hoc enim regnante rege beatus archiepiscopus Laurentius regnum cœleste conscendit, atque in ecclesia

Edbald is converted by the miracle, and recalls Mellitus and Justus.

Death of Laurentius.

[1] *studuit*] stiduit, MS.

et monasterio sancti apostoli Petri iuxta prædecessorem suum Augustinum sepultus est die quarto nonarum Februarium: post quem Mellitus, qui erat Londoniæ episcopus, sedem Dorobernensis ecclesiæ tertius ab Augustino suscepit.

Buried Feb. 2. [A.D. 619.] Mellitus third archbishop.

Matth. Westm. pp. 212, 215; Rog. Wend. pp. 115, 116, 124. Cf. Bed. ii. 12.

CAP. XXIII.

De pugna inter Æthelfridum regem Northumbrorum et Reodwaldum regem Orientalium Anglorum.

ANNO gratiæ sexcentesimo decimo septimo Reodwaldus rex Orientalium Anglorum Æthelfridum regem Northumbrorum ad prælium provocavit. Convenerunt itaque agmina utrorumque in regione Jutarum ad orientalem plagam amnis qui Idle vocatur. Unde exivit proverbium usque in hodiernum diem, "Amnis Idle Anglorum sorduit cruore." Igitur Æthelfridus ferus et indignans et multum admirans quod aliquis cum illo auderet congredi, audacter quidem sed inordinate in hostes irruit, quamvis acies Reodwaldi eleganter ordinatæ intuentibus terrorem non minimum inferrent. Rex tamen Northumbrorum quasi præda inventa subito proruens in cuneos conglomeratos Reiverum[1] principem militiæ regis Reodwaldi cum tota acie sua prostravit, et ad inferos impetuose direxit. Reodwaldus autem tanta clade minime perterritus, sed ad vindictam animatus, cuneos Æthelfridi laudabiliter penetravit, atque cruore maximo hostium profuso regem superbum interemit. Deinde hostes sine pietate insecutus, omnes eorum acies dissipando contrivit.

A.D. 617. Battle between Reodwald, king of East Anglia, and Æthelfrid, king of Northumberland. "Amnis "Idle Anglorum "sorduit "cruore."

Æthelfrid falls, and his army is routed.

---

[1] *Reiverum*] Reinerum, Matth. Westm., p. 212.

In hac quoque pugna potissimum laudanda fuit probitas Eadwini, qui de regno illo expulsus apud Redwaldum septemdecim annis exulaverat. Regnavit ergo Edwinus filius Ellæ super duo regna, Deirorum scilicet et Berniciorum. Qui postea Christianus effectus omnes reges tam Anglorum quam Walencium in sua dicione recepit.

Edwin, king of Deira and Bernicia, embraces the Christian faith.

Sigebert, king of Essex. [A.D. 623. Matth.; Rog.] Supra, Lib. ii. c. 21.

Eodem tempore post Sexredum et Siwardum fratres regnavit apud Orientales Saxones Sigebertus, cognomento parvus, Siwardi scilicet filius; qui Siwardus cum fratre Sexredo, sicut præmisimus, a Kinegils rege Occidentalium Saxonum et Quichelmo fratre eius interfecti sunt iusto Dei iudicio. Nam patre mortuo ad cultum idolorum reversi Mellitum Londoniæ episcopum expulerunt: qua de re nec de eorum exercitu vel unus evasit qui eventum belli nuntiaret.

Reodwald dies, and is succeeded by Eorpenwald. [A.D. 624. Matth.; Rog.]

Sub eisdem diebus defuncto rege Orientalium Anglorum Reodwaldo, Eorpenwaldus regni gubernacula suscepit, et bonum principium laudabili fine conclusit.

Cap. XXIV.

Bed. ii. 9.

Gens Northumbrorum cum rege suo Edwino verbum fidei prædicante Paulino suscepit.

Edwin, king of Northumbria.

Gens Northumbrorum, hoc est, natio Anglorum quæ ad aquilonarem Humbriæ fluminis plagam habitaverat, cum rege suo Edwino, verbum fidei prædicante Paulino cuius supra meminimus, suscepit. Cui videlicet regi in auspicium suscipiendæ fidei et regni cœlestis potestas etiam terreni creverat imperii: ita ut, quod nemo Anglorum ante eum, omnes Britanniæ fines, qua vel ipsorum vel Britonum provinciæ habitabant, sub dicione acciperet. Quin et Mevanias[1] in-

[1] *Mevanias*] Menemas, MS.

sulas, sicut et supra docuimus, imperio subiugavit Anglorum: quarum[1] prior quæ ad austrum est et situ amplior, et frugum proventu atque ubertate felicior, nongentarum sexaginta familiarum mensuram, iuxta æstimationem Anglorum; secunda trecentarum et ultra spatium tenet. Supra, Lib. ii. c. 20.

Huic autem genti occasio fuit percipiendæ fidei, quod præfatus rex cognatione iunctus est regibus Cantuariorum, accepta in coniugem Æthelburga filia Æthelberti regis, quæ alio nomine Tata vocabatur. Huius consortium cum primo ipse missis procis a fratre[2] eius Edbaldo, qui tunc regno Cantuariorum præerat, peteret: responsum est, "Non est licitum Christianam virginem pagano in coniugem dare, ne fides et sacramenta cœlestis Regis consortio profanarentur regis qui veri Dei cultus esset prorsus ignarus." Quæ cum Edwino verba nuntii referrent, promisit se nihil omnimodis contrarium Christianæ fidei, quam virgo colebat, esse facturum: quin potius permissurum ut fidem cultumque suæ religionis cum omnibus qui secum venissent, viris sive feminis, sacerdotibus seu ministris, more Christiano servaret. Neque abnegavit se etiam eandem subiturum esse religionem; si tamen examinata a prudentibus sanctior ac Deo dignior posset inveniri. His wife Ethelburga.

Itaque promittitur virgo, atque Edwino mittitur, et iuxta quod dispositum Divino consilio fuerat, ordinatur episcopus vir Deo dilectus Paulinus, qui cum illa veniret, eamque et comites eius, ne paganorum possent societate pollui, cotidiana exhortatione et sacramentorum cœlestium celebratione confirmaret. Mission of Paulinus.

Ordinatus est autem Paulinus episcopus a Justo archiepiscopo sub die duodecimo kalendarum Augustarum, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo vicesimo quinto: et sic cum præfata virgine ad regem His consecration. July 21, A.D. 625.

---

[1] *quarum*] quorum, MS. | [2] *fratre*] patre, MS. But see Bed.

Edwinum quasi comes copulæ carnalis advenit. Sed ipse potius toto animo intendebat ut gentem quam adibat [ad][1] agnitionem veritatis advocaret, et iuxta vocem apostoli,[2] uni vero Sponso virginem castam exhiberet Christo. Cumque in provinciam venisset, laboravit multum, ut et eos qui secum venerunt, ne a fide deficerent, Domino adiuvante contineret, et aliquos, si forte posset, de paganis ad fidei gratiam precando[3] converteret. Sed sicut apostolus ait,[4] quamvis multo tempore illo laborante in Deo: "Deus sæculi huius excæcavit mentes infidelium, ne eis fulgeret illuminatio evangelii gloriæ Christi."

A.D. 626. Eumerus attempts to assassinate king Edwin.

Anno autem sequente venit in provinciam quidam sicarius, vocabulo Eumerus, missus a rege Occidentalium Saxonum, nomine Quinchelmo, sperans se regem Edwinum regno simul et vita privaturum: qui habebat sicam bicipitem toxicatam, ut si ferri vulnus minus ad mortem regis sufficeret, peste iuvaretur veneni. Pervenit autem ad regem primo die Paschæ, iuxta amnem Dorwencionem, ubi tunc erat villa regalis, intravitque quasi nuntium domini sui referens: et cum simulatam legationem ore astuti[5] volveret, exurrexit repente, et evaginata sub veste sica impetum fecit in regem.

Lilla's devotion.

Quod cum videret Lilla minister regi amicissimus, non habens scutum ad manum quo regem a nece defenderet, mox interposuit corpus suum ante ictum pungentis: sed tanta vi hostis ferrum infixit, ut per corpus militis occisi etiam regem vulneraret. Qui cum mox undique gladiis impeteretur, in ipso tumultu etiam alium de militibus, cui nomen erat Fortherus, sica nefanda peremit.

---

[1] *ad*] om. MS.
[2] 2 Cor. xi. 2.
[3] *precando*] prædicando, Bed. H. E. ii. 9.
[4] 2 Cor. iv. 4.
[5] *astuti*] astuto, Bed.

Eadem autem nocte sacrosanctæ Dominicæ Paschæ peperit regina filiam regi, cui nomen Anfleda. Cumque idem rex præsente Paulino episcopo gratias ageret diis suis pro nata sibi filia, e contra episcopus gratias cœpit agere Domino Christo, regique astruere, quod[1] ipse precibus suis apud illum optinuerit, ut regina sospes et absque dolore gravi sobolem procrearet. Cuius verbis delectatus rex, promisit se abrenuntiatis idolis Christo serviturum, si vitam sibi et victoriam donaret pugnanti adversus regem, a quo homicida ille qui eum vulneraverat missus est. Et in pignus implendæ promissionis, eandem filiam suam Christo consecrandam Paulino episcopo assignavit; quæ baptizata est die sancto pentecostes, prima de gente Northumbrorum, cum duodecim aliis de familia eius.

Anfleda, daughter of Edwin.

Quo tempore curatus a vulnere sibi pridem inflicto rex collecto exercitu venit adversus gentem Occidentalium Saxonum, ac bello inito, universos quos in necem suam conspirasse didicerat, aut trucidavit,[2] aut in deditionem recepit. Sicque victor in patriam reversus, non statim et inconsulte sacramenta fidei Christianæ percipere voluit: quamvis nec idolis ultra servivit, ex quo se Christo serviturum esse promiserat. Verum primo diligentius ex tempore et ab ipso venerabili viro Paulino rationem fidei ediscere, et cum suis primatibus, quos sapientiores noverat, curavit conferre, quid de his agendum arbitrarentur. Sed et ipse cum esset vir natura sagacissimus, sæpe diu solus residens, ore quidem tacito, sed [in][3] intimis cordis multa secum colloquens, quid sibi esset faciendum, quæ religio servanda, tractabat.

War with Essex.

---

[1] *quod*] quid, MS.
[2] *trucidavit*] occidit, Bede.
[3] *in*] om. MS. But see Bed.

CAP. XXV.

Bed. ii. 10. *Quod Edwinus rex accepit a Bonifacio papa litteras ad fidem exhortatorias.*

QUO tempore exhortatorias ad fidem litteras a pontifice sedis apostolicæ Bonifacio accepit, quarum ista est forma:

Letter of pope Boniface to king Edwin.

"Viro glorioso Edwino regi Anglorum Bonifacius episcopus servus servorum Dei. Licet summæ Divinitatis potentia humanæ locutionis officiis explanari non valeat, quippe quæ sui magnitudine ita invisibili atque investigabili æternitate consistit, ut hæc nulla ingenii sagacitas, quanta sit, comprehendere disserereque sufficiat: quia tamen eius humanitas ad insinuationem sui reseratis cordis ianuis, quæ de semetipsa proferretur, secreta humanis mentibus inspiratione clementer infundit; ad annuntiandam vobis plenitudinem fidei Christianæ sacerdotalem curavimus sollicitudinem prærogare, ut perinde Christi evangelium, quod Salvator noster omnibus præcepit gentibus prædicari, vestris quoque sensibus inserentes, salutis vestræ remedia propinentur. Supernæ igitur maiestatis clementia, quæ cuncta solo verbo præceptionis suæ condidit et creavit, cœlum videlicet et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, dispositis ordinibus quibus subsisterent, coæterni Verbi sui consilio et Sancti Spiritus unitate dispensans, hominem ad imaginem et similitudinem suam ex limo terræ plasmatum constituit, eique tantam præmii prærogativam indulsit, ut eum cunctis præponeret, atque servato termino præceptionis æternitatis subsistentia præmuniret. Hunc ergo Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, quod est Individua Trinitas, ab ortu solis usque ad

occasum, humanum genus, quippe ut Creatorem omnium atque Factorem suum, salutifera confessione fide veneratur et colit: cui etiam summitates imperii rerumque potestates summissæ sunt, quia eius dispositione omnium prælatio regnorum conceditur. Eius ergo bonitatis misericordia totius creaturæ suæ dilatandæ gratia subdendique etiam in extremitate terræ positarum gentium corda frigida, Sancti Spiritus fervore in sui[1] agnitione mirabiliter est dignata succendere.

"Quæ enim in gloriosi filii nostri Edbaldi regis gentibusque ei suppositis illustratione clementia Redemptoris fuerit operata, plenius ex vicinitate locorum vestram gloriam conicimus cognovisse. Eius ergo mirabile donum et in vobis certa spe, cœlesti longanimitate conferre confidimus. Cum profecto[2] gloriosam coniugem vestram, quæ vestri corporis pars esse dinoscitur, æternitatis præmio per sacri baptismatis regenerationem illuminatam agnovimus. Unde præsenti stilo gloriosos vos adhortandos cum omni affectu intimæ caritatis curavimus; quatinus abominatis idolis eorumque cultu, spretisque fanorum fatuitatibus et auguriorum[3] deceptabilibus blandimentis, credatis in Deum[4] Omnipotentem eiusque Filium Iesum Christum et Spiritum Sanctum, ut credentes a diabolicæ captivitatis nexibus Sanctæ et Individuæ Trinitatis cooperante potentia absoluti, æternæ vitæ possitis esse participes.

"Quanta autem reatitudinis culpa teneantur obstricti hi qui idolatriarum perniciosissimam superstitionem colentes amplectuntur, eorum quos colunt exempla perditionis insinuant; unde de eis per Psalmistam dicitur:[5] 'Omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit.' Et iterum:[6] 'Oculos habent,

---

[1] *sui*] sui quoque, Bed.
[2] *profecto*] pfecto, MS. But see Bed. ii. 10.
[3] *auguriorum*] angariorum, MS.
[4] *Deum*] Deum Patrem, Bed.
[5] Ps. xcvi. 5.
[6] Ps. cxv. 5—8.

et non videbunt; aures habent, et non audient; nares habent, et non odorabunt; manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt. Similes ergo efficiantur his qui spem suæ confidentiæ ponunt in eis.' Quomodo enim iuvandi quemlibet possunt habere virtutem hi, qui ex corruptibili materia inferiorum etiam subpositorumque tibi manibus construuntur? quibus videlicet artificium humanum accommodans eis inanimatam membrorum similitudinem contulisti? qui nisi a te moti fuerint, ambulare non poterunt; sed tamquam lapis in uno loco positus, ita constricti nihilque intelligentiæ habentes ipsaque insensibilitate obruti nullam neque lædendi neque medendi[1] facultatem adepti sunt? Qua ergo mentis deceptione eos deos, quibus vos ipsi imaginem corporis tradidistis, colentes sequimini, iudicio discreto reperire non possumus.

"Unde oportet vos suscepto signo crucis sanctæ, per quod humanum genus redemptum est, execrandam diabolicæ versutiæ supplantationem, qui Divinæ bonitatis operibus invidus æmulusque consistit, a cordibus vestris abicere, iniectisque manibus hos, quos eatenus materiæ compage vobis deos fabricastis, confringendos diminuendosque summopere procurare. Ipsa enim eorum dissolutio corruptioque, quæ nunquam viventem spiritum habuit, nec sensibilitatem a suis factoribus potuit quolibet modo suscipere, vobis patenter insinuet quam nihil erat quod eatenus colebatis: dum profecto meliores vos qui spiritum viventem a Domino percepistis, eorum constructione nihilominus existatis: quippe quos Deus Omnipotens ex primi hominis quem plasmavit cognatione, deductis per sæcula innumerabilibus propaginibus, pullulare constituit. Accedite ergo ad agnitionem eius qui vos creavit, qui vobis

---

[1] *medendi*] iuvandi. Bed.

spiritum vitæ insufflavit, qui pro vestra redemptione Filium suum unigenitum misit, ut vos ab originali peccato eriperet, et ereptos de potestate nequitiæ diabolicæ pravitatis cœlestibus præmiis remuneraret.

"Suscipite ergo verba prædicatorum, et evangelium Dei quod[1] vobis annunciant; quatinus credentes, sicut sæpius dictum est, in Deum Patrem Omnipotentem et in Jesum Christum Filium eius et Spiritum Sanctum et Inseparabilem Trinitatem, fugatis dæmoniorum sensibus expulsaque a vobis sollicitatione venenosi et deceptibilis hostis, per aquam et Spiritum Sanctum renati, ei cui credideritis[2] in splendore gloriæ sempiternæ cohabitare eius opitulatione et munificentia valeatis.

"Præterea benedictionem protectoris vestri beati Petri apostolorum principis vobis dreximus; id est, camisiam cum ornatura in auro una et læna Ancyriana[3] una: quod petimus, ut eo benignitatis animo gloria vestra suscipiat, quo a nobis noscitur destinatum."

Cap. XXVI.

Quod Bonifacius papa misit litteras ad Æthelburgam coniugem dicti regis Edwini. Bed. ii. 11.

Ad coniugem quoque illius Æthelburgam huiusmodi litteras idem pontifex misit.

"Dominæ gloriosæ filiæ Æthelburgæ reginæ Bonifacius episcopus servus servorum Dei. Redemptoris nostri benignitas humano generi, quod pretiosi san- Letter of Boniface to queen Æthelburga.

---

[1] *quod*] quid, MS.; quod, Bed.
[2] *credideritis*] crederitis, MS.
[3] *Ancyriana*] antiriana, MS.

guinis sui effusione a vinculis diabolicæ captivitatis eripuit, multæ providentiæ quibus salvaretur propinavit remedia; quatinus sui nominis agnitionem diverso modo gentibus innotescens, Creatorem suum suscepto Christianæ fidei agnoscerent sacramento. Quod equidem in vestræ gloriæ sensibus cœlesti collatum munere mystica regenerationis vestræ purgatio patenter innuit. Magno ergo largitatis Dominicæ beneficio mens nostra gaudio exultavit, quod scintillam orthodoxæ religionis in vestri dignatus est conversione succendere; ex qua re non solum gloriosi coniugis vestri, immo totius gentis subpositæ vobis intelligentiam in amore sui facilius inflammaret.

"Didicimus namque referentibus his, qui ad nos gloriosi filii nostri Edbaldi regis laudabilem conversionem nuntiantes pervenerunt, quod etiam vestra gloria, Christianæ fidei suscepto mirabili sacramento, piis et Deo placitis iugiter operibus enitescat, ab idolorum etiam cultu seu fanorum auguriorumque illecebris se diligenter abstineat, ut[1] ita in amore Redemptoris sui immutilata devotione persistens invigilet, ut ad dilatandam Christianam fidem incessabiliter non desistat opera[2] commodare: cumque de glorioso coniuge vestro paterna caritas sollicite perquisisset, cognovimus quod eatenus abominandis idolis serviens, ad suscipiendam vocem prædicatorum suam distulerit obedientiam exhibere. Qua ex re non modica nobis amaritudo congesta est, ab eo quod pars corporis vestri ab agnitione Summæ et Individuæ Trinitatis remansit extranea. Unde paternis officiis vestræ gloriosæ Christianitati nostram admonitionem non distulimus conferendam; adhortantes, quatinus Divinæ inspirationis imbuta subsidiis importune et opportune agendum non differas: ut et ipse Salvatoris nostri Domini Jesu

[1] *ut*] et, Bed.

[2] *opera*] operam, Bed.

Christi cooperante potentia Christianorum numero copuletur; ut perinde intemerato societatis fœdere iura teneas maritalis consortii. Scriptum namque est:[1] 'Erunt duo in carne una.' Quomodo ergo unitas vobis coniunctionis inesse dici poterit, si a vestræ fidei splendore interpositis detestabilis erroris tenebris ille remanserit alienus?

"Unde orationi continuæ insistens, a longanimitate cœlestis clementiæ illuminationis ipsius beneficia impetrare non desinas: ut videlicet quos copulatio carnalis affectus unum quodammodo corpus exhibuisse monstratur, hos quoque unitas fidei etiam post huius vitæ transitum in perpetua societate conservet. Insiste ergo, gloriosa filia, et summis conatibus duritiam cordis ipsius religiosa Divinorum præceptorum insinuatione mollire summopere dematura: infundens sensibus eius, quantum sit præclarum quod credendo suscepisti mysterium, quantumve sit admirabile quod renata præmium consequi meruisti. Frigiditatem cordis ipsius Sancti Spiritus annuntiatione succende; quatinus amoto torpore perniciosissimi[2] cultus, Divinæ fidei calor eius intelligentiam tuarum adhortationum frequentatione succendat: ut profecto sacræ Scripturæ testimonium[3] per te expletum indubitanter perclareat: 'Salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem.' Ad hoc enim misericordiam Dominicæ pietatis consecuta es, ut fructum fidei creditorumque tibi beneficiorum Redemptori tuo multiplicem resignares. Quod equidem suffragante præsidio benignitatis ipsius, ut explere valeas, assiduis non desistimus precibus postulare.

"His ergo præmissis, paternæ vobis dilectionis exhibentes officia hortamur, ut vos reperta portitoris occasione, de his quæ per vos superna potentia mira-

---

[1] Gen ii. 24.

[2] *perniciosissimi*] *perniciosimi*, MS.

[3] 1 Cor. vii. 14.

biliter in conversione coniugis vestri summissæque vobis gentis dignata fuerit operari, prosperis quantocius nuntiis relevetis, quatinus sollicitudo nostra, quæ de vestri vestrorumque omnium animæ salute optabilia desideranter expectat, vobis nuntiantibus relevetur, illustrationemque Divinæ propitiationis in vobis diffusam opulentius agnoscentes, hilari confessione Largitori omnium bonorum Deo et beato Petro Apostolorum principi uberes merito gratias exsolvamus.[1]

" Præterea benedictionem protectoris vestri beati Petri apostolorum principis vobis direximus; id est, speculum argenteum et pectinem eburneum inauratum: quod petimus, ut eo benignitatis animo gloria vestra suscipiat, quo a nobis noscitur destinatum." Hæc quidem memoratus papa Bonifacius de salute regis Edwini ac gentis ipsius litteris agebat.

CAP. XXVII.

Bed. ii. 12. *De oraculo cœlesti, quod Edwino quondam exulanti apud Redwaldum regem pietas Divina revelare dignata est.*

Edwin an exile at the court of Redwald.

SED et oraculum cœleste quod Edwino quondam exulanti apud Redwaldum regem Anglorum pietas Divina revelare dignata est, non minimum ad suscipienda vel intelligenda doctrinæ monita salutaris sensum iuvit illius. Cum ergo videret Paulinus difficulter posse sublimitatem animi regalis ad humilitatem viæ salutaris et suscipiendum mysterium vivificæ crucis inclinari, ac pro salute illius, simul et gentis cui præerat, et verbo exhortationis apud homines, et apud Divinam

---

[1] *exsolvamus*] exolvamus, MS.

pietatem verbo deprecationis ageret; tandem[1] didicit in spiritu, quod vel quale esset oraculum regi quondam cœlitus ostensum. Nec exinde distulit quin continuo regem admoneret explere votum, quod in oraculo sibi exhibito se facturum promiserat, si temporis illius ærumnis exemptus, ad regni fastigia perveniret.

Redwald consents to betray him to Æthelfrid.

Erat autem oraculum huiusmodi. Cum persequente illum Æthelfrido, qui ante eum regnavit, per diversa occultus loca vel regna multorum annorum tempore profugus vagaretur; tandem venit ad Redwaldum, obsecrans ut vitam suam a tanti persecutoris insidiis tutando servaret: qui libenter eum excipiens, promisit se quæ petebatur esse facturum. At postquam Æthelfridus in hac eum provincia apparuisse et apud regem illius familiariter cum sociis habitare cognovit, misit nuntios, qui Redwaldo pecuniam multam pro nece eius offerrent: neque aliquid profecit. Misit secundo, misit tertio, et copiosa[2] argenti dona offerens, et bellum insuper illi si contemneretur indicens. Qui vel minis fractus, vel corruptus muneribus, cessit deprecanti, et sive occidere se Edwinum, seu legatariis tradere promisit. Quod ubi fidissimus quidam amicus illius animadverteret, intravit cubiculum quo dormire disponebat, (erat enim prima hora noctis,) et evocatum foras, quid erga eum agere rex promisisset, edocuit, et insuper adiecit: "Si ergo vis, hac ipsa hora educam te de hac provincia, et ea in loca introducam, ubi nunquam te vel Redwaldus vel Æthelfridus invenire valeant." Qui ait: "Gratias quidem ago benevolentiæ tuæ; non tamen hoc facere possum quod suggeris, ut pactum, quod cum tanto rege inii, ipse primus irritum faciam, cum ille mihi nil mali fecerit, nil adhuc inimicitiarum intulerit. Quin potius, si moriturus sum, ille me magis quam ignobilior quis

---

[1] *tandem*] tandem, ut verisimile videtur, Bed. ii. 12.

[2] *copiosa*] copiosiora, Bed.

morti tradat. Quo enim nunc fugiam, qui per omnes Britanniæ provincias tot annorum temporumque curriculis vagabundus hostium vitabam insidias?" Abeunte igitur amico, remansit Edwinus solus foris, residensque mæstus ante palatium, multis cœpit cogitationum æstubus affici, quid ageret, quove pedem verteret, nescius.

Edwin sees an apparition, which promises that he shall be restored to his country and established on the throne.

Cumque diu tacitis mentis angoribus et cæco carperetur igni, vidit subito intempestæ noctis silentio appropinquantem sibi hominem vultus habitusque incogniti: quem videns, ut ignotum et inopinatum, non parum expavit. At ille accedens salutavit eum, et interrogavit, quare illa hora, ceteris quiescentibus et alto sopore pressis, solus ipse mæstus in lapide pervigil sederet. At ille vicissim sciscitabatur, quid ad eum pertineret, utrum ipse intus an foris noctem transigeret. Qui respôndens ait: "Ne me æstimes tuæ mæstitiæ et insomniorum, et forinsecæ ac solitariæ sessionis causam nescire: scio enim certissime quis es, et quare mæres, et quæ ventura tibi in proximo mala formidas. Sed dicito mihi, quid mercedis dare velis ei, si quis sit, qui his te mæroribus absolvat, et Redwaldo suadeat, ut nec ipse tibi aliquid mali faciat, nec tuis te hostibus perimendum tradat." At Edwinus constantior interrogando factus, non dubitavit promittere, quin ei qui tanta beneficia donaret, dignis gratiarum actionibus responderet. Tum ille tertio: "Si autem," inquit, "is qui tibi tanta taliaque dona veraciter adventura prædixit, etiam consilium tuæ tibi salutis ac vitæ melius atque utilius quam aliquis de tuis parentibus aut cognatis unquam audivit, ostendere potuerit, num ei optemperare et monita eius salutaria suscipere consentis?" Nec distulit Edwinus, quin continuo[1] polliceretur in omni-

[1] *continuo*] continue, MS.

bus se secuturum doctrinam illius, qui se tot[1] ac tantis calamitatibus ereptum ad regni apicem proveheret. Quo accepto responso, confestim is qui loquebatur cum eo, imposuit dexteram suam capiti eius, dicens: "Cum hoc ergo tibi signum advenerit, memento huius temporis ac loquelæ nostræ, et ea quæ nunc promittis adimplere ne differas." Et his dictis, ut ferunt, repente disparuit, ut intelligeret non hominem esse qui sibi apparuisset, sed spiritum.

Et cum regius iuvenis solus adhuc ibidem sederet, gavisus quidem de collata sibi consolatione, sed multum sollicitus ac mente sedula cogitans, quis esset ille, vel unde veniret, qui hæc sibi loqueretur, venit ad eum præfatus amicus illius, lætoque vultu salutans eum: "Surge," inquit, "intra, et sopitis ac relictis curarum anxietatibus, quieti membra simul et animum compone, quia mutatum est cor regis, nec tibi aliquid mali facere, sed fidem potius pollicitam servare disponit. Postquam enim cogitationem suam, de qua tibi ante dixi, reginæ in secreto revelavit, revocavit eum illa ab intentione, admonens quia nulla ratione conveniat tanto regi amicum suum optimum in necessitate positum auro vendere, immo fidem suam, quæ omnibus ornamentis pretiosior est, amore pecuniæ perdere." Quid plura? Fecit rex ut dictum est: nec solum exulem nuntiis hostilibus non tradidit, sed etiam eum ut in regnum perveniret, adiuvit. Nam mox redeuntibus domum nuntiis, exercitum ad debellandum Ethelfridum collegit copiosum, eumque sibi occurrentem cum exercitu multum impari,[2] non enim dederat illi spatium quo totum suum congregaret atque adunaret exercitum, occidit in finibus gentis Merciorum ad orientalem plagam amnis qui vocatur Idle. In quo certamine et filius Redwaldi,

Redwald's wife dissuades her husband from his purpose.

Death of Æthelfrid. Edwin succeeds to the throne.

---

[1] *tot*] tui, MS.; tot, Bed. | [2] *impari*] impij, MS. But see Bed. ii. 12.

vocabulo Ranherus, occisus est. Ac sic Edwinus iuxta oraculum quod acceperat, non tantum regis sibi infesti insidias vitavit, verum etiam eidem perempto in regni gloriam successit.

Paulinus reminds Edwin of his vision.

Cum ergo prædicante verbum Dei Paulino rex credere differret, et per aliquod tempus, ut diximus, horis competentibus solitarius sederet, et quid agendum sibi esset, quæ religio sequenda, sedulus secum ipse scrutari consuesset, ingrediens ad eum quodam die idem vir Dei, imposuit dexteram capiti eius, et an hoc signum agnosceret, requisivit. Qui cum tremens ad pedes eius procidere vellet, levavit eum, et quasi familiari voce affatus: "Ecce," inquit, "hostium manus quos timuisti, Domino donante, evasisti; ecce, regnum quod desiderasti, ipso largiente percepisti. Memento ut tertium quod promisisti, facere non differas, suscipiendo fidem eius et præcepta servando, qui te et a temporalibus adversis eripiens, temporalis regni honore sublimavit, et si deinceps voluntati eius, quam per me tibi prædicat, obsecundare volueris, etiam a perpetuis malorum tormentis te liberans, æterni secum regni in cœlis faciet esse participem."

Bed. ii. 13.

Quibus auditis, rex suscipere quidem se fidem quam docebat, et velle et debere respondebat. Verum adhuc cum amicis principalibus et consiliariis suis sese de hoc collaturum esse dicebat, ut si et illi eadem cum illo sentire vellent, omnes pariter in fonte vitæ consecrarentur. Et annuente Paulino, fecit ut dixerat. Habito enim cum sapientibus consilio, sciscitabatur singillatim ab omnibus, qualis sibi doctrina eatenus inaudita et novus Divinitatis qui prædicabatur cultus videretur.

Edwin proposes to embrace the Christian faith.

Advice of Ceffi, the high priest.

Cui primus pontificum ipsius Ceffi continuo respondit: "Tu vide, rex, quale sit hoc, quod modo nobis prædicatur: ego autem tibi verissime, quod certum didici, profiteor, quia nihil omnino virtutis habet, nihil utilitatis religio illa quam hucusque tenuimus: nullus enim tuorum studiosius quam ego culturæ

deorum nostrorum se subdidit; et nihilominus multi sunt qui ampliora quam ego a te beneficia et maiores accipiunt dignitates, magisque prosperantur in omnibus quæ agenda vel adquirenda disponunt. Si autem dii aliquid valerent, me potius iuvare vellent, qui illis impensius servire curavi. Unde restat, ut si ea quæ nunc nova nobis prædicantur meliora esse et fortiora habita examinatione perspexeris, absque ullo cunctamine suscipere illa festinemus."

Cuius suasioni verbisque prudentibus alius optimatum regis tribuens assensum, continuo subdidit: "Taliter," inquiens, "mihi videtur, rex, vita hominum præsens in terris, ad comparationem eius quod nobis incertum est temporis, quale cum te residente ad cœnam cum ducibus ac ministris tuis tempore brumali, accenso quidem foco in medio et calido effecto cœnaculo, furentibus autem foris per omnia turbinibus hiemalium pluviarum vel nivium, adveniens unus passerum domum citissime pervolaverit, qui per unum ostium ingrediens mox per aliud exierit. Ipso quidem tempore quo intus est, hiemis tempestate non tangitur; sed tamen parvissimo spatio serenitatis ad momentum excurso, mox de hieme in hiemen regrediens, tuis oculis elabitur. Ita hæc vita hominum ad modicum apparet; quid autem sequatur, quidve præcesserit, prorsus ignoramus. Unde si hæc nova doctrina certius aliquid attulit, merito esse sequenda videtur." His similia et ceteri maiores natu ac regis consiliarii divinitus admoniti prosequebantur. Advice of a noble.

Adiecit autem Ceffi, quia vellet ipsum Paulinum diligentius audire de Deo quem prædicabat verbum facientem. Quod cum iubente rege faceret, exclamavit [auditis][1] eius sermonibus dicens: "Iam olim intellexeram nihil esse quod colebamus: quia videlicet quanto Ceffi profanes the idol temples.

[1] *auditis*] om. MS.

studiosius in eo cultu veritatem quærebam, tanto minus inveniebam. Nunc autem aperte profiteor, quia in hac prædicatione veritas[1] claret illa, quæ nobis vitæ, salutis et beatitudinis æternæ dona valet tribuere. Unde suggero, rex, ut templa et altaria quæ sine fructu utilitatis sacravimus ocius anathemati et igni contradamus." Quid plura? præbuit rex palam assensum evangelizandi beato Paulino, et[2] abrenuntiata idolatria, fidem se Christi suscipere confessus est. Cumque a[3] præfato pontifice sacrorum suorum quæreret, quis aras et fana idolorum cum sæptis quibus erant circumdata primus profanare deberet; ille respondit: "Ego. Quis enim quæ per stultitiam colui, nunc ad exemplum omnium aptius quam ipse destruam per sapientiam mihi a Deo vero donatam?" Statimque abiecta superstitione vanitatis, rogavit sibi regem arma dare et equum emissarium, quem ascendens ad idola destruenda veniret. Non enim licuerat pontificem sacrorum vel arma ferre, vel præter in equa equitare. Accinctus ergo gladio accepit lanceam in manu, et ascendens emissarium regis pergebat ad idola. Quod aspiciens vulgus, æstimabat eum insanire. Nec distulit ille, mox ut propiabat ad fanum, profanare illud, iniecta in eo lancea quam tenebat: multumque gavisus de agnitione veri Dei cultus, iussit sociis destruere ac succendere fanum cum omnibus sæptis suis. Ostenditur autem locus ille quondam idolorum non longe ab Eboraco ad orientem, ultra amnem Dorwencienem, et vocatur hodie Gomundingaham, ubi pontifex ipse inspirante Deo vero polluit ac destruxit eas quas ipse sacraverat aras.

---

[1] *veritas*] veritatis, MS.

[2] *et*] rex et, first hand; et rex, second hand.

[3] *a*] et, MS.

CAP. XXVIII.

Quod rex Edwinus cum cunctis gentis suæ nobilibus ac plebe perplurima fidem et lavacrum sanctæ regenerationis[1] *accepit.*

IGITUR rege Occidentalium Saxonum Quinchelmo in loco qui lingua Anglorum Quichelmeshlawe usque hodie dicitur interempto, qui locus in testimonium victoriæ Edwini nomen habet, universisque aliis qui in necem Edwini conspiraverant aut trucidatis aut in deditionem receptis, filiaque ipsius, ut præmisimus, baptizata, oraculoque prædicto per beatum Paulinum, sicut præmisimus, sibi revelato instigatus, rex Edwinus cum cunctis gentis suæ nobilibus ac plebe perplurima fidem et lavacrum sanctæ regenerationis [accepit],[2] anno regni sui undecimo, qui est annus Dominicæ incarnationis sexcentesimus vicesimus septimus, ab adventu vero Anglorum in Britanniam annus centesimus octogesimus. Baptizatus autem est Edwinus Eboraci die sancto Paschæ, pridie[3] iduum Aprilium, in ecclesia sancti Petri apostoli, quam ibidem ipse de ligno cum catechizaretur[4] citato opere construxit. In qua etiam civitate ipsi doctori atque antistiti suo Paulino sedem episcopatus donavit. Mox autem ut baptisma consecutus est, curavit, docente eodem Paulino, maiorem ipso in loco et augustiorem de lapide fabricare basilicam, in cuius medio ipsum quod prius fecerat oratorium includeretur. Præparatis ergo fundamentis in gyro prioris oratorii per quadrum cœpit ædificare basilicam. Sed priusquam altitudo parietis esset consummata, rex ipse, sicut in sequentibus docebimus, impia nece fuerat occisus. Qua de re opus idem successori suo

Bed. ii. 14.

Baptism of Edwin.

April 12, A.D. 627.

York Minster.

Murder of Edwin.

---

[1] *regenerationis*] regnerationis, MS.

[2] *accepit*] om. MS.

[3] *pridie*] pridue, MS.

[4] *catechizaretur*] catezizaretur MS.

Paulinus, archbishop of York, makes many converts.

Oswaldo perficiendum reliquit. Paulinus autem ex eo tempore sex annis continuis, id est, ad finem usque imperii regis illius, verbum Dei, annuente ac favente ipso, in ea provincia prædicabat: credebantque et baptizabantur quotquot erant præordinati ad vitam æternam; in quibus erant Osfridus et Edfridus filii regis Edwini, qui ambo ei exuli nati sunt de Quenburga filia Cerli regis Merciorum.

Baptizati sunt tempore sequente et alii liberi eius de Æthelburga regina progeniti, Æthelhimus et Ætheldritha filia et alter filius Vlfrea, quorum primi adhuc albati rapti sunt de hac vita, et Eboraci in ecclesia sepulti. Baptizatus est et Yffi filius Osfridi, sed et alii nobiles ac regii viri non pauci. Tantus autem fertur tunc fuisse fervor fidei ac desiderium lavacri salutaris genti Northumbrorum, ut quodam tempore Paulinus veniens cum rege et regina in villam regiam quæ vocabatur Adgefrin, triginta sex diebus ibidem cum eis catechizandi et baptizandi officio deditus moraretur: quibus diebus cunctis a mane usque ad vesperam nihil aliud ageret, quam confluentem eo de cunctis viculis ac locis plebem Christi verbo salutis instruere, atque instructam in fluvio Gleni, qui proximus erat, lavacro remissionis abluere. Hæc villa tempore sequentium regum deserta, et [alia][1] pro illa est facta in loco qui vocatur Makmin. Hæc quidem est in provincia Berniciorum; sed et in provincia Deirorum, ubi sæpius manere cum rege solebat, baptizabat in fluvio Swalawa, qui vicum Cataractam præterfluit. Non enim oratoria vel baptisteria in ipso exordio nascentis ibi ecclesiæ poterant ædificari. Attamen in Campo Dono, ubi tunc etiam villa regia erat, fecit basilicam, quam postmodum pagani a quibus Edwinus rex occisus est, cum tota eadem villa succenderunt: pro qua

[1] *alia*] om. MS. But see Bed. ii. 14.

reges posteriores fecere sibi villam in regione quæ vocatur Loidis. Evasit autem ignem altare, quia lapideum erat: et servatur adhuc in monasterio reverentissimi abbatis et presbyteri Drihtulfi, quod in silva Elmete est.

Bed. ii. 15.

Conversion of Erpwald, king of the East Angles.

Tantum autem devotionis Edwinus erga cultum veritatis habuit, ut etiam regi Orientalium Anglorum Erpwaldo filio Redwaldi persuaderet, relictis idolorum superstitionibus, fidem et sacramenta Christi cum sua provincia suscipere. Et quidem pater eius Redwaldus iam dudum in Kantia sacramentis Christianæ fidei imbutus est, sed frustra: nam rediens domum, ab uxore sua et quibusdam perversis doctoribus seductus est, atque a sinceritate fidei depravatus habuit posteriora peiora prioribus; ita ut in morem antiquorum Samaritanorum et Christo servire videretur, et diis quibus antea serviebat, atque in eodem fano et altare haberet ad sacrificium Christi, et arulam ad victimas dæmoniorum. Quod videlicet fanum rex eiusdem provinciæ Aldulfus usque ad suum tempus perdurasse, et se in pueritia vidisse testabatur.

His father Redwaldus, once convert, had relapsed into heathenism.

Pedigree of Redwald.

Erat autem præfatus rex Redwaldus natu nobilis quamlibet[1] actu ignobilis, filius Titili, cuius pater fuit Uffa, a quo reges Orentalium Anglorum Uffingas appellant. Verum Erpwaldus, non multo postquam fidem accepit tempore, occisus est a viro gentili, nomine Richerhto. Et exinde tribus annis provincia in errore versata est, donec accepit regnum frater eiusdem Erpwaldi Sigbertus, vir per omnia Christianissimus ac doctissimus, qui vivente adhuc fratre cum exularet in Gallia, fidei sacramentis imbutus est; quorum participem, mox ubi regnare cœpit, totam suam provinciam facere curavit. Cuius studiis gloriosissime favit Felix episcopus, qui de Burgundiorum partibus, ubi ortus et ordinatus est, cum venisset ad Honorium archiepisco-

Murder of Erpwald.

His brother Sigbert, a zealous Christian, succeeds after three years.

Felix bishop of Dommoc.

[1] *quamlibet*] quam licet, MS. See Bed. ii. 15.

pum, eique indicasset desiderium suum, misit eum ad prædicandum verbum vitæ præfatæ nationi Anglorum. Nec vota ipsius in cassum cecidere; quin potius fructum in ea multiplicem credentium populorum pius agri spiritualis cultor invenit. Siquidem totam illam provinciam, iuxta sui nominis sacramentum, a longa iniquitate atque infelicitate liberatam, ad fidem et opera iustitiæ ac[1] perpetuæ felicitatis dona perduxit, accepitque sedem episcopatus in civitate Dommoc: et cum decem ac septem annos eidem provinciæ pontificali regimine præesset, ibidem in pace vitam finivit.

Bed. ii. 16. Paulinus converts the province of Lindissi.

Prædicabat autem Paulinus verbum Dei provinciæ Lindissi, quæ est prima ad meridianam Humbriæ fluminis ripam, pertingens usque ad mare, præfectumque Lindecolniæ civitatis, cui nomen Blecca, primum cum domo sua convertit ad Dominum. In qua videlicet civitate ecclesiam operis egregii de lapide fecit. Cuius tecto vel longa incuria, vel hostili manu deiecto, parietes hactenus stare videntur, et omnibus annis aliqua sanitatum miracula in eodem loco solent, ad utilitatem eorum qui fideliter quærunt, ostendi. In qua ecclesia Paulinus, transeunte ad Christum Justo, Honorium pro eo consecravit episcopum.

Lincoln cathedral.

Consecration of Honorius.

Baptisms in the Trent.

De huius fide provinciæ narravit quidam presbyter et abbas vir veracissimus de monasterio Partenei, vocabulo Deda, retulisse sibi quendam seniorem, baptizatum se fuisse die media a Paulino episcopo, præsente rege Edwino, et multam populi turbam in fluvio Trenta iuxta civitatem quæ lingua Anglorum Wlfingacestre vocatur. Qui etiam eiusdem Paulini referre esset solitus formam, quod esset vir longæ staturæ, paululum incurvus, nigro capillo, facie macilenta, naso adunco pertenui, venerabilis simul et terribilis aspectu. Habuit autem secum in ministerio et Jacobum diaconum, virum utique

[1] *ac*] ad, MS. See Bed. ii. 15.

industrium ac nobilem in Christo et in ecclesia, qui ad nostra usque tempora permansit.

Cap. XXIX.

Quod tanta fuit pax tempore regis Edwini in Anglia, quod mulier cum uno parvulo per totum regnum eius a mari usque ad mare nullo se lædente perambulare valeret. Bed. ii. 16

Security of England in Edwin's time.

Tanta autem regis Edwini temporibus pax in Britanniam, quaquaversum imperium eius pervenerat, fuisse perhibetur, ut, sicut usque hodie in proverbio dicitur, etiam si mulier una cum recens nato parvulo vellet totam perambulare insulam a mari ad mare, nullo se lædente valeret. Tantum rex idem utilitati suæ gentis consuluit, ut plerisque in locis ubi fontes lucidos iuxta publicos viarum transitus conspexit, ibi ob refrigerium viantium erectis stipitibus æreos caucos suspendi iuberet, neque hos quisquam,[1] nisi ad usum necessarium, contingere præ magnitudine vel timoris eius auderet, vel amoris vellet. Tantum vero in regno excellentiæ habuit, ut non solum in pugna[2] ante illum vexilla gestarentur, sed et tempore pacis equitantem inter civitates sive villas aut provincias suas cum ministris, semper antecedere signifer consuesceret: necnon et incedente illo ubilibet per plateas, illud genus vexilli, quod Romani *Tufam*, Angli appellant *Thuf*, ante eum ferri solebat.

---

[1] *quisquam*] quisnam, MS. But see Bed. ii. 16.

[2] *in pugna*] inpugnat, MS.

Cap. XXX.

Bed. ii. 17. *Quod Honorius papa regi Edwino litteras miserat exhortatorias.*

Letter of Pope Honorius to Edwin.

Eodem tempore præsulatum apostolicæ sedis Honorius Bonifacii successor habebat. Qui ubi gentem Northumbrorum cum suo rege ad fidem confessionemque Christi, Paulino evangelizante, conversam esse didicit, misit eidem Paulino pallium, misit et regi Edwino litteras exhortatorias, paterna illum caritate accendens, ut in fide veritatis quam acceperat,[1] persistere semper ac proficere curaret. Quarum videlicet litterarum iste est ordo:

"Domino excellentissimo atque præcellentissimo filio Edwino regi Anglorum Honorius episcopus servus servorum[2] Dei salutem. Ita Christianitatis vestræ integritas circa sui Conditoris cultum fidei est ardore succensa, ut longe lateque resplendeat, et in omni mundo annuntiata, vestri operis multipliciter referat fructum. Sic enim vos reges esse cognoscitis, dum Creatorem et Regem vestrum orthodoxa prædicatione edocti, Deum venerando creditis, eique, quod humana valet condicio, mentis vestræ sinceram devotionem exsolvitis.[3] Quid enim Deo nostro aliud offerre valebimus, nisi ut in bonis actibus persistentes, ipsumque Auctorem humani generis confitentes, eum colere eique vota nostra reddere festinemus? Et ideo, excellentissime fili mi, paterna vos caritate qua convenit exhortamur, ut hoc quod vos Divina misericordia ad suam gratiam vocare dignata est, sollicita intentione et assiduis orationibus servare omni modo festinetis;

---

[1] *acceperat*] acceperet, MS.

[2] *servus servorum*] servus servus, MS. See Bed. ii. 17.

[3] *exsolvitis*] exolvitis, MS.

ut qui vos in præsenti sæculo ex omni errore absolutos ad agnitionem sui nominis est dignatus perducere, et cœlestis patriæ vobis præparet mansionem. Prædicatoris igitur vestri domini mei apostolicæ memoriæ Gregorii frequenter lectione occupati, præ oculis affectum doctrinæ ipsius, quem pro vestris animabus libenter exercuit, habetote: quatinus eius oratio et regnum vestrum populumque augeat, et vos Omnipotenti Deo irreprehensibiles repræsentet. Ea vero quæ a nobis pro vestris sacerdotibus ordinanda sperastis, hæc pro fidei vestræ sinceritate, quæ nobis multimoda relatione per præsentium portitores laudabiliter insinuata est, gratuito animo attribuere ulla sine dilatione prævidemus; et duo pallia utrorumque metropolitanorum, id est, Honorio et Paulino direximus, ut dum quis eorum de hoc sæculo ad Auctorem suum fuerit accersitus, in loco ipsius superstes alterum episcopum ex hac nostra autoritate debeat subrogare. Quod quidem tam pro vestræ caritatis affectu, quam pro tantarum provinciarum spatio quæ inter nos et vos esse noscuntur, sumus invitati concedere, ut in omnibus devotioni vestræ nostrum concursum et iuxta vestra desideria præberemus. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat."

Inter hæc Justus archiepiscopus ad cœlestia regna sublatus est quarto iduum Novembrium die, et Honorius pro illo in præsulatum electus: qui ordinandus venit ad Paulinum, et occurrente sibi illo in Lindecolnio quintus ab Augustino Dorobernensis ecclesiæ consecratus est antistes. Cui etiam præfatus papa Honorius misit pallium et litteras, in quibus decernit hoc ipsum, quod in epistola ad Edwinum regem missa decreverat: scilicet ut cum Dorobernensis vel Eboracensis antistes de hac vita transierit, is qui superest consors eiusdem gradus, habeat potestatem alterum ordinandi, in loco eius qui transierat, sacerdotem; ne sit necesse ad Romanam usque civitatem per tam prolixa

Bed. ii. 18.
Justus dies, Nov. 10, A.D. 630.
Honorius fifth archbishop of Canterbury.

terrarum et maris spatia pro ordinando archiepiscopo semper fatigari. Quarum etiam textum litterarum in nostra hac historia ponere commodum duximus.

Letter of pope Honorius to him.

"Dilectissimo fratri Honorio Honorius episcopus servus servorum Dei. Inter plurima quæ Redemptoris nostri misericordia suis famulis dignatur bonorum munera prærogare, illud etiam clementer collata suæ pietatis munificentia tribuit, quotiens per fraternos affectus unanimem dilectionem quadam contemplatione alternis aspectibus repræsentat. Pro quibus maiestati eius gratias indesinenter exsolvimus, eumque votis supplicibus exoramus, ut vestram dilectionem in prædicatione evangelii elaborantem et fructificantem, sectantemque magistri et capitis sui sancti Gregorii regulam, perpeti stabilitate confirmet, et ad augmentum ecclesiæ suæ potiora per vos suscitet incrementa; ut fide et opere, in timore Dei et caritate, vestra adquisitio decessorumque vestrorum, quæ per domini Gregorii exordium pullulat, convalescendo amplius extendatur; ut ipsa vos Dominici eloquii promissa in futuro respiciant, vosque vox ista ad æternam festivitatem evocet:[1] 'Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.' Et iterum:[2] 'Euge, serve bone et fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.' Et nos equidem, fratres carissimi, hæc vobis pro æterna caritate exhortationis verba præmittentes, quæ rursus pro ecclesiarum vestrarum privilegiis congruere posse conspicimus, non desistimus impertire. Et tam iuxta vestram petitionem, quam filiorum nostrorum regum, vobis præsenti nostra præceptione, vice beati Petri apostolorum principis, auctoritatem tribuimus, ut quando unum ex vobis Divina ad se iusserit gratia evocari, is qui superstes fuerit alterum in loco debeat defuncti

[1] Matth. xi. 28.

[2] Matth. xxv. 23.

episcopum ordinare. Pro hac etiam re singula vestræ dilectioni pallia pro eadem ordinatione celebranda direximus, ut per nostræ præceptionis auctoritatem possitis Deo placitam ordinationem efficere; quia ut hæc vobis concederemus, longa terrarum marisque intervalla, quæ inter nos ac vos obsistunt, ad hæc nos condescendere coëgerunt, ut nulla possit ecclesiarum vestrarum iactura per cuiuslibet occasionis optentum quoquo modo provenire; sed potius commissi vobis populi devotionem plenius propagare. Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater."

"Data die tertia idus Junias imperantibus dominis nostris piissimis Augustis, et Heraclio anno vicesimo quarto, post consulatum eiusdem anno vicesimo tertio; [atque Constantino filio ipsius anno vicesimo tertio,][1] et consulatus eius anno tertio; sed et Heraclio felicissimo Cæsare id est filio eius anno tertio, indictione septima, id est, anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo tricesimo quarto." June 11, A.D. 634.

Cap. XXXI.

De pugna inter Edwinum regem Northumbrorum et Cadwallonem regem Britonum.

Galfrid. Monum. xii. 4, seq.; Matth. Westm. pp. 218, 219; Rog. Wend. pp. 130, 131. [A.D. 633.] Cadwallo, king of the Britons, is defeated by Edwin, and flies to Ireland.

Orta discordia inter Edwinum regem Northumbrorum et Cadwallonem regem Britonum, cum utrorumque homines sese plurimis decertationibus inquietavissent, convenerunt ambo reges ultra Humbrum in prælium, factoque congressu amisit Cadwallo multa milia suorum, et in fugam versus est, arreptoque per Albaniam itinere Hiberniam insulam adivit. At Edwinus, ut

[1] *atque—tertio*] om. MS. See Bed. ii. 18.

triumpho potitus fuit, duxit exercitum suum per provincias Britonum, id est tria eorum regna, Demeciæ videlicet Venodociæ et Meneniæ. Combustis urbibus et colonis destructis omnes illorum provincias in sua iura recepit. Cadwallo autem, qui in Hiberniam aufugerat, resociatis catervis suis conabatur semper in patriam navigiis reverti, nec poterat; quia quocunque in portu applicare incipiebat, obviabat illi Edwinus cum multitudine sua, introitumque auferebat. Venerat namque ad eum quidam sapientissimus astrologus et augur ex Hispania, vocabulo Pellitus, qui cursus stellarum edoctus prædicebat ei omnia infortunia quæ accedebant. Unde reditu Cadwallonis notificato, obviabat ei Edwinus navesque suas illidebat, ita ut submersis sociis eidem omnem portum abnegaret. Nescius igitur Cadwallo quid faceret, cum fere in desperationem revertendi incidisset, tandem apud se deliberabat, quod Salamonem regem Armoricanorum Britonum adiret, rogaretque illius[1] auxilium, quo in regnum suum reverti quivisset. Cumque vela versus Armoricam dirigeret, ruunt ex inproviso tempestates validæ, disperguntque naves, ita ut in brevi nulla cum altera remaneret. Invasit ilico terror nimius rectorem navis regis, quam relicto remige dispositioni fortunæ permisit. Ut igitur cum [periculo mortis][2] tota nocte inter obstantes undas nunc huc nunc illuc expulsa fuit, in sequentis diei aurora applicuerunt in quandam insulam quæ Garnareia nuncupatur, ubi maximo labore nacti sunt tellurem. Occupavit continuo Cadwallonem tantus dolor ab amissione suorum, ut tribus diebus ac noctibus cibo vesci aspernaretur, ac in lecto infirmatus iaceret. Quarta deinde die cepit eum maxima cupiditas edendi ferinam carnem; vocatoque Briano nepote suo indicavit quod concupiscebat. At ille sumpto arcu

Cadwallo, after many vain attempts to land in Britain, sets sail for Armorica.

A storm disperses his fleet.

He lands on the island Garnareia.

[1] *illius*] illi, MS.

[2] *periculo mortis*] Galfrid.

cum pharetra cœpit ire per insulam, ut si casus aliquam feram offerret, escam illi ex ea acquireret. Cumque aliquam non reperisset, cruciatus est angustiis maximis, quia domini sui subvenire nequiret affectui. Timebat enim ne mors infirmitatem ipsius subsequeretur, si appetitum suum explere non valuisset. Usus igitur arte nova scidit femur suum, et abstraxit inde frustum[1] carnis, paratoque veru torruit illud et ad regem pro venatione portavit. Mox ille, ferinam carnem esse existimans, cœpit ea vesci et sese reficere, admirans quod tantam dulcedinem in aliis non reperisset carnibus. Satiatus tandem hilarior factus est; ita ut post tres dies totus sanus fieret. Incumbente deinde congruo vento armamenta navis paravit; erectoque velo æquoreum iter aggrediuntur, et in Kidalentam urbem applicant. Deinde venientes ad regem Salomonem suscepti sunt ab illo benigne, et ut decebat venerati. Et cum causam adventus eorum didicisset, auxilium eis in hunc sermonem promisit: "Dolendum nobis est, egregii iuvenes, patriam avorum nostrorum a barbara gente oppressam esse, et vos ignominiose expulsos. Et cum ceteri homines regna sua tueri queant, mirum est populum vestrum tam fecundam insulam amisisse, nec genti illorum, quam nostrates pro vili habent, resistere posse. Cum gens huius meæ Britanniæ una cum vestratibus cohabitaret, dominabatur omnium provincialium virorum, nec fuit uspiam populus præter Romanos, qui eam subiugare quivisset. Romani autem licet eam ad tempus subditam habuissent, amissis rectoribus suis ac interfectis cum dedecore expulsi abscesserunt. Sed postquam Maximiano et Conano ducibus ad hanc venerunt provinciam, residui qui remanserunt nunquam eam deinceps habuerunt gloriam, ut diadema regni con-

To appease the king's longing for meat, his nephew Brian cuts a slice from his own thigh and dresses it.

Salomo, king of Armorica, engages to support Cadwallo.

---

[1] *frustum*] frustrum, MS.

tinue haberent. Quamquam enim multi principes eorum antiquam patrum dignitatem haberent, plures tamen debiliores heredes succedebant, qui eam penitus invadentibus hostibus amittebant. Unde debilitatem populi doleo, cum ex eodem genere simus et sic Britones nominemur, sicut et gens nostri[1] regni, quæ patriam quam videtis omnibus vicinis adversatam viriliter tuetur."

Postquam his et aliis finem dicendi fecit, aliquantulum verecundans Cadwallo in hunc modum respondit: "Gratias tibi ago, rex regibus atavis[2] edite, quia auxilium mihi promittis ut regnum meum recuperem. Hoc autem quod dicebas, gentem meam non servasse avorum dignitatem, postquam Britones ad has provincias venerunt, nequaquam admirandum censeo. Nobiliores namque totius regni prædictos duces secuti fuerunt, ignobiliores remanserunt. Qui cum vicem nobilium optinere cœpissent, extulerunt se ultra quam dignitas expetebat, et ob affluentiam divitiarum superbi cœperunt tali et tantæ fornicationi indulgere, qualis nec inter gentes audita est; et, ut Gildas historicus testatur, non solum hoc vitium sed omnia quæ humanæ naturæ accidere solent, et præcipue quod totius boni evertit statum, odium veritatis cum assertoribus suis, susceptio mali pro bono, exceptio Sathanæ pro angelo lucis. Ungebantur reges non propter Dominum, sed qui ceteris crudeliores extarent; et paulo post ab unctoribus non pro veri examinatione trucidabantur, aliis electis trucioribus. Si quis vero eorum mitior et veritati propior videretur, in hunc quasi subversorem Britanniæ omnium odia telaque torquebantur. Denique omnia quæ Deo placebant [et displicebant][3] æquali lance inter eos penderent, si non

Gildas. [Hist. c. 19 p. 12, c. seq.]

[1] *nostri*] vestri, MS.

[2] *atavis*] attavis, MS. Horat. Carm. I. 1, 1.

[3] *et displicebant*] Galfrid. xii. 6.

graviora essent displicentia. Itaque agebantur cuncta quæ saluti fuerant contraria, ac si nihil medicinæ a vero omnium Medico largiretur; et non solum hoc sæculares viri, sed et ipse grex Domini eiusque pastores sine discretione faciebant.[1] Non igitur admirandum est degeneres tales Deo ob talia scelera invisos patriam illam amittere, quam modo prædicto maculaverant. Volebat enim Deus vindictam sumere, dum externum populum supervenire passus est, qui eos patriis agris exterminarent. Dignum tamen esset, si Deus permitteret, cives pristinæ dignitati restituere, ne generi nostro obprobrium sit nos debiles fuisse rectores, qui tempore nostro in id non desudaverimus. Idem etenim nobis atavus[2] fuit, unde securius auxilium tuum postulo. Malgo namque, summus ille rex, qui post Arthurum quartus regnaverat, duos generavit filios, quorum unus Cumanus, alter vero Run vocabatur. Cumanus autem genuit Belin, Beli Jagonem, Jago Cadnanum patrem meum. Runo vero, qui post obitum fratris expulsus fuit, inquietatione Saxonum hanc patriam adivit, deditque filiam suam Hohelo duci, filio magni Hoheli, qui cum Arthuro patrias subiugaverat. Ex illa natus est Alanus, ex Alano Hohelus pater tuus, qui dum vixit toti Galliæ non minimum inferebat terrorem." Interea hiemante eo apud Salomonem, inierunt consilium, ut Brianus præfatus nepos regis in Britanniam transfretaret, præfatumque astrologum Edwino regi futura prædicentem, sicut prædiximus, qua de re Cadwalloni regressus in patriam fuerat denegatus, aliquo modo perimeret, ne solita arte adventum Cadwallonis indicaret. Cumque Brianus in portu Hamonis, id est Southamptonia, applicuisset, finxit se infra vestimenta cuiusdam pauperis, fecitque sibi baculum ferreum quo astrologum sive

Pedigrees of Cadwallo and Salomo.

Brian undertakes to kill Edwin's astrologer Pellitus.

---

[1] *faciebant*] faciebat, MS.

[2] *atavus*] attavus, MS.

magum[1] interficeret. Deinde perrexit Eboracum, nam tunc Edwinus ibi manebat. Ut igitur illam ingressus est, associavit se pauperibus, qui ante ianuam regis eleemosynam expectabant. Eunte autem eo et redeunte, egressa est soror eius ex aula habens pelium in manibus, ut aquam reginæ asportaret. Illam rapuerat Edwinus ex urbe Gurgonensium, dum post fugam Cadwallonis per provincias Britonum desæviret. Cum itaque ante Brianum præteriret, agnovit eam continuo, et in fletum solutus demissa[2] voce eam vocavit. Ad vocem igitur illius puella faciem vertens, dubitavit primo quis ipse esset. At ut propius[3] accessit, agnito fratre pæne in extasi collapsa est, timens ne aliquo infortunio notificatus ab hostibus caperetur. Postpositis ergo oculis indicavit breviter fratri statum curiæ, et astrologum quem quærebat, qui forte inter pauperes deambulabat, dum eleemosyna eisdem distribueretur. Porro Brianus præcepit sorori suæ sequenti nocte ex thalamis furtim egredi, et ad se extra urbem iuxta quoddam vetus templum venire. Deinde intromisit se infra turbam pauperum in parte illa, ubi Pellitus astrologus ipsos collocabat. Nec mora: cum aditum percutiendi habuisset, erexit burdonem, infixitque Pellitum sub pectore, atque eodem ictu interfecit. Mox proiecto baculo delituit inter ceteros, et præfata latibula favente Deo petivit. At soror eius nocte instante pluribus modis conata est egredi, nec valuit, quia Edwinus ob necem Pelliti astrologi exterritus vigiles circa curiam posuerat, qui quæque abdita explorantes egressum ei abnegabant. Cumque id comperisset Brianus, recessit ex loco illo, ivitque Exoniam, ubi convocatis Britonibus ea quæ fecerat notificavit. Missis ergo ad Cadwallonem[4] legatis munivit urbem illam, mandavitque

Brian fortifies Exeter.

[1] *astrologum sive magum*] sine astrologum magum, MS.
[2] *demissa*] dimissa, MS.
[3] *propius*] proprius, MS.
[4] *Cadwallonem*] Cadwalonem, MS.

universis Britonum proceribus ut oppida sua conservare insisterent, lætique adventum Cadwallonis expectarent, qui in brevi auxilio Salomonis fretus eis præsidio veniret. Hoc itaque per totam insulam divulgato, Peanda rex Merciorum cum maxima multitudine Saxonum veniens Exoniam Brianum obsedit.

Peanda, king of Mercia, invests Exeter.

Cap. XXXII.

De reditu[1] *Cadwallonis regis in Britanniam, et de captione Peandæ regis Merciorum, et de morte regis Edwini et desolatione provinciæ Northumbrorum.*

Galfrid. Monume xii. 8; Matth. Westm., pp. 219, 220; Rog. Wend. pp. 132, 133.

[A.D. 634.]

Cum rex Britonum Cadwallo quæ facta fuerant de Pellito astrologo cognovisset, applicuit in insulam cum decem milibus militum, quos ei rex Salomon commiserat, petivitque celeriter obsidionem quam prædictus rex Peanda tenebat. Conserto deinde gravi prælio, captus est rex Peanda, et eius exercitus peremptus et dissipatus. At Peanda, cum alium aditum salutis non haberet, Cadwalloni regi se subdens fidelitatem iuravit, et obsides de subiectione invenit, seseque promisit cum Cadwallone Saxones inquietaturum. Itaque Peanda rege triumphato, convocatis Britonibus Cadwallo rex cum dicto Peanda rege Merciorum Northumbriam petivit, patriamque regis Edwini non cessavit devastare. Quod cum Edwino relatum esset, associavit[2] sibi omnes regulos Anglorum, dicto Peanda Merciorum rege tantum excepto; et conserto gravi prælio in campo qui vocatur Hatfeld, occisus est Edwinus die quarta iduum Octobrium anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo tricesimo tertio, cum esset annorum quadraginta et octo, eiusque totus exercitus est interemptus

Cadwallo lands in Britain, takes captive Peanda, king of Mercia, and with him invades Northumberland.

Bed. ii. 20.

Edwin is slain in battle at Hatfeld, Oct. 12, A.D. 633, æt. 48, regni 17.

[1] *reditu*] redditu, MS. | [2] *associavit*] associavitque, MS.

et dispersus. Regnavit autem Edwinus gloriosissime super gentem Anglorum simul et Britonum decem et septem annis, et tandem, ut præmisimus, a Cadwallone et Peanda regibus in supradicto bello est interemptus. In præfato vero bello ante patrem occisus est Effridus filius Edwini, iuvenis bellicosus, cum Godboldo rege Orchadum, qui Edwino in auxilium venerat. Alter vero filius Edwini, nomine Ædfridus, necessitate cogente ad Peandam regem transfugit, et ab eo postmodum, regnante Oswaldo, contra fidem iurisiurandi[1] peremptus est. Quo tempore maxima est facta strages in ecclesia vel gente Northumbrorum, maxime quod unus ex ducibus a quibus acta est, paganus, alterque barbarus erat pagano severior. Siquidem Peanda rex cum omni Merciorum gente idolis deditus, et Christiani nominis erat ignarus: at vero Cadwallo rex, quamvis nomen et professionem haberet Christiani, adeo tamen erat animo ac moribus barbarus, ut ne sexui quidem muliebri vel innocuæ parvulorum parceret ætati, quin universos atrocitate ferina morti per tormenta contraderet, multo tempore totas eorum provincias debacchando pervagatus, ac totum genus Anglorum Britanniæ finibus erasurum se esse deliberans. Sed nec religioni Christianæ, quæ apud eos exorta erat, aliquid inpen debat honoris; quippe cum usque hodie moris sit Britonum, fidem religionemque Anglorum pro nihilo habere, neque in aliquo eis magis communicare quam cum paganis.

Persecution in Northumberland.

Allatum est autem caput Edwini regis Eboracum, et illatum postea in ecclesiam beati Petri apostoli, quam ipse incepit, sed successor eius Oswaldus perfecit, ut supra docuimus, positum est in porticu sancti papæ Gregorii, a cuius ipse discipulis verbum vitæ susceperat.

Paulinus

Turbatis itaque rebus Northumbrorum huius articulo

---

[1] *iurisiurandi*] iusiurandi, MS. | [2] *severior*] sævior, Bed. ii. 20.

cladis, cum nihil alicubi præsidii nisi in fuga esse videretur, Paulinus, assumpta secum regina Æthelburga quam pridem adduxerat, rediit Kantiam navigio, atque ab Honorio archiepiscopo et rege Edbaldo multum honorifice susceptus est. Venit autem illuc duce Basso, milite regis Edwini fortissimo, habens secum Anfledam filiam Edwini, et Usfream filium eiusdem regis, necnon et Iffi filium Osfridi filii[1] eius, quos postea mater metu Edbaldi et Oswaldi regum misit in Galliam nutriendos regi Daguberto, qui erat amicus illius; ibique ambo in infantia defuncti, et iuxta honorem vel regiis pueris vel innocentibus Christi congruum in ecclesia sepulti sunt. Attulit autem secum vasa pretiosa Edwini regis perplura, in quibus et crucem magnam auream, et calicem aureum consecratum ad ministerium altaris, quæ omnia in ecclesia Cantuariensi[2] servata multo post tempore ostendebantur.

retires into Kent.

Cap. XXXIII.

Ut primi successores Edwini regis et fidem suæ gentis perdidèrint et regnum. Bed. iii. 1.

Interfecto in pugna nobilissimo rege Edwino, suscepit pro illo regnum Deirorum, de qua provincia ille generis prosapiam et primordia regni habuerat, filius patrui eius Alfrici, vocabulo Osricus, qui ad prædicationem Paulini fidei erat sacramentis imbutus. Porro regnum Berniciorum, nam in has duas provincias gens Northumbrorum antiquitus divisa erat, suscepit filius Æthelfridi, qui de illa provincia generis et regni originem duxerat, nomine Anfridus. Siquidem tempore toto

A.D. 633. Osric king of Deira.

Anfrid king of Bernicia.

[1] *filii*] filiū, MS. But see Bed. ii. 20.

[2] *Cantuariensi*] Cantiæ, Bed.

quo regnavit Edwinus, filii præfati regis Æthelfridi, qui ante illum regnaverat, cum magna nobilium iuventute apud Scottos sive Pictos exulabant, ibique ad doctrinam Scottorum catechizati et baptismatis sunt gratia recreati. Qui ut mortuo rege inimico patriam sunt redire permissi, accepit primus eorum quem diximus Anfridus regnum Berniciorum. Qui uterque rex ut terreni regni infulas sortitus est, sacramenta regni cœlestis quibus initiatus erat, anathematizando perdidit, ac se priscis idolatriæ sordibus polluendum perdendumque restituit.

A.D. 634. Both kings are killed by Cadwallo. Nec mora: utrumque rex Britonum Cadwallo impia manu sed iusta ultione peremit. Et primo quidem proxima æstate Osricum, dum se in oppido municipio temerarie[1] obsedisset, erumpens subito cum suis omnibus imparatum cum toto exercitu delevit. A.D. 635. Dein cum anno integro provincias Northumbrorum non ut rex victor possideret, sed quasi tyrannus sæviens disperderet ac tragica cæde dilaceraret, tandem Anfridum inconsulte ad se cum duodecim electis militibus postulandæ pacis gratia venientem simili sorte damnavit. Infaustus ille annus et omnibus bonis exosus usque hodie permanet, tam propter apostasiam regum Anglorum qua se fidei sacramentis exuerant, quam propter vesanam Britonici regis tyrannidem. Unde cunctis placuit regum tempora computantibus, ut ablata de medio regum perfidorum memoria, idem annus sequentis regis, id est, Oswaldi, viri Deo dilecti, regno assignaretur.

[1] *temerarie*] temararie, MS.

Cap. XXXIV.

Quod Oswaldus super duo regna, Deirorum videlicet et Berniciorum, consecratur in regem. Bed. iii. 3.

Anno gratiæ sexcentesimo tricesimo quinto Oswaldus vir Deo dilectus regnum Northumbrorum integrum suscipiens novem annis tenuit. Qui mox ubi regnum suscepit, desiderans totam cui præesse cœpit gentem fidei Christianæ gratia imbui, cuius experimenta permaxima in expugnandis barbaris iam ceperat, misit ad maiores natu Scottorum, inter quos exulans ipse baptismatis sacramenta cum his qui secum erant militibus consecutus erat; petens ut sibi mitteretur antistes, cuius doctrina ac ministerio gens quam regebat Anglorum Dominicæ fidei dona disceret et susciperet sacramenta. Neque aliquanto[1] tardius quod petiit impetravit: accepit namque pontificem Aidanum, summæ mansuetudinis et pietatis ac moderaminis virum, habentemque zelum Dei.

A.D. 635. Oswald king of Northumbria.

He invites the Scotti to send a missionary into his country.

Aidan's mission.

Venienti igitur ad se episcopo Aidano, rex locum sedis episcopalis in insula Lindisfarnensi, ubi ipse petebat, tribuit. Qui videlicet locus accedente ac recedente reumate bis cotidie instar insulæ maris circumvolvitur undis, bis renudato litore contiguus terræ redditur. Admonitionibusque episcopi humiliter ac libenter in omnibus auscultans Oswaldus, ecclesiam Christi in regno suo multum diligenter ædificare ac dilatare curavit. Ubi pulcherrimo sæpe spectaculo contigit, ut evangelizante antistite qui Anglorum linguam perfecte non noverat, ipse rex suis ducibus ac ministris interpres verbi existeret cœlestis: quia nimirum tam longo exilii sui tempore linguam Scottorum iam plene didicerat. Exinde cœperunt plures per dies

He is made bishop of Lindisfarne.

---

[1] *aliquanto*] aliquando, MS.

de Scottorum regione venire Britanniam, atque illis Anglorum provinciis, quibus regnavit rex Oswaldus, magna devotione verbum fidei prædicare, et credentibus gratiam baptismi, quicunque sacerdotali erant gradu præditi, ministrare. Construebantur ergo ecclesiæ per loca, confluebant ad audiendum verbum Dei gaudentes, donabantur munere regio possessiones et territoria ad instituenda monasteria, imbuebantur præceptoribus Scottis parvuli Anglorum, una cum maioribus studiis et observatione disciplinæ regularis.

The island Hii.

Nam monachi erant maxime qui ad prædicationem venerant. Monachus ipse episcopus Aidanus, utpote de insula quæ vocatur Hii destinatus: cuius monasterium in cunctis pæne septentrionalium Scottorum et omnium Pictorum monasteriis non parvo tempore arcem tenebat, regendisque eorum populis præerat. Quæ videlicet insula ad ius quidem Britanniæ pertinet, non magno ab ea freto discreta, sed donatione Pictorum, qui illas Britanniæ plagas incolunt, iamdudum monachis[1] Scottorum tradita, eo quod illis prædicantibus fidem Christi perceperint.

Bed. iii. 6.

King Oswald's dominions.

Huius igitur antistitis Aidani doctrina rex Oswaldus cum ea cui præerat gente Anglorum institutus, non solum incognita progenitoribus suis regna cœlorum sperare didicit, sed et regna terrarum plusquam ulli maiorum suorum ab eodem uno Deo qui fecit cœlum et terram consecutus est. Denique omnes nationes et provincias Britanniæ, quæ in quattuor linguas, id est, Britonum et Pictorum, Scottorum et Anglorum divisæ sunt, in dicione accepit.

His charity.

Quo regni culmine sublimatus, nihilominus, quod mirum dictu est, pauperibus ac peregrinis semper humilis ac largus fuit. Unde arbitror etiam temporaliter absolutam esse cœlestis sententiæ fidem, quam

---

[1] *monachis*] monachus, MS.

Divinum quondam resultavit oraculum.[1] "Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi." Denique fertur quia tempore quodam cum die sancto[2] paschæ cum præfato episcopo Aidano consedisset ad prandium, positusque esset in mensa coram eo discus argenteus regalibus epulis refertus, et iam iamque essent manus ad panem benedicendum missuri, intrasse subito ministrum ipsius cui suscipiendorum inopum erat cura delegata, et indicasse regi, quia multitudo pauperum undecunque adveniens maxima per plateas sederet, postulans aliquid a rege: qui mox dapes sibimet appositas deferri pauperibus, sed et discum confringi, atque eisdem minutatim dividi præcepit. Quo viso pontifex qui assidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dextram eius, et ait: "Nunquam veterascet[3] hæc manus." Quod et ita iuxta votum benedictionis eius provenit. Nam cum interfecto illo in pugna manus cum brachio a cetero essent corpore resecatæ, contigit ut hactenus incorruptæ perdurent, sicut inferius loco suo plenius declarabimus.

Union of the provinces Deira and Bernicia.

Huius industria regis Deirorum et Berniciorum provinciæ, quæ eatenus ab invicem discordabant, in unam sunt pacem et velut unum compaginatæ in populum. Erat autem Oswaldus filius regis Æthelfridi et frater Eanfridi, ac etiam nepos Edwini regis ex sorore Atha, unde dignum fuit, ut tantus præcessor, videlicet Edwinus, talem [haberet][4] de sua consanguinitate et religionis et regni heredem.

---

[1] Ps. cxi. 9.
[2] *sancto*] sancte, MS.
[3] *veterascet*] veterescet, MS.
[4] *haberet*] om. MS.

Cap. XXXV.

Bed. iii. 7. *Quod gens Occidentalium Saxonum cum rege suo Kinegilso, prædicante illis Birino episcopo, fidem Christi suscepit.*

Conversion of the West Saxons (Gewissæ). Eodem tempore gens Occidentalium Saxonum, qui antiquitus Gewissæ vocabantur, regnante Kinegilso fidem Christi suscepit, prædicante illis verbum Dei Birino episcopo, qui cum consilio papæ Honorii venerat Britanniam; promittens quidem se illo præsente in intimis Anglorum partibus, quo nullus doctor præcessisset, sanctæ fidei semina esse sparsurum. Unde et iussu eiusdem pontificis per Asterium Genuensem episcopum in episcopatus consecratus est gradum. Sed Britanniam perveniens, ac primum Gewissorum gentem ingrediens, cum omnes ibidem paganissimos inveniret, utilius esse ratus est ibi potius verbum Dei prædicare, quam ultra progrediens eos quibus prædicare deberet inquirere.

Baptism of Kinegils. Itaque evangelizante illo in præfata provincia, cum rex ipse Kinegils catechizatus fonte baptismi cum sua gente ablueretur, contigit tunc temporis sanctissimum ac victoriossimum regem Northumbrorum Oswaldum affuisse, eumque de lavacro exeuntem suscepisse, ac sic pulcherrimo prorsus et Deo digno consortio, cuius erat filiam accepturus in coniugem, ipsum prius secunda generatione Deo dedicatum sibi accepit in filium. Donaverunt[1] autem ambo reges eidem episcopo Birino civitatem Dorkecestriæ, ad faciendum inibi sedem episcopalem; ubi constructis ecclesiis ac Deo dedicatis Divini cultus propagines ad fructum in eis perducere laborabat.

Birinus bishop of Dorchester.

---

[1] *Donaverunt*] Domauerũt, MS. See Bed. iii. 7.

Cap. XXXVI.

De pugna Oswaldi regis cum Peanda Merciorum rege et de victoria ipsius.

Bonitati autem Oswaldi regis boni totius inimicus invidens, incitavit regem Britonum Cadwallonem in necem Oswaldi, quatinus ipsum conaretur extinguere. Nam Cadwallo victoriarum gestarum memoria elatus, sese dictitabat virum in exterminium Anglorum natum. Unde in Anglos acrius desæviens, ipsorum regem Oswaldum cum suis copiis in quantum potuit radicitus extirpare elaborabat. Qua de re ipsum Oswaldum post ceteros inquietatum usque ad murum, quem Severus imperator inter Britanniam Scotiamque construxerat, fugavit. At vero postea cum Oswaldus quantulumque exercitum undecumque congregasset, his sermonibus in bellum omnes excitavit, ut aut vincendum sibi commilitones nossent, aut moriendum, nihil de fuga meditatos; exprobrandi pudoris rem ventilari allegans, Anglos cum Britannis tam iniquo Marte confligere, ut contra illos pro salute decertarent, quos prius pro gloria eorum patres et maiores præcedentes consueverunt lacessere. Itaque pro libertate audentibus animis et effusis viribus decertarent, nihil de fuga meditantes; tali modo et illis provenire gloriam, et annuente Deo patriæ libertatem. Misso igitur a Cadwallone rege Britonum Peanda Merciorum rege cum expeditione maxima ad eundem[1] locum, ut cum Oswaldo bellum consereret, supervenit rex Oswaldus cum parvo quidem exercitu, sed fide Christi munito. Et ibidem facta citato opere cruce, ac fovea præparata in qua crux statui deberet, ipse fide fervens hanc cum arripuerit ac foveæ imposuerit atque utraque manu erectam tenuerit, donec aggesto a militibus pul-

Will. Malmesb. i. 49, p. 70.

Galfrid. Monum. xii. 10.

Cadwallo forces Oswald to retreat.

Bed. iii. 2.

Battle between Oswald and Peanda.

[1] *eundem*] eundũ, MS.

vere terræ figeretur, demum flexis genibus Dominum deprecatus est, ut in tanta rerum necessitate suis cultoribus cœlesti succurreret auxilio. Et hoc facto elata in altum voce cuncto exercitui proclamavit: "Flectamus omnes genua et Deum Omnipotentem Vivum ac Verum in commune deprecemur, ut nos ab hoste superbo ac feroce sua miseratione defendat. Scit[1] enim ipse quia iusta pro salute gentis nostræ bella suscepimus." Fecerunt omnes ut iusserat, et sic incipiente diluculo in hostem progressi, iuxta meritum suæ fidei victoria potiti sunt. In cuius loco orationis innumeræ virtutes sanitatum postea noscuntur esse patratæ, ad indicium videlicet ac memoriam fidei regis Oswaldi. Nam et usque hodie multi de ipso ligno sanctæ crucis astulas excidere solent, quas cum in aquas miserint, eisque languentes homines aut pecudes potaverint sive asperserint, mox sanitati restituuntur. Heononfeld. Vocatur locus ille lingua Anglorum Heononfeld, quod dici potest Latine Cœlestis Campus. Quod certo utique præsagio futurorum antiquitus nomen accepit, significans nimirum, quod ibidem cœleste erigendum tropæum,[2] cœlestis inchoanda victoria, cœlestia usque hodie forent miracula celebranda. Est autem locus ille iuxta murum illum ad Aquilonem, quo Romani quondam ob arcendos barbarorum impetus a mari ad mare præcinxerunt Britanniam, ut supra docuimus. In quo videlicet loco consuetudinem multo iam tempore fecerant fratres Hangustaldensis ecclesiæ, quæ non longe abest. Advenientes videlicet omni anno pridie quam postea idem rex Oswaldus occisus est, vigilias pro salute animæ eius facere, plurimaque psalmorum laude celebrata, sacratiorem et cunctis honorabiliorem omnibus locum fecerunt. Nec inmerito; quia nullum, ut comperimus, fidei Christianæ signum in ulla ecclesia, nullum altare in tota

---

[1] *Scit*] Sit, MS.

[2] *tropæum*] tropheum, MS.

Berniciorum gente erectum est, priusquam hoc sacræ crucis vexillum novus militiæ ductor, dictante fidei devotione, contra hostem inmanissimum pugnaturus statuerat. Nec ab re est unum e pluribus, quæ ad hanc crucem patratæ sunt, virtutis miraculum narrare. Quidam de fratribus eiusdem Hangustaldensis ecclesiæ, nomine Bothelmus, dum incautius in glacie nocte quadam incideret, repente corruens brachium contrivit, ac gravissima fracturæ ipsius cœpit molestia fatigari; ita ut ne ad os quidem adducere ipsum brachium ullatenus dolore arcente valeret. Qui cum die quadam mane audiret unum de fratribus ad locum eiusdem sanctæ crucis ascendere disposuisse, rogavit ut aliquam partem sibi de illo ligno venerabili rediens afferret, credere se dicens, quia per hoc donante Domino salutem posset consequi. Fecit ille ut rogatus est, et reversus ad vesperam, sedentibus iam ad mensam fratribus, optulit ei aliquid de veteri musco, quo superficies ligni erat obsita. Qui cum sedens ad mensam non haberet ad manum ubi oblatum sibi munus reponeret, misit hoc in sinum sibi. Et dum iret cubitum oblitus hoc alicubi deponere, permisit suo in sinu permanere. At medio noctis tempore cum evigilaret, sensit nescio quid frigidi suo lateri adiacere, admotaque manu requirens quid esset, ita sanum brachium manumque repperit, ac si nihil unquam tanti languoris[1] habuissent. Dictum vero est de Oswaldo rege, quod ob crebrum morem orandi, sive gratias Deo agendi, semper ubicunque sederet supinas super genua manus habere solitus fuerit. Unde adhuc proverbialiter dici solet: "Deus, miserere animabus nostris, dixit Oswaldus cadens in terra."[2]

Miracle at Oswald's Cross.

Proverb. "Deus, miserere animabus nostris, dixit Oswaldus cadens in terra."

---

[1] *languoris*] langoris, MS.

[2] *Dictum—terra*] See below, ch. 37, cont.

Cap. XXXVII.

De morte Oswaldi regis, et de miraculis a Deo meritis ipsius Oswaldi post mortem eius factis.

Galfrid. Monum. xii. 10. Cum autem rex Cadwallo audisset de victoria Oswaldi, quam in superiori bello de rege Peanda feliciter obtinuerat, acriori ira ignescens collegit exercitum suum et sanctum regem Oswaldum insecutus est; et collato prælio in loco qui lingua Anglorum nuncupatur Maserfeld, irruit in illum Peanda atque interfecit. Occisus vero est Oswaldus rex Christianissimus anno ætatis suæ tricesimo octavo, die quinto mensis Augusti. Porro caput eius et brachia iussit Peanda suspendi in stipitibus. Regnavit autem Oswaldus Christianissimus rex Northumbrorum novem annos, annumerato etiam illo anno, quem et feralis impietas regis Britonum et apostasia demens regum Anglorum [detestabilem][1] fecerat. Siquidem, ut supra[2] docuimus, unanimo omnium consensu firmatum est, ut nomen et memoria regum apostatarum de catalogo regum Christianorum prorsus aboleri deberet, neque aliquis regno eorum annus annotari.

Battle of Maserfeld. Bed. iii. 9.

Oswald falls by the hand of Peanda. Aug. 5, [A.D. 642], an. æt. 38.

The year of the apostate kings reckoned as part of Oswald's reign.

Nec silentio prætereundum reor, quod virtutis ac miraculi cœlestis fuerit ostensum, cum ossa eius inventa, atque in ecclesiam in qua nunc servantur, translata sunt. Factum est autem hoc per industriam reginæ Merciorum Estrithæ, quæ erat filia fratris eius, id est Oswi, qui post illum regni apicem tenebat, ut in sequentibus dicemus.

Miracle at the translation of Oswald's relics. Bed. iii. 11.

Bardney Abbey. Est monasterium nobile in provincia Lindesseiæ, nomine Beardoneye, quod eadem regina cum viro suo

[1] *detestabilem*] om. MS. See Bed. iii. 9.

[2] Ch. 33.

Æthelredo multum diligebat, venerabatur, excolebat, in quo desiderabat sui patrui ossa reponere. Cumque venisset carrum in quo eadem ossa ducebantur, incumbente vespera, in monasterium præfatum, noluerunt ea qui erant in monasterio libenter excipere: quia etsi sanctum eum noverant, quia tamen de alia provincia ortus fuerat, et super eos regnum acceperat, veteranis eum odiis etiam mortuum insequebantur. Unde factum est ut ipsa nocte reliquiæ allatæ foris permanerent, tentorio tantum maiore supra carrum in quo inerant extenso. Sed miraculi cœlestis ostensio, quam reverenter eædem suscipiendæ a cunctis fidelibus essent, patefecit. Nam tota ea nocte columna lucis, a carro illo ad cœlum usque porrecta, omnibus pæne eiusdem Lindissæ provinciæ locis conspicua stabat. Unde mane facto fratres monasterii illius, qui pridie abnuerant, diligenter ipsi petere cœperunt, ut apud se eædem[1] sanctæ ac Deo dilectæ reliquiæ conderentur. Lota igitur ossa intulerunt in thecam, quam in hoc[2] præparaverant, atque in ecclesia iuxta honorem congruum posuerunt: et ut regia viri persona memoriam haberet æternam, vexillum eius super tumbam auro et purpura compositum apposuerunt, ipsamque aquam in qua laverant ossa in angulo sacrarii fuderunt. Ex quo tempore factum est, ut ipsa terra quæ lavacrum venerabile suscepit, ad abigendos ex obsessis corporibus dæmones gratiæ salutaris haberet effectum.

Denique tempore sequente, cum præfata regina in eodem monasterio moraretur, venit ad salutandam eam abbatissa quædam venerabilis, vocabulo Æthelhilda, soror virorum sanctorum Æthelwini et Aldwini, quorum prior episcopus in Lindissi provincia, secundus erat abbas in monasterio quod vocatur Partaneye, The abbess Æthelhilda.

---

[1] *eædem*] sedem, MS. See Bed. iii. 11.

[2] *hoc*] hac, MS.; hoc, Bed.

a quo non longe et illa monasterium habebat. Cum ergo veniens illo loqueretur cum regina, atque inter alia, sermone exorto de Oswaldo, diceret quod et ipsa lucem nocte supra reliquias eius ad cœlum usque altam vidisset, adiecit regina quia de pulvere pavimenti in quo aqua lavacri illius effusa est, multi iam sanati essent infirmi. At illa petiit sibi portionem pulveris salutiferi dari; et accipiens, in panno ligatum condidit in capsella, et rediit. Transacto autem tempore aliquanto, cum esset in suo monasterio, venit illic quidam hospes, qui solebat nocturnis sæpius horis repente ab inmundo spiritu gravissime vexari. Qui cum benigne susceptus post cœnam in lecto membra posuisset, subito a diabolo arreptus, clamare, dentibus frendere, spumare, et diversis motibus cœpit membra torquere. Cumque a nullo vel teneri vel ligari potuisset, cucurrit minister, et pulsans ad ostium,[1] nuntiavit abbatissæ. At illa aperiens ianuam monasterii, exivit ipsa cum una sanctimonialium feminarum ad locum virorum; et evocans presbyterum, rogavit secum venire ad patientem. Ubi cum venientes viderent multos affuisse qui vexatum tenere et motus eius insanos comprimere conati, nequaquam valerent, dicebat presbyter exorcismos, et quæque poterat pro sedando miseri furore agebat. Sed nec ipse, quamvis laborans multum, proficere quicquam valebat. Cumque nil salutis furenti superesse videretur, repente venit in mente abbatissæ pulvis ille præfatus, statimque iussit ire ministram, et capsellam in qua idem pulvis erat, adducere. Et cum illa afferens quæ iussa est, intraret atrium domus, in cuius interioribus dæmoniosus torquebatur, conticuit ille subito, et quasi in somnum laxatus deposuit caput, membra in quietem omnia composuit. Conticuere omnes intentique ora tenebant,[2] quem res exitum haberet solliciti

Cure of a demoniac.

---

[1] *Ostium*] hostium, MS.

[2] Virg. Æn. ii. 1.

expectantes. Et post aliquantum horæ spatium, resedit qui vexabatur, et graviter suspirans: "Modo," inquit, "sanum sapio; recepi enim sensum animi mei." At illi sedulo sciscitabantur, quomodo hoc contigisset. Qui ait: "Mox ut virgo hæc cum capsella quam portabat appropinquavit atrio domus huius, discessere omnes qui me premebant spiritus maligni, et me relicto nusquam comparuerunt." Tunc dedit ei abbatissa portiunculam de pulvere illo; et sic data oratione a presbytero, noctem illam quietissimam duxit: neque aliquid ex eo tempore nocturni timoris aut vexationis ab antiquo hoste pertulit.

CONTINUATIO. *De puerulo quodam a febribus curato; et de sepultura capitis et manuum cum brachiis sancti Oswaldi regis.* Bed. iii. 12.

SEQUENTE dehinc tempore fuit in eodem monasterio puerulus quidam longo febrium incommodo graviter vexatus: qui cum die quadam sollicitus horam accessionis[1] expectaret, ingressus ad eum quidam de fratribus: "Vis," inquit, "mi nate, doceam te quomodo cureris ab huiusmodi molestia languoris?[2] Surge et ingredere ecclesiam, et accedens ad sepulcrum sancti Oswaldi, ibi reside, et quietus manens adhære tumbæ. Vide ne exeas inde, nec de loco movearis, donec hora recessionis febrium transierit." Tunc ipse intrabo, et educam te inde. Fecit ut ille suaserat, sedentemque ad tumbam sancti infirmitas tangere nequaquam præsumpsit; quin in tantum timens aufugit,[3] ut nec secunda die, nec tertia, nec umquam exinde eum auderet contingere. Nec mirandum preces regis illius

[1] *accessionis*] accencionis, MS. See Bed. iii. 12.
[2] *languoris*] langoris, MS.
[3] *aufugit*] affugit, MS.; aufugit, Bed.

iam cum Domino regnantis multum valere apud eum, qui temporalis regni quondam gubernacula tenens, magis pro æterno[1] regno semper laborare ac deprecari solebat.

Oswald's devotion.

A tempore enim matutinæ laudis sæpius ad diem usque in orationibus perstitit, atque ob crebrum morem orandi, sive [gratias][2] agendi Domino, semper ubicunque sedens, supinas super genua sua manus habere solicitus fuit.[3] Vulgatum est autem, et in consuetudinem proverbii versum, quod etiam inter verba orationis vitam finierit. Namque cum armis et hostibus circumsæptus iamiamque videret se esse perimendum, oravit pro animabus exercitus sui. Unde, sicut prædiximus,[4] dicunt in proverbio: "Deus miserere animabus nostris, dixit sanctus Oswaldus cadens in terram."

Translation of his relics.

Ossa vero illius condita sunt in monasterio Bardeneye, quo supra diximus. Porro caput et manus cum brachiis a corpore præcisas, quas rex qui eum occiderat in stipitibus iusserat suspendi, post vero annum interfectionis sanctissimi regis prædicti, veniens cum exercitu frater eius rex Oswi, successor regni, abstulit ea, et manus cum brachiis in regia civitate, quam Bebbanburgh[5] urbem vocant Angli, loculo inclusæ argenteo in ecclesia sancti Petri servantur, ac digno a cunctis honore venerantur. Brachium vero dextrum sanctissimi regis, secundum vaticinium sive benedictionem beatissimi viri episcopi Aidani, nervis, carne ac cute integrum manet usque in hodiernum diem. Dicitur autem dictum brachium de antiqua requietionis[6] suæ sede furtim fuisse sublatum, atque ad monasterium de Burgo illatum, inclusum nunc esse in scrinio pretioso, advenientium ostentui demonstrandum. Caput vero regis Oswaldi sancti prædicti in

Bed. iii. 6.

[1] *æterno*] terreno, MS.; æterno, Bed.

[2] *gratias*] om. MS. See Bed.

[3] *solicitus fuit*] solitus sit, Bed.

[4] Ch. 36.

[5] *Bebbanburgh*] Bebba, Bed. iii. 6.

[6] *requietionis*] requiescionis, MS.

cœmeterio[1] Lindifarnensi dictus rex Oswi, eiusdem sancti regis Oswaldi germanus, fecerat sepeliri; sed nunc in ecclesia Dunolmensi inter brachia Sancti Cuthberti teneri infra scrinium eiusdem beati pontificis asseritur.

Nec solum incliti fama viri Britanniæ fines lustravit universos, sed etiam trans oceanum longe radios salutiferæ lucis spargens, Germaniæ simul et Hiberniæ partes attigit. Denique reverentissimus antistes quidam, Acca nomine, referebat, quia cum Romam vadens, apud sanctissimum Fresonum gentis archiepiscopum Wilbrodum cum suo antistite Wilfrido moraretur, crebro eum audierit de mirandis quæ ad reliquias eiusdem reverentissimi regis in illa provincia gesta fuerunt, narrare. Miracles wrought by his relics among the Frisians. Bed. iii. 13.

Sed et [in][2] Hibernia cum presbyter adhuc peregrinam pro æterna patria duceret vitam, rumorem sanctitatis illius in ea quoque insula longe lateque iam percrebuisse ferebat. E quibus unum quod inter alia retulit miraculum, præsenti nostræ historiæ inserendum credimus.

CONTINUATIO. *De quodam scholastico de mortis articulo liberato.* Bed. iii. 13.

"Tempore," inquit, "mortalitatis quæ Hiberniam Britanniamque lata strage vastavit, percussus est eiusdem clade pestis inter alios scholasticus quidam de genere Scottorum, doctus quidem vir studio litterarum, sed erga curam perpetuæ suæ salvationis nihil omnino studii et industriæ gerens. Qui cum se morti proximum videret, timere cœpit et pavere, ne mox mortuus ob merita scelerum ad inferni claustra raperetur: clamavitque me, cum essem in vicinia[3] positus, et inter In Ireland.

[1] *cœmeterio*] cimiterio, MS.
[2] *in*] om. MS.
[3] *vicinia*] vicina, MS.

ægra veniens suspiria flebili voce talia mecum querebatur: 'Vides,' inquit, 'quia iamiamque crescente corporis molestia ad articulum subeundæ mortis compellor: nec dubito me post mortem corporis statim ad perpetuam animæ mortem rapiendum, atque infernalibus subdendum esse tormentis: quia tempore non pauco inter studia Divinæ lectionis vitiorum potius implicamentis quam Divinis solebam servire mandatis. Inest autem animo, si mihi pietas superna aliqua vivendi spatia donaverit, vitiosos mores corrigere, atque ad imperium Divinæ voluntatis totam ex integro mentem vitamque transferre. Verum novi non hoc esse meriti mei, ut inducias vivendi vel accipiam vel me accepturum esse confidam, nisi forte misero mihi et indigno veniam, per auxilium eorum qui illi fideliter servierunt, propitiari dignatus fuerit. Audivimus autem et est fama celeberrima, quod fuerit in gente Anglorum rex mirandæ sanctitatis, vocabulo Oswaldus, cuius excellentia fidei et virtutis etiam post mortem virtutum frequentium operatione claruerit. Precor, si aliquid reliquiarum illius penes te habes, afferas mihi, si forte mihi Dominus per eius meritum misereri voluerit.' At ego respondi: 'Habeo quidem de ligno, in quo caput eius occisi a paganis infixum est; et, si firmo corde credideris, potest Divina pietas per tanti viri meritum et huius tibi vitæ spatia longiora concedere, et ingressui te vitæ perennis dignum reddere.' Nec moratus ille, integram se in hæc habere fidem respondebat.

"Tunc benedixi aquam, et astulam roboris præfati inmittens obtuli ægro potandum. Nec mora: melius habere cœpit, et convalescens ab infirmitate, multo deinceps tempore vixit: totoque ad Deum corde et opere conversus, omnibus ubicumque perveniebat, clementiam pii Conditoris, et fidelis eius famuli regis Oswaldi prædicabat."

CONTINUATIO. *Ut in loco in quo occisus est rex Oswaldus crebra sanitatum miracula facta fuerint.* Bed. iii. 9.

QUANTA sanctissimi regis Oswaldi fides in Deum, quæ mentis devotio fuerit, etiam post mortem virtutum miraculis claruit. Namque in loco ubi pro patria dimicans a paganis interfectus est, usque hodie sanitates infirmorum et hominum et pecorum celebrari non desinunt. Unde contigit ut pulverem ipsum, ubi corpus eius in terram corruit, multi auferentes et in aquam mittentes, suis per hæc infirmis multum commodi afferrent. Qui videlicet mos adeo increbruit, ut paulatim ablata exinde terra fossam ad mensuram staturæ virilis altam reddiderit. Nec mirandum in loco mortis illius infirmos sanari, qui semper dum viveret infirmis et pauperibus consulere, eleemosynas dare, opem ferre non cessabat. Et multa quidem in loco illo, vel de pulvere loci illius, facta virtutum miracula narrantur: sed duo nos tantum quæ a maioribus audivimus, referre satis duximus.

Miracles at the place where Oswald fell.

Non multo post interfectionem eius exacto tempore, contigit ut quidam equo sedens iter iuxta locum ageret illum; cuius equus subito lassescere, consistere, caput in terram declinare, spumas ex ore dimittere, et augescente dolore nimio, in terram cœpit ruere. Desiluit[1] eques, et stramine substrato[2] cœpit expectare horam, qua aut melioratum reciperet iumentum, aut relinqueret mortuum. At ipsum diu gravi dolore vexatum, cum diversas in partes se torqueret, repente volutando devenit illud in loci ubi rex Oswaldus occubuit. Nec mora: quiescente dolore cessabat ab insanis membrorum motibus, et consueto equorum more quasi per

---

[1] *desiluit*] dissiluit, MS.

[2] *stramine substrato*] tramine subtracto, MS.

lassitudinem in diversum latus vicissim sese volvere, statimque exsurgens[1] quasi sanus per omnia, virecta[2] herbarum avidius carpere cœpit. Quo ille viso, ut vir sagacis ingenii, intellexit aliquid miræ sanctitatis huic loco quo equus est curatus, inesse; et posito ibi signo, non multo post ascendit equum, atque ad hospitium quo proposuerat, accessit. Quo dum adveniret, invenit puellam ibi neptem patrisfamilias longo paralysis morbo gravatam: et cum familiares domus illius de acerba puellæ infirmitate ipso præsente quererentur, cœpit dicere ille de loco ubi caballus suus esset curatus. Quid multa? imponentes eam carro, duxerunt ad locum, ibidemque deposuerunt. At illa posita in loco, obdormivit parumper; et ubi evigilavit, sanam se ab illa corporis dissolutione sentiens, postulata aqua,[3] ipsa lavit faciem, crines composuit,[4] caput linteo cooperuit, et cum his qui se adduxerant, sana pedibus incedendo reversa est.

Bed. iii. 10. CONTINUATIO. *Ut pulvis loci illius, in quo sanctus Oswaldus rex occisus est, contra ignem valuerit.*

A fire quenched by dust from the place where Oswald fell.

EODEM tempore venit alius quidam de natione Britonum, iter faciens iuxta ipsum locum in quo præfata erat pugna completa; et vidit unius loci spatium cetero campo viridius ac venustius: cœpitque sagaci animo conicere, quod nulla esset alia causa insolitæ illo in loco viriditatis, nisi quod ibidem sanctior cetero exercitu vir aliquis fuisset interfectus. Tulit itaque de pulvere terræ illius secum, illigans in linteo, cogitans quod futurum erat, quia ad medelam infirmantium idem pulvis proficeret; et pergens itinere suo pervenit ad vicum quendam vespere, intravitque in domum in

---

[1] *exsurgens*] exurgens, MS.
[2] *virecta*] virectã, MS.
[3] *aqua*] aquam, MS.
[4] *composuit*] om. MS. See Bed.

qua vicani cœnantes epulabantur: et susceptus a dominis domus, resedit et ipse cum eis ad convivium, appendens linteolum cum pulvere quem attulerat, in una posta parietis. Cumque diutius epulis atque ebrietati vacarent, accenso grandi igne in medio, contigit volantibus in altum scintillis, culmen domus, quod erat virgis contextum ac feno tectum, subitaneis flammis impleri. Quod cum repente convivæ terrore confusi conspicerent, fugerunt foras, nil ardenti domui iamiamque perituræ prodesse valentes. Consumpta ergo domo flammis, posta[1] solummodo in qua pulvis ille inclusus pendebat, tuta ab ignibus et intacta remansit. Qua visa virtute, mirati sunt valde; et perquirentes subtilius, invenerunt quia de illo loco assumptus erat pulvis, in quo sancti regis Oswaldi sanguis fuerat effusus. Quibus patefactis ac diffamatis longe lateque miraculis, multi per dies locum frequentare illum, et sanitatum ibi gratiam capere sibi suisque cœperunt.

CAP. XXXVIII.

De vita vel morte religiosi viri Sigberti, regis Orientalium Anglorum. Bed. iii. 18.

ANNO gratiæ sexcentesimo tricesimo sexto Sigbertus, vir per omnia Christianissimus ac doctissimus, post Erpwaldum Redwaldi successorem suscepit regnum Orientalium Anglorum. Hic enim erat homo bonus ac religiosus: qui dum in Gallia dudum exularet, fugiens inimicitias Redwaldi regis, lavacrum baptismi percepit. Sed patriam reversus, ubi regno potitus est, mox ea quæ in Galliis bene disposita vidit imitari cupiens, instituit scholam in qua pueri litteris erudirentur: iuvante se episcopo Felice quem de Kantia ac-

A.D. 636. Sigbert king of Essex.

Founds a school.

[1] posta] postea, MS. See Bed. iii. 10.

ceperat, eisque pædagogos ac magistros iuxta morem Cantuariæ præbente.

Resigns his crown to Ecgric, and enters a monastery.

Tantumque rex ille cœlestis regni amator factus est, ut ad ultimum relictis regni negotiis et cognato suo Ecgrico commendatis, qui et antea partem eiusdem regni tenebat, intraret monasterium quod[1] sibi fecerat, atque accepta tonsura pro æterno magis regno militare curaret. Quod dum multo tempore faceret, contigit gentem Merciorum duce rege Peanda adversus Orientales Anglos in bellum procedere; qui dum se inferiores in bello hostibus conspicerent, rogaverunt Sigbertum ad confirmandum militem secum venire in prælium. Illo nolente ac contradicente, invitum a monasterio eruentes duxerunt in certamen, sperantes minus animos militum trepidare, minus præsente rege quondam strenuissimo et eximio posse fugam meditari. Sed ipse professionis suæ non immemor, dum optimo[2] esset vallatus exercitu, non nisi virgam tantum habere in manu voluit: occisusque est una cum rege Ecgrico, et cunctus eorum, insistentibus paganis, cæsus sive dispersus est exercitus.

Sigbert and Ecgric slain in battle by Peanda, king of Mercia.

Anna, king of Essex.

Successor autem regni illorum factus est Anna, filius Eni, de regio genere, vir optimus, atque optimæ genitor sobolis, de quibus in sequentibus suo tempore est dicendum: qui et ipse postea ab eodem pagano Merciorum rege, a quo et prædecessor eius, occisus est.

Bed. iii. 19.

Furseus, an Irish missionary,

Verum dum adhuc regni infulas teneret Sigbertus, supervenit[3] de Hibernia vir sanctus, nomine Furseus, verbo et actibus clarus, sed et egregiis insignis[4] virtutibus, cupiens pro Domino, ubicunque sibi opportunum inveniret, peregrinam ducere vitam. Qui cum ad provinciam Orientalium Anglorum pervenisset, susceptus est honorifice a rege præfato Sigberto: et solitum

---

[1] *quod*] quid, MS.; quod, Bed. iii. 18.

[2] *optimo*] opimo, MS.; optimo, Bed.

[3] *supervenit*] supervenienti, MS. See Bed. iii. 19.

[4] *insignis*] insingnis, MS.

sibi opus evangelizandi exequens, multos et exemplo virtutis et incitamento sermonis, vel incredulos ad Christum convertit, vel iam credentes amplius in fide atque amore Christi confirmavit.

Ubi quadam infirmitate corporis arreptus, angelica meruit visione perfrui, in qua admonitus est cœpto verbi ministerio sedulus insistere, vigiliis consuetis et orationibus indefessus incumbere; eo quod certus sibi exitus, sed incerta eiusdem exitus hora esset futura, dicente Domino:[1] "Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam." Qua visione confirmatus, curavit locum monasterii, quem a præfato rege Sigberto acceperat, velocissime construere, ac regularibus instituere disciplinis. Erat autem monasterium silvarum et maris vicinitate amœnum, constructum in castro quodam, quod lingua Anglorum Cnobheresburg, id est, urbs Cnobheri vocatur; quod quidem monasterium rex provinciæ illius Anna ac nobiles quique augustioribus ædificiis ac donariis postea adornarunt.

founds the monastery of Cnobheresburgh.

Cap. XXXIX.

De morte Edbaldi regis Kantiæ et de successione Erkenberti filii sui. Bed. iii. 8.

Anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo quadragesimo, Edbaldus rex Cantuariorum ex hac vita transiens, duos filios Earmenredum et Erkenbertum regni temporalis reliquit heredes. Sed iunior Erkenbertus callide regnum fratri surripiens, illum a regno privavit. Qui suscepto regno viginti quatuor annis et aliquot mensibus laudabiliter præfuit. Hic primus regum Anglorum in toto regno suo idola relinqui ac destrui, simul et ieiunium quadraginta dierum observari

A.D. 640. Edbald, king of Kent, is succeeded by Erkenbert, who overthrows idols, and commands his people to observe Lent.

---

[1] Matth. xxiv. 42.

principali autoritate præcepit. Quæ ne facile a quopiam posset contemni, in transgressores dignas et competentes punitiones proposuit. Cuius filia Erkengota, ut condigna parenti soboles, magnarum fuit virgo virtutum, serviens Domino in monasterio quod in regione Francorum constructum est ab abbatissa nobilissima, vocabulo Fara, in loco qui dicitur In Brigte. Nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum monasteriis constructis, multi de Britannia monasticæ conversationis gratia Francorum vel Galliarum monasteria adire solebant; sed et filias suas eis erudiendas, ac Sponso cœlesti copulandas mittebant; maxime in Brigte et in Cale, et in Andilegum monasterio. Inter quas erat Sedritha, filia uxoris Annæ regis Orientalium Anglorum, cuius supra meminimus, et filia naturalis eiusdem regis Æthelburga; quæ utraque cum esset peregrina, pro merito virtutum eiusdem monasterii Brigtensis est abbatissa constituta. Cuius regis filia maior Sexburga, uxor Erkenberti regis Cantuariorum, habuit filium Erkengotam, de qua sumus dicturi.

Erkengota, daughter of Erkenbert.

Sexburg, wife of Erkenbert.

Death of Erkengota.

Huius autem virginis Deo dicatæ Erkengotæ multa quidem ab incolis loci illius solent opera virtutum et signa miraculorum usque hodie narrari. Verum nos de transitu eiusdem virginis tantum, quo cœlestia regna petiit, aliquid breviter dicere sufficiat. Imminente ergo die suæ vocationis, cœpit circuire in monasterio casulas infirmarum Christi famularum, earumque maxime, quæ vel ætate provectæ, vel probitate morum erant insigniores: quarum se omnium precibus humiliter commendans, obitum proxime suum, quem revelatione didicerat, non celavit esse futurum. Quam videlicet revelationem huiusmodi esse perhibebat; vidisse se albatorum[1] catervam hominum idem monas-

[1] *albatorum*] Abbatorum, MS.

terium intrare; hosque a se interrogatos quid quærerent, aut quid ibi vellent, respondisse quod ob hoc illuc fuerant destinati, ut aureum illud numisma quod eo de Kantia venerat, secum assumerent. Ipsa autem nocte, in cuius ultima parte, id est, incipiente aurora, præsentis mundi tenebras transiens, supernam migravit ad lucem, multi de fratribus eiusdem monasterii, qui aliis erant in ædibus, iam manifeste se concentus angelorum psallentium audisse referebant, sed et sonitum quasi plurimæ multitudinis monasterium ingredientis: unde mox egressi dinoscere quid esset, viderunt lucem cœlitus emissam fuisse permaximam, quæ sanctam illam animam, carnis vinculis absolutam, ad æterna patriæ cœlestis gaudia deducebat. Addunt et alia, quæ ipsa nocte in monasterio eodem divinitus fuerint ostensa miracula: sed hæc nos ad alia [tendentes][1] suis narrare permittimus. Sepultum est autem corpus venerabile virginis et sponsæ Christi prædictæ in ecclesia beati protomartyris Stephani: placuitque post diem tertium, ut lapis quo monumentum tegebatur amoveretur, et altius ipso in loco reponeretur: quod dum fieret, tantæ fragrantia suavitatis ab imis ebullivit, ut cunctis qui astabant fratribus ac sororibus quasi opobalsami cellaria esse viderentur aperta.

Æthelburga's body incorruptible.

Sed et matertera[2] eius, de qua diximus, Æthelburga, et ipsa Deo dilecta, perpetuæ virginitatis gloriam in magna corporis continentia servavit: quæ cuius esset virtutis, magis post mortem claruit. Cum enim esset abbatissa, cœpit facere in monasterio suo ecclesiam in honorem omnium apostolorum, in qua suum corpus sepeliri cupiebat. Sed cum opus idem ad medium ferme esset perductum, illa ne hoc perficeret, morte prærepta est, et in ipso ecclesia loco ubi desiderabat,

[1] *tendentes*] om. MS. See Bed. iii. 8.

[2] *matertera*] martartara, MS.

condita. Post cuius mortem fratribus alia magis curantibus, intermissum est hoc ædificium annis septem. Quibus completis, statuerunt ob nimietatem laboris huius structuram ecclesiæ funditus relinquere; ossa vero abbatissæ illo de loco elevata in aliam ecclesiam, quæ esset perfecta ac dedicata, transferre. Et aperientes sepulcrum eius, ita intemeratum corpus invenerunt, sicut a corruptione concupiscentiæ carnalis erat immune: et ita denuo lotum, atque aliis vestibus indutum, transtulerunt illud in ecclesiam beati Stephani protomartyris; cuius videlicet natalis in magna gloria ibi solet celebrari die nonarum Juliarum.

CAP. XL.

Will. Malm. i. 19, pp. 30, 31.

Quod defuncto Kinegils rege Occidentalium Saxonum Kinewalc ei in regnum successit. Oswaldo autem in regno Berniciorum successit Oswij frater eius, et in regno Deirorum successit eidem Oswinus filius regis Osrici.

Death of Kinegils, king of Wessex, A.D. 643, regni 34. His son and successor, Kinewalk, reigns 31 years.

ANNO gratiæ sexcentesimo quadragesimo tertio rex Occidentalium Saxonum Kinegils, cum regnasset annis triginta quatuor, ex hoc sæculo migravit, et regnavit pro eo Kinewalk filius eius triginta et uno annis. Iste enim primo regni auspicio pessimus, medio et ultimo regni sui tempore optimis principibus fuerat comparandus. Potestate siquidem initiatus adolescens, qui luxu insolescens facta paterna in secundis poneret, sine retractione Christianissimum ac legitimum matrimonium abiuravit. Sed a Peanda rege Merciorum, cuius sorori repudium dederat, bello impetitus et victus, ad regem Orientalium Anglorum confugit. Ubi et propria calamitate et hospitis sedulitate

Peanda, king of Mercia, forces Kinewalk to fly to

fidem persuasus, triennio post resumptis viribus regnoque recepto, iocundum miraculum suæ mutationis civibus exhibuit. In tantum erat fortis, ut qui antea nec suos fines inpune valebat defendere, nunc usquequaque imperium[1] prorogabat, Britannos antiquæ libertatis conscientiam frementes, et ob hoc crebram rebellionem meditantes, bis omnino protrivit, et in Wlferum Peandæ filium paternam ultus iniuriam, plurima illum parte regni truncavit. Religiosus vero in tantum extiterat, ut primus antecessosum suorum in Wintonia templum Deo per id sæculi pulcherrimum construeret. Quo loci posteritas in sede episcopali fundanda, etsi augustiori peritia, per eadem tamen cucurrit vestigia. Ita munificus erat, ut nihil patrimoniorum cognatis negaret, quippe qui filio fratris sui pæne tertiam regni partem magnanima liberalitate communicaret. Kinewalcus[2] vero post triginta et unum annos moriens, regni arbitrium uxori suæ Sexburgæ delegavit. Nec deerat mulieri spiritus ad obeunda regni munia. Ipsa novos exercitus moliri, veteres tenere in officio, ipsa subiectos clementer moderari, hostibus minaciter infremere, prorsus omnia facere, ut nihil præter sexum discerneres. Verumtamen plusquam femineos animos anhelantem[3] vita destituit, vix annua potestate perfunctam.

East Anglia.

Kinewalk recovers and enlarges his kingdom.

Winchester cathedral.

Will. Malmesb. i. 29, p. 41.

Will. Malmesb. i. 32, p. 45.

[A.D. 673.]

Sexburga, widow of Kinewalk, reigns one year.

CONTINUATIO. *Quod mortuo Oswaldo rege successit ei Oswi frater eius.*

Bed. iii. 14.

TRANSLATO ad cœlestia regna sanctissimo rege Oswaldo, suscepit regni terrestris sedem pro eo frater eius Oswi, iuvenis circiter triginta annorum, et per

Oswi succeeds his brother Oswald,

---

[1] *imperium*] imperiē, MS.

[2] *Kinewalcus*] Kinewalrius, MS.

[3] *anhelantem*] anhelante, MS.

and reigns 28 years. annos viginti octo laboriosissime tenuit; inpugnatus videlicet et ab ea quæ fratrem eius occiderat pagana gente Merciorum, et a filio quoque suo Alhfrido, necnon et a fratruo, id est, fratris sui qui ante eum regnavit filio, Athelwaldo.

A.D. 644. Death of Paulinus. Cuius anno secundo, hoc est, ab incarnatione Dominica anno sexcentesimo quadragesimo quarto, reverentissimus pater Paulinus, quondam Eboracensis archiepiscopus, transivit ad Dominum.

Habuit autem Oswi primis regni sui temporibus consortem regiæ dignitatis, vocabulo Oswinum, de stirpe regis Edwini, hoc est, filium Osrici de quo supra retulimus, virum eximiæ pietatis et religionis: qui provinciæ Deirorum septem annis in maxima omnium rerum affluentia, et ipse amabilis omnibus præfuit. Sed nec cum eo ille qui ceteram Transhumbranæ gentis partem ab aquilone, id est, Berniciorum provinciam[1] regebat, habere pacem potuit; quin potius ingravescentibus causis dissensionum, miserrima hunc cæde peremit. Siquidem congregato contra invicem exercitu, cum videret se Oswinus cum illo qui plures habebat auxiliarios non posse bello confligere, ratus est utilius tunc dimissa intentione bellandi, servare se ad tempora meliora. Remisit ergo exercitum quem congregaverat, ac singulos domum redire præcepit, a loco qui vocatur Wilfaresdun, id est, Mons Wilfari, et est a vico Catarectano decem ferme milia passuum contra solstitialem occasum secretus: divertitque ipse cum uno tantum milite sibi fidissimo, nomine Tondhero, celandus in domum comitis Hunwaldi, quem etiam ipsum sibi amicissimum autumabat. Sed, heu, pro dolor! longe aliter erat: nam ab eodem comite proditum eum

Murder of Oswi cum præfato ipsius milite per præfectum suum[2]

---

[1] *provinciam*] provincia, MS. See Bed. iii. 14.

[2] *suum*] tuum, MS.; suum, Bed.

Athelwinum detestanda omnibus morte interfecit. Quod factum est die tertia decima kalendarum Septembrium, anno regni eius nono, in loco qui dicitur Ingetlingum; ubi postmodum castigandi huius facinoris gratia monasterium constructum est: in quo pro utriusque regis, et occisi videlicet et eius qui occidere iussit, animæ redemptione cotidie Domino preces offerri deberent.

Oswin, so of Osric. Aug. 20, A.D. 651.

Erat autem rex Oswinus et aspectu venustus, et statura sublimis, et affatu iocundus, et moribus civilis, et manu omnibus, id est, nobilibus simul atque ignobilibus, largus: unde contigit ut ob regiam eius et animi et vultus dignitatem ab omnibus diligeretur, et undique ad eius ministerium de cunctis prope provinciis viri etiam nobilissimi concurrerent. Cuius inter ceteras virtutis et modestiæ et, ut ita dicam, specialis benedictionis glorias, etiam fuisse fertur humilitas, sicut uno probabimus exemplo.

Humility of Oswin.

Donaverat autem equum optimum antistiti Aidano, in quo ille quamvis ambulare solitus, vel amnium fluenta transire, vel si alia quælibet necessitas insisteret,[1] viam peragere posset. Cui cum parvo interiecto tempore pauper quidam occurreret eleemosynam petens, desiliens ille præcepit equum, ita ut erat stratus regaliter, pauperi dari. Erat autem multum misericors, et cultor pauperum, ac velut pater miserorum. Hoc cum regi esset relatum, dicebat episcopo, cum forte ingressuri essent ad prandium: "Quid voluisti, domine antistes, equum regium, quem te conveniebat proprium[2] habere, pauperi dare? Nunquid non habuimus equos viliores plurimos, vel alias species quæ ad pauperum dona sufficerent, quamvis illum eis equum non dares, quem tibi

[1] *insisteret*] insiteret, MS.

[2] *proprium*] proprium proprium, MS.

specialiter possidendum elegi?" Cui statim episcopus: "Quid loqueris," inquit, "rex? Num tibi carior est ille filius equæ, quam ille filius Dei?" Quibus dictis intrabant ad prandendum. Et episcopus quidem residebat in suo loco. Porro rex venerat de venatu, et cœpit consistens ad focum calefieri cum ministris: et repente inter calefaciendum recordans verbum quod dixerat illi antistes, discinxit se gladio suo, et dedit illum ministro, festinusque accedens ante pedes episcopi corruit, postulans ut sibi placatus esset, "Quia nunquam," inquit, "deinceps aliquid loquar de hoc aut iudicabo quid vel quantum de pecunia nostra filiis Dei tribuas." Quod videns episcopus, multum pertimuit, ac statim exsurgens[1] levavit eum, promittens se multum illi esse placatum, dummodo ille residens ad epulas tristitiam deponeret. Cumque rex iubente ac postulante episcopo lætitiam reciperet, cœpit[2] e contra episcopus tristis[3] usque ad lacrimarum profusionem effici. Quem dum presbyter suus lingua patria, quam rex et domestici eius non noverant, quare lacrimaretur interrogasset, ait episcopus: "Scio," inquit, "quia non multo tempore victurus est rex: nunquam enim ante hæc vidi humilem regem. Unde animadverto illum citius ex hac vita rapiendum: non enim digna est hæc gens talem habere rectorem." Nec multo post dira antistitis præsagia tristi regis funere, de quo supra diximus, impleta sunt.

Death of Aidan. Aug. 31, A.D. 651. Sed et ipse antistes Aidanus non plus quam duodecim post occisionem regis quem amabat dies superfuit; id est, pridie kalendas Septembris de sæculo sublatus, perpetua laborum suorum a Domino præmia recepit.

---

[1] *exsurgens*] exurgens, MS.
[2] *cœpit*] recepit, MS.; cœpit, Bed.
[3] *tristis*] tristes, MS.

CONTINUATIO. *De inventione sancti Oswini regis et martyris.*

Matth. Westm. pp. 428, 429; Rog. Wend. pp. 504–506.

AT vero post multorum annorum curricula, regnante in Anglia Christianissimo ac sanctissimo rege Edwardo Ætheldredi Anglorum regis filio, videlicet anno Domini millesimo sexagesimo quinto, inventa sunt ossa sanctissima beati Oswini præclarissimi, sicut in tractatu de eius passione constat superius luculenter expressum. Corpus ipsius ad monasterium beatæ Dei genetricis Mariæ, in ostio Tynæ fluminis ad Aquilonem situm, delatum est, et in eo regio more sepultum. Ubi propter miraculorum eius frequentiam per innumera annorum curricula a populo regionis locus sepulturæ illius in tanta reverentia est habitus, ut regem penes eos sepultum dominum et patrem in terris, et defensorem reputarent in cœlis. Unde processu temporis ad maiorem martyris gloriam virgines sanctimoniales de cœnobio sanctæ Hildæ abbatissæ ad corpus eius introductæ usque ad persecutionem Danicam, rabie Hinguar et Hubbæ fratrum excitatam, in ecclesia beatæ Dei genetricis in supremo religionis culmine permanserunt. In hac quoque persecutionis rabie cœnobium illud creditur cum ceteris regionis cœnobiis demolitum, sacris virginibus per martyrium ad cœlestia regna translatis. Post hæc autem per multa tempora sub potestate Danorum infidelium regione illa devoluta, sancti martyris[1] memoria penitus a mentibus provincialium est deleta. Tandem paulatim redeunte fidelium devotione et fidei crescente puritate, episcopus loci in ecclesia Dei genetricis presbyteros statuit et clericos, qui provincialibus parochianis divina mysteria cele-

A.D. 1065. Discovery of Oswin's bones.

Popular veneration of his tomb.

Danish persecution.

[1] *martyris*] martires, MS.

brarent. Jacuit interea martyr beatissimus cæspite abiectiori tumulatus usque in tempora Egelwini Dunelmensis præsulis, et Tostii Northumbrorum comitis, qui post Siwardum non hereditaria successione, sed regis Edwardi donatione obtinuit comitatum. Placuit igitur Divinæ pietati, prædicto pontifice vivente, beati martyris reliquias in lucem ad totius ecclesiæ proventum efferre, ut lucerna, diu sub modio constituta, super candelabrum accensa infidelitatis tenebras illustraret. Erat autem æditnus quidam prædictæ ecclesiæ, in qua corpus beati martyris humatum fuerat, nomine Edmundus, vir quidem religiosus et beato martyri devotus; qui licet non corpori[1] alicuius monasterii titulo professionis esset astrictus, habitu tamen religionis fuerat insignitus. Hic nocte quadam cum post nocturnas vigilias in ecclesia membra sopori dedisset, astitit ei vir quidam statura procerus et cœlesti fulgore præclarus, qui viri nomen exprimens ait: "Frater Eadmunde, ego sum rex Oswinus, qui in hac ecclesia iaceo omnibus incognitus. Surgens ergo dic pontifici Egelwino, ut in huius pavimento oratorii corpus meum quærat, et inventum decentius solito in eodem oratorio componere non omittat." Expergefactus itaque Eadmundus et de visione lætificatus summo diluculo pontificem adiit, et seriem visionis illi reverenter expressit. Pontifex autem his auditis ineffabili gaudio exultavit; et gratanter ad locum veniens, populum multum de partibus remotis ibidem congregatum invenit: et ad præsulis mandatum facta ab omnibus oratione, oratorii pavimentum fodere incipientes, multo diei spatio evoluto nil quærendo proficiunt. Porro confusus Edmundus de iniuria sancti, accepto ligone, in loco ubi omnes diu foderant animose terram percussit; et ictu iterato laminam sepulturæ offendit, et

Edmund, verger of St. Mary's, Tynemouth, sees Oswin in a vision.

Egelwinus, bishop of Durham, searches for Oswin's tomb.

[1] *corpori*] corpore, MS.; corpori, Matth. West.

lapide revulso pretiosas reliquias gaudens invenit. Levatur igitur a præsule corpus sacratissimum; et eiusdem præsulis manibus lotum et sindone munda involutum in loco eminentiori ecclesiæ honorifice collocatur. Lotura quoque sanctissimi corporis, in angulo oratorii episcopo iubente effusa, multis postea non solum hominibus, sed et animalibus profuit ad sanitatem; cuius pulvis in aqua fusus et potatus a variis languoribus liberatos pristinæ restituit[1] sanitati. Acta autem sunt hæc a passionis eius anno quadringentesimo decimo quarto, quinto Idus Martii.

Miracles wrought by the dust of the tomb.

Mar. 11, 1065.

Matth. Westm. p. 429; Rog. Wend. pp. 506, 507.

CONTINUATIO. *De quodam miraculo capillorum sancti regis Oswini.*

Oswin's hair incombustible.

JUDITH comitissa, uxor Tostii, quæ ab episcopo ad hanc inventionem pergenti aliquam sibi de sanctis reliquiis portiunculam dari postulaverat, ex capillis sancti martyris et regis Oswini penitus incorruptis ex dono eiusdem episcopi magnam partem accepit. Quæ quosdam sancta devotione inducta voluit incredulos in fide confirmare: iussit ignem copiosum in medio aulæ accendi, et pilis fiducialiter iniectis, ipsi læsionem non sentientes incendii debacchantis[2] in maiorem formositatem sunt conversi. Tunc comitissa prædicta, rei novitatem admirans, capillos sancti martyris ab incendio sublatos honore condigno episcopo dictante recondidit, et catholicum qui ad hoc spectaculum convenerat populum in beati martyris Oswini devotionem confirmatum abire permisit.

---

[1] *restituit*] restitui, MS.

[2] *debacchantis*] debacantis, MS.

CAP. XLI.

Bed. iii. 22. [A.D. 653. Flor. Vigorn.]

De vita vel morte Sigberti regis Orientalium Saxonum.

Sigbert, king of Essex.

Eo tempore etiam Saxones Orientales fidem quam olim expulso episcopo Lundoniensi Mellito abiecerant, instantia regis Oswij receperunt. Erat autem rex eiusdem provinciæ Sigbertus, qui post Segebertum cognomento Parvum regnavit, amicus eiusdem Oswi regis; qui cum frequenter ad eum in provincia Northumbrorum veniret, solebat eum hortari ad intelligendum deos esse non posse, qui hominum manibus facti essent; dei creandi materiam lignum vel lapidem esse non posse, quorum recisuræ vel igni absumerentur, vel in vasa quælibet humani usus formarentur, vel certe despectui habita proicerentur, et pedibus conculcata in terram verterentur. Deum potius intelligendum maiestate incomprehensibilem, humanis oculis invisibilem, omnipotentem, æternum, qui cœlum et terram et humanum genus creasset, regeret, et iudicaturus esset orbem in æquitate; cuius sedes æterna non in vili et caduco metallo, sed in cœlis esset credenda: meritoque intelligendum, quod omnes qui voluntatem eius a quo creati sunt discerent et facerent, æterna ab illo præmia essent percepturi. Hæc et huiusmodi multa cum rex Oswi regi Sigberto amicali et quasi fraterno consilio sæpe inculcaret, tandem iuvante amicorum consensu credidit, et facto cum suis consilio, cum exhortatione, faventibus cunctis et annuentibus fidei, baptizatus est cum eis a Finano episcopo in villa regia cuius supra[1]

His baptism.

---

[1] From Bed. iii. 22, who refers to iii. 21, which corresponds to ch. 42 below.

meminimus, quæ cognominatur Ad Murum. Est enim iuxta murum, quo olim Romani Britanniam insulam præcinxerunt.

Igitur rex Sigbertus æterni regni iam civis effectus, temporalis sui regni sedem repetiit, postulans a rege Oswi ut aliquos sibi doctores daret, qui gentem suam ad fidem Christi converterent ac fonte salutari abluerent. At ille mittens ad provinciam Mediterraneorum Anglorum, invitavit ad se virum Dei Ced, et dato illi socio altero quodam presbytero, misit prædicare verbum Dei genti Orientalium Saxonum. Ubi cum omnia perambulantes multam Domino ecclesiam congregassent, contigit tempore quodam eundem Ced redire domum, ac pervenire ad ecclesiam Lindisfarnensem, propter colloquium Finani episcopi; qui ubi prosperatum ei opus evangelii comperit, fecit eum episcopum in gentem Orientalium Saxonum, convocatis ad se in ministerium ordinationis aliis duobus episcopis. Qui accepto gradu episcopatus, rediit ad provinciam, et maiore autoritate cœptum opus explens, fecit per loca ecclesias, presbyteros et diaconos ordinavit, qui se in verbo fidei et ministerio baptizandi adiuvarent.

Ced, bishop of Essex.

Cumque [tempore][1] non pauco in præfata provincia, gaudente rege, congaudente universo populo, vitæ cœlestis institutio cotidianum sumeret augmentum, contigit ipsum regem, instigante omnium bonorum inimico, propinquorum suorum manu interfici. Erant autem duo germani fratres qui hoc facinus patrarunt; qui cum interrogarentur quare hoc facerent, nihil aliud respondere potuerunt, nisi ob hoc se iratos fuisse et inimicos regi, quod nimium suis parcere soleret inimicis, et factas ab eis iniurias mox obsecrantibus placida mente dimitteret. Talis erat culpa regis pro qua occideretur, quod evangelica[2] præcepta devoto corde serva-

Murder of Sigbert.

[1] *tempore*] om. MS. See Bed. iii. 22.

[2] *evangelica*] ewangelica, MS.

ret: in qua tamen eius morte innoxia, iuxta prædictum viri Dei, vera est eius culpa punita. Habuerat enim unus ex his qui eum occiderunt comitibus, illicitum coniugium, quod cum episcopus prohibere et corrigere non posset, excommunicavit eum, atque omnibus qui se audire vellent præcepit, ne domum eius intrarent, neque de cibis illius acciperent. Contempsit autem rex præceptum, et rogatus a comite, intravit epulaturus domum eius; qui cum abisset, obviavit ei antistes. At rex intuens eum, mox tremefactus desiluit[1] equo, ceciditque ante pedes eius, veniam reatus postulans. Nam et episcopus pariter desiluit:[1] sederat enim et ipse in equo. Iratus autem tetigit regem iacentem virga quam tenebat manu, et pontificali autoritate protestatus: "Dico tibi," inquit, "qui noluisti te continere a domo perditi et damnati illius, tu in ipsa domo mori habes." Sed credendum est quia talis mors viri religiosi non solum talem[2] culpam diluerit, sed etiam meritum eius auxerit: quia nimirum ob causam pietatis, quia propter observantiam mandatorum Christi contigit.

Baptism of Swithelm, successor of Sigbert.

CONTINUATIO. Sigberto autem rege, ut diximus, interfecto, successit ei in regnum Orientalium Saxonum Swithelmus, filius Sexbaldi, qui baptizatus est ab ipso Ced in provincia Orientalium Anglorum, in vico regio qui dicitur Rendlesham, id est, Mansio Rendili; suscepitque eum ascendentem de fonte sancto Æthelwoldus rex ipsius gentis Orientalium Anglorum, frater Annæ regis eorumdem.[3]

---

[1] *desiluit*] dissiluit, MS.
[2] *talem*] tamen, MS.; talem, Bed.
[3] *eorumdem*] earumdem, MS.

CAP. XLII.

Ut provincia Merciorum sub rege Peada Christiana sit facta. Bed. iii. 21.

HIS temporibus gens Merciorum sub principe Peada, filio Pendæ regis, fidem et sacramenta veritatis percepit. Dictus autem Peada cum esset iuvenis optimus, ac regis nomine et persona dignissimus, prælatus est a patre regno gentis illius; venitque ad regem Northumbrorum Oswi, postulans filiam eius Aekfledam sibi coniugem dari. Neque aliter quod petebat impetrare potuit, nisi fidem Christi ac baptisma, cum gente cui præerat, acciperet. At ille audita prædicatione veritatis et promissione regni cœlestis speque resurrectionis ac futuræ immortalitatis, libenter se Christianum fieri velle confessus est, etiam si virginem non acciperet: persuasus maxime ad percipiendam fidem a filio regis Oswi, nomine Alhfrido, qui erat cognatus et amicus eius, habens sororem ipsius coniugem, vocabulo Kineburgam,[1] filiam Pendæ regis.

A.D. 653. Peada, son of Penda, king of Mercia, suitor of Aekfleda, daughter of Oswi.

Baptizatus est ergo a Finano episcopo, cum omnibus qui secum venerant comitibus ac militibus eorumque famulis universis, in vico regis illustri qui vocatur Ad Murum. Et acceptis quattuor presbyteris, qui ad docendam baptizandamque gentem illius et eruditione et vita videbantur idonei, multo cum gaudio reversus est. Erant autem presbyteri Ced, et Adda, et Betta, et Diuma, quorum ultimus natione Scottus, ceteri fuerunt de Anglis. Venientes ergo in provinciam Merciorum memorati sacerdotes cum principe, prædicabant verbum Dei, et libenter auditi sunt, multique cotidie et nobilium et infirmorum, abrenuntiata sorde idolatriæ, fidei sunt fonte abluti.

Peada is baptized by Finan.

---

[1] *Kineburgam*] Kineburga, MS.

Nec prohibuit Peada rex, quin etiam in sua, hoc est, Merciorum natione, verbum, si qui vellent audire, prædicaretur. Quin potius odio habebat, et despiciebat eos, quos fide Christi imbutos, opera fidei non habere deprehendit, dicens contemnendos esse eos et miseros qui Deo suo in quem crederent obedire contemnerent. Cœpta sunt hæc biennio ante mortem Pendæ regis.

A.D. 653.

Matth. Westm. pp. 229, 230; Rog. Wend. pp. 149-152.

CAP. XLIII.

De morte Annæ regis Orientalium Anglorum et de obitu regis Cantuariorum Erkenberti.

A.D. 654. Peanda, king of Mercia, invades Anna, king of the East Angles. Anna is slain in battle, and is succeeded by his brother Atheler.

ANNO gratiæ sexcentesimo quinquagesimo quarto Peanda rex Merciorum, qui "totus in arma furens nullas nisi sanguine fuso gaudet habere vias,"[1] Annam regem Orientalium Anglorum, virum bene religiosum, bello invasit, et in momento contrivit et eius exercitum totum. Cui Athelerus frater eius in regnum successit.

A.D. 654. Egbert succeeds his father Erkenbert as king of Kent, and reigns nine years. [But see ch. 49, fin.]

Eodem anno defuncto rege Cantuariorum Erkenberto, successit ei in regnum filius eius Egbertus novem annis. Hic in palatio suo duos filios[2] Ermenredi patrui sui educaverat, Æthelbertum scilicet et Ethelredum, qui post sacri baptismatis regenerationem in innocentia et castitate voluntaria permanentes, morum honestatem humilitatis custodia munierunt. Erat autem in domo regis memorati minister quidam diaboli membrum, Thuner nomine, quod Latine tonitruum sonat; qui puerorum laudabilibus invidens incrementis, eorum innocentiam erga regem cotidiano labore adulator sedulus denigrabat. "Video," inquit, "te, o rex, tales cum

[1] Lucan ii. 439.

[2] *filios*] filios suos, MS.

diligentia nutrire, qui regnum tuum tibi auferre præsument. Unde consilium utile tibi crederem, aut eos in longinquum dirigi exilium, aut mihi tradi sinas ad perdendum." Rege itaque hoc dissimulante, et illo sæpius ut id fieret instigante, dum rex tepide prohibuit, audaciæ temeritatem ut perderentur insontes induxit. Quid plura? Armatur turbo nomine Thuner rabie diabolica, et in regis absentia innocentes præfatos ignominiose iugulatos in aula regia sub regali cathedra indecenter sanctorum corpora sepelivit. Reverso itaque rege intempestæ noctis quiete columna lucis cœlitus emissa regias ædes inæstimabili claritate replevit. Quam ministri de regis familia intuentes, et præ timore in terram corruentes, in amentiam fere conversi sunt. Cumque rex ad tumultum satellitum evigilasset, et causam tumultus penitus ignorasset, de consuetudine surrexit, ut matutinos audiret. Et egressus a domo vidit orbem novi splendoris radiis coruscantem. Et recordatus est rex de confabulatione quam cum ministro sceleris habuerat, de perdendis pueris. Contristatus est valde, et ascito ad se iniquitatis auctore, requirit ab eo ubi essent cognati sui, qui sibi astare diebus singulis consueverant, quos die præterita sibi astare non viderat. At ille more Cayn regi respondens, ait: "Nescio. Nunquid puerorum ego sum custos?" Ad quem rex: "Serve nequam, tu mihi semper de eis sinistra prædicasti. Unde, nequissime, te oportet ubi sint indicare." Cumque superbo mentis supercilio nefandus ille eventum rei regi indicasset, iratus est rex vehementer. In se reversus, et totius crimen sceleris in se ipsum refundebat, et supra modum confusus residuum noctis in lacrimis deducebat. Tandem cum dies terris illuxit, archiepiscopum Deusdedit et magnates quos habere potuit convocari præcepit, et rem per ordinem referens, qualiter columna lucis cœlitus super sanctorum corpora emissa descenderat. Archiepiscopus dedit consilium ut corpora innocentium

Egbert's cousins, Æthelbert and Ethelred, murdered by Thuner.

A pillar of light rises from their bodies.

ad ecclesiam metropolitanam portarentur, et ibi sepulturæ more regio traderentur. Et simul ad locum venientes, sub regis cathedra sanctas reliquias indecenter positas repererunt.[1] Gerebantur autem hæc in villa regia quæ Eastreie dicebatur. Collocatis ergo sanctorum reliquiis, ut decebat, ad portandum in feretris, iussit archiepiscopus ut ad ecclesiam Christi Cantuariæ portarentur. Sed in vanum: quia de loco moveri non poterant, licet multo conamine attemptarent. Mutato itaque consilio ut ad beati Augustini veherentur basilicam; sed nihil similiter profecerunt. Tandem provisum est ut portarentur ad Wacrinense monasterium famosissimum. Qui mutato proposito vehiculum[2] adeo levi conamine sublevabant, ac si nihil oneris habuissent. Quo cum pervenissent, exequiis ab archiepiscopo rite peractis, sanctorum corpora iuxta maius altare tradunt sepulturæ. Quo in loco ad laudem Dei et dictorum gloriam sanctorum multa miraculorum insignia operatur Divina clementia. Contigit eo tempore Earmenburgam sororem regis, ut dimisso marito suo Pendæ regis Merciorum filio, eius tamen consensu, castam eligeret ducere vitam. Quæ cum familia sua ad fratrem venisset, et suum propositum ei indicasset, dedit ei locum præfatæ visionis declaratum, ubi monasterio in honore martyrum fabricato, dilecta Deo Earmenburga, septuaginta sibi monialibus sociatis, Deo dignum bonæ conversationis fructum offerens, tandem in Domino quievit.

Solemn interment of the corpses.

Ermenburga, the king's sister, leaves her husband and takes the veil.

---

[1] *repererunt*] repererent, MS. | [2] *vehiculum*] vehiculam, MS.

CAP. XLIV.

De bello inter regem Oswi Northumbrorum et Pendam regem Merciorum. Galfrid. Monum. xii. 11-13.

REX Northumbrorum Oswi, de quo supra diximus, multa donaria auri et argenti Cadwalloni regi, cuius etiam supra meminimus, toti iam Britanniæ imperanti dedit, pacemque eius adeptus sese illi submisit. Insurrexit tandem in Oswi regem Penda rex Merciorum. Sed primo timens pacem infringere, quam rex Cadwallo per regnum Britanniæ statuerat, distulit sine licentia dicti regis Cadwallonis inquietationem incipere, donec illum aliquo modo incitaret, ut vel ipse in regem Oswium insurgeret, vel sibi copiam cum eo congrediendi concederet. Quadam igitur sollemnitate Pentecostes, cum rex Cadwallo diadema Britanniæ portando festum celebraret Londoniis, et universi Anglorum reges, necnon et Britonum duces præter regem Oswi solum adessent, adivit Penda regem Cadwallonem, et quæsivit ab eo cur Oswi solus aberat, cum ceteri Saxonum principes adessent. Cui cum rex Cadwallo responderet ipsum infirmitatis causa deesse, adiecit ipse dicens illum misisse propter Saxones in Germaniam, ut fratrem suum Oswaldum in ipsos vindicaret. Adiecit etiam illum pacem regni infregisse, qui solus gwerram inçeperat inter eos, cum Æthelwoldum fratris sui filium inquietatum a patria propria expulisset. Petivit quoque licentiam ut illum vel interficeret, vel a regno fugaret. Rex igitur in diversas meditationes inductus familiares suos sevocavit, præcepitque conicere quid super tali re autumarent. Conicientibus eis plura, Margadud rex Demetatarum inter ceteros dixit: "Domine mi rex, quoniam omne genus Anglorum te ex finibus Britanniæ expulsurum proposuisti, cur

Oswi submits to Cadwallo.

Penda, king of Mercia, intrigues against Oswi.

a proposito tuo divertens ipsos inter nos in pace manere pateris? Eia ergo, permitte saltem ut ipsi inter semetipsos civilem habeant discordiam, et mutuis cladibus affecti[1] a patria nostra exterminentur.[2] Non est enim fides illi servanda, qui semper insidiatur, ut eum cui eam debet versutis laqueis capiat. Saxones ergo ex quo patriam primum nostram ingressi sunt, semper insidiantes gentem nostram perdiderunt. Quam itaque fidem eis tenere debemus? Da ocius Pendæ licentiam ut in prædictum Oswium insurgat, ut sic civili discordia inter illos exorta alter alterum perimens ab insula nostra deleatur." His igitur et pluribus aliis dictis motus rex Cadwallo,

Penda marches against Oswi.

Pendæ dedit licentiam congrediendi cum Oswio. Qui deinde collecto innumerabili exercitu præterivit Humbrum, et provincias eiusdem patriæ vastando prædictum regem acriter cœpit inquietare. Tunc rex Oswi, cum

Bed. iii. 24; Matth. Westm. p. 230; Rog. Wend. pp. 152-154.

acerbas atque intolerabiles pateretur irruptiones sæpe dicti regis Merciorum Pendæ, qui fratrem eius occiderat, ad ultimum necessitate cogente promisit se ei innumera et maiora quam credi potest ornamenta regia vel donaria in pretium pacis largiturum, dummodo ille domum rediret, et provincias regni eius usque ad internecionem vastare desineret. Cumque rex perfidus Penda nullatenus precibus illius assensum præberet, qui totam eius gentem a parvo usque ad magnum delere atque exterminare decreverat, respexit Oswi rex ad Divinæ auxilium pietatis, quo ab impietate barbarica posset eripi: votoque se obligans, "Si paganus," inquit, "nescit accipere nostra donaria, offeramus ei

Oswi's vow.

qui novit, Domino Deo nostro." Vovit ergo quia si victor existeret, filiam suam Domino sacra virginitate dicandam offerret, simul et duodecim possessiones præ-

---

[1] *affecti*] affecta, MS.

[2] *exterminentur*] extermineretur, MS.

diorum ad construenda monasteria donaret: et sic cum paucissimo exercitu se certamini dedit. Denique fertur quia tricies maiorem pagani habuerunt exercitum; siquidem ipsi triginta legiones ducibus nobilissimis instructas in bello habuerunt, quibus Oswi rex cum Alhfrido filio perparvum, ut dixi, habens exercitum, sed Christo duce confisus occurrit. Nam alius filius eius Egfridus eo tempore in provincia Merciorum apud reginam Kynwisam obses tenebatur. Filius autem Oswaldi regis Æthelwoldus, qui eis auxilio esse debuerat, in parte erat adversariorum, eisdemque contra patriam et patruum suum[1] pugnaturus ductor extiterat; quamvis in ipso tempore pugnandi sese pugnæ subtraxerat, eventumque discriminis tuto in loco expectabat. Inito ergo certamine fugati sunt et cæsi pagani duces regis triginta, et qui ad auxilium venerant pæne omnes interfecti: in quibus Athelherus frater Annæ regis Orientalium Anglorum qui post eum regnavit, auctor ipse belli, perditis militibus sive auxiliis interemptus est. Interfectusque est inter ceteros Penda rex nequissimus, qui tot nobiles a vita temporali privavit. Et quia prope fluvium qui[2] Winemed dicitur pugnatum est, qui tunc præ inundantia pluviarum late alveum suum, immo omnes ripas suas, transierat, contigit ut multo plures aqua fugientes, quam bellantes perderet ensis. Unde exivit proverbium: "In Winemed amne vindicata est cædes[3] Annæ, cædes regum Sibert et Enicæ,[4] cædes Oswaldi et Edwini."[5]

Battle at the river Winemed. Death of Penda.

Proverb

Tunc rex Oswi, iuxta quod Domino voverat, pro collata sibi victoria gratias Deo referens, dedit filiam suam quæ vix tunc unius anni ætatem impleverat, perpetua Deo virginitate consecrandam in monasterio

Oswi devotes his infant daughter to the con-

[1] *suum*] sum, MS.
[2] *qui*] quod, MS.
[3] *cædes*] cæde, MS.
[4] *Enicæ*] Egrici, Matth. Westm.
[5] *Edwini*] Edwine, MS.

vent of Herteseye. quod Herteseye, id est, Insula Cervi nuncupatur, cui tunc sancta Hilda præfuit abbatissa. Donavit insuper rex Oswi duodecim possessiunculas terrarum, in quibus ablato studio militiæ terrestris, ad exercendam militiam cœlestem supplicandumque pro pace gentis æterna eius, devotioni sedulæ monachorum locus facultasque suppeteret. E quibus videlicet possessiunculis sex in provincia Deirorum, et sex in provincia Berniciorum dedit. Singulæ vero possessiones decem erant familiarum, id est, simul omnes centum viginti. Intravit autem præfata regis Oswi filia Deo dicanda monasterium de quo prædiximus, quod Herteseye nuncupatur, id est, Insula Cervi, cui tunc Hilda abbatissa præfuit. Quæ post biennium comparata possessione decem familiarum in loco qui dicitur Streneshale, ibi monasterium construxit; in quo memorata regis filia, primo discipula vitæ regularis, deinde etiam magistra extitit, donec completo undesexaginta[1] annorum numero, ad complexum et nuptias Sponsi cœlestis virgo beata intraret. In quo monasterio et ipsa, et pater eius rex Oswi, et mater eius regina Anfleda, et pater matris eius rex Edwinus, et multi alii nobiles in ecclesia sancti Petri apostoli sepulti sunt. Hoc autem bellum rex Oswi in regione Loidis, tertio decimo regni sui anno, decimo septimo die kalendarum Decembrium, ad magnam utriusque populi utilitatem confecit. Nam et suam gentem, scilicet Northumbrorum, ab hostili paganorum depopulatione liberavit, et ipsam gentem Merciorum finitimarumque provinciarum, desecto capite perfido, ad fidei Christianæ gratiam convertit.

Convent of Streneshale (Whitby).

Nov. 15, A.D. 655.

Conversion of Mercia.

Æthelwold succeeds his brother Æthelher as king of East Anglia.

Successit autem Æthelhero frater eius Æthelwoldus in regno Orientalium Anglorum continuatis successionibus; qui tandem regnum reliquit eiusdem Æthelheri filiis Aldulpho et Alkwoldo.

---

[1] *undesexaginta*] uno de sexaginta, MS.

Prædictus vero rex Oswi donavit præfato Peadæ, filio regis Pendæ, eo quod esset cognatus suus, regnum Australium Merciorum, qui sunt familiarum quinque milium, discreti fluvio Trenta ab aquilonaribus Mercis, quorum terra est familiarum septem milium. Sed idem Peada filius Pendæ regis multum nefarie peremptus est, proditione uxoris suæ, in ipso tempore festi paschalis. Idem autem rex Oswi tribus annis post occisionem Peadæ[1] regis Merciorum genti necnon et ceteris australium provinciarum populis præfuit. Qui etiam gentem Pictorum maxima ex parte regno Anglorum subiecit. Completis autem tribus annis post interfectionem Peadæ[1] regis, rebellaverunt adversus regem Oswi duces gentis Merciorum Imminus et Ebba et Edbertus, levato in regem Merciorum Wlfero, filio eiusdem Pendæ regis adolescente, quem occultum servaverant; et eiectis principibus regis Oswi, fines suos fortiter simul et libertatem receperunt: sicque cum suo rege Wlfero liberi, Christo vero regi pro sempiterno in cœlis regno servire gaudebant. Præfuit autem idem rex Wlferus genti Merciorum annis decem et septem.[2]

A.D. 656. Murder of Peada, son of Penda.

A.D. 659. Wlfer, king of Mercia, reigns 17 years.

Habuit autem sæpe dictus Penda rex Merciorum ex regina Kineswitha filios, videlicet Wedam, Wlferum, Ethelredum, Merewaldum, et Mercelinum; filias quoque duas, scilicet Kineburgam et Kineswitham, ambas sancta continentia præcellentes. Ita parens perpetuo in Deum rebellis sanctissimos cœlo fructus effudit.

Offspring of Penda.

---

[1] *Peada*] Pendan, Bed. iii. 24.
[2] *decem et septem*] XLVII., MS.; decem et septem, Bed. iii. 24. Matth. Westm. p. 232.

Cap. XLV.

Bed. iii. 25.

Quod in Anglia fit magna disputatio de Paschæ observatione.

Paschal controversy. Council at Streneshale.

Eodem tempore in Anglia fit magna disputatio de observatione Paschæ inter Anglos et Scotos. Convenerant namque apud Streneshale rex Northumbrorum Oswinus, et filius eius Alhfridus, Colmannus etiam Scotus Lindisfernensis episcopus cum clericis suis de Scotia, Ced quoque episcopus cum Hilda abbatissa, qui partes Scottorum fovebant: ex altera vero parte Wilfridus presbyter, cum monachis et clericis qui de celebratione Paschæ aliter quam Scoti sentiebant. Consedentibusque cunctis primus rex Oswi præmissa præfatione, quod oporteret eos qui uni Deo servirent, unam vivendi regulam tenere, nec discrepare in celebratione sacramentorum cœlestium, qui unum omnes in cœlis regnum expectarent; inquirendum potius quæ esset verior traditio, et hanc ab omnibus communiter esse sequendam; iussit primo dicere episcopum suum Colmannum, qui esset ritus, et unde originem ducens, ille quem ipse sequeretur. Tum Colmannus: "Pascha," inquit, "hoc quod agere soleo, a maioribus meis accepi, qui me huc episcopum miserunt, quod omnes patres nostri, viri Deo dilecti, eodem modo celebrasse noscuntur. Quod ne cui contemnendum et reprobandum[1] esse videatur, ipsum est quod beatus evangelista Johannes discipulus specialiter Domino Deo dilectus, cum omnibus quibus præerat ecclesiis, celebrasse legitur." Quo hæc et his similia dicente, iussit rex et Ægelbertum episcopum Occidentalium Saxonum, qui et tunc inter alios ibidem aderat, proferre in medium morem suæ observationis, unde initium haberet, vel qua hunc auctoritate

[A.D. 664.] Oswi calls on Colman to open the debate.

---

[1] *reprobandum*] reprobrandum, MS.

sequeretur. Respondit Ægelbertus: "Loquatur, obsecro, vice mea discipulus meus Wilfridus presbyter, quia unum ambo sapimus cum ceteris qui hic assident ecclesiasticæ traditionis cultoribus; et ille melius ac manifestius ipsa lingua Anglorum, quam ego per interpretem,[1] potest explanare quæ sentimus." Tum Wilfridus, iubente rege ut diceret, ita exorsus est: "Pascha quod facimus," inquit, "vidimus Romæ, ubi beati apostoli Petrus et Paulus vixerunt, docuerunt, passi sunt et sepulti ab omnibus celebrari: hoc in Italia, hoc in Gallia, quas discendi vel orandi studio pertransivimus, ab omnibus agi conspeximus: hoc Africam, Asiam, Ægyptum, Græciam, et omnem orbem, quacunque Christi ecclesia diffusa est, per diversas nationes et linguas, uno ac non diverso temporis ordine geri comperimus: præter hos tantum et obstinationis eorum complices, Pictos dico et Britones, cum quibus de duabus ultimis oceani[2] insulis, et his non totis, contra totum orbem stulto labore[3] pugnant." Cui hæc dicenti respondit Colmannus: "Mirum quare stultum appellare velitis laborem nostrum, in quo tanti apostoli, qui super pectus Domini recumbere dignus fuit, exempla sectamur; cum ipsum sapientissime vixisse omnis mundus noverit." At Wilfridus, "Absit," inquit, "ut Johannem stultitiæ reprehendamus, cum scita legis Mosaicæ iuxta litteram servaret, iudaizante adhuc in multis ecclesia, nec subito valentibus apostolis omnem legis observantiam, quæ a Deo instituta est, abdicare, quomodo simulacra, quæ a dæmonibus inventa sunt, repudiare omnes qui ad fidem veniunt, necesse est: videlicet ne scandalum facerent eis qui inter gentes erant Iudæis. Hinc est enim quod Paulus Timotheum circumcidit, quod hostias in templo immolavit, quod cum Aquila et Priscilla caput Corinthi totondit: ad

Ægelbert. Wilfrid. Colman. Wilfrid.

[1] *interpretem*] inpretem, MS.
[2] *oceani*] occeani, MS.
[3] *labore*] laborare, MS. See Bed. iii. 25.

nihil videlicet utile, nisi ad scandalum Iudæorum vitandum. Hinc est quod eidem Paulo Jacobus ait:[1] 'Vides, frater, quot[2] milia sunt in Iudæis qui crediderunt? et omnes hi æmulatores sunt legis.' Nec clarescente per mundum evangelio necesse est, immo nec licitum fidelibus, vel circumcidi, vel hostias Deo victimarum offerre carnalium. Itaque Johannes secundum legis consuetudinem quarta decima die mensis primi ad vesperam incipiebat celebrationem festi Paschalis, nil curans utrum hæc sabbato, an alia qualibet feria proveniret. At vero Petrus cum Romæ prædicaret, memor quia Dominus prima sabbati resurrexit a mortuis, ac mundo spem resurrectionis[3] contulit, ita Pascha faciendum intellexit, ut secundum consuetudinem ac præcepta legis quartam decimam lunam primi mensis, æque sicut Johannes, orientem ad vesperam semper expectaret: et hac exorta,[4] si Dominica dies, quæ tunc prima sabbati vocabatur, erat mane ventura, in ipsa vespera Pascha Dominicum celebrare incipiebat, quomodo et nos omnes hodie facere solemus. Sin autem Dominica non proximo mane post lunam quartam decimam, sed sexta decima, aut septima decima, aut alia qualibet luna usque ad vicesimam primam, esset ventura, expectabat eam, et præcedente sabbato[5] vespere sacrosancta Paschæ solennia inchoabat; sicque fiebat, ut Dominica Paschæ dies nonnisi a quinta decima luna usque ad vicesimam primam servaretur. Neque hæc evangelica et apostolica traditio legem solvit, sed potius adimplet, in qua observandum Pascha a quarta decima luna primi mensis ad vesperam, usque ad vicesimam primam lunam eiusdem mensis ad vesperam, præceptum est: in quam observantiam imitandam, omnes beati Johannis successores

[1] Act. xxi. 20.
[2] *quot*] quod, MS.
[3] *resurrectionis*] resurrexionis, MS.
[4] *exorta*] exhorta, MS.
[5] *sabbato*] sabboto, MS.

in Asia post obitum eius, et omnis per orbem ecclesia conversa est. Et hoc esse verum Pascha, hoc solum fidelibus celebrandum, Nicæno concilio[1] non statutum noviter, sed confirmatum est, ut ecclesiastica docet historia. Unde constat vos, Colmanne, neque Johannis, ut autumatis, exempla sectari, neque Petri, cuius traditioni scientes contradicitis, neque Legi neque Evangelio in observatione vestri Paschæ congruere. Johannes enim ad legis Mosaicæ decreta tempus Paschale custodiens, nil de prima sabbati curabat; quod vos non facitis, qui nonnisi[2] prima sabbati Pascha celebratis. Petrus a quinta decima luna usque ad vicesimam primam diem Paschæ Dominicum celebrabat; quod vos non facitis, qui a quarta decima usque ad vicesimam lunam diem Dominicum Paschæ observatis: ita ut tertia decima luna ad vesperam sæpius Pascha incipiatis, cuius neque Lex ullam facit mentionem,[3] neque Auctor ac Dator Evangelii Dominus in ea, sed in quarta decima vel vetus Pascha manducavit ad vesperam, vel novi testamenti sacramenta in commemorationem suæ passionis ecclesiæ celebranda tradidit. Itemque lunam vicesimam primam, quam Lex maxime celebrandam commendavit, a celebratione vestri Paschæ funditus eliminatis:[4] sicque, ut dixi, in celebratione summæ festivitatis, neque Johanni, neque Petro, neque Legi, neque Evangelio concordatis."

His contra Colmannus: "Numquid," ait, "Anatolius vir sanctus, et in præfata historia ecclesiastica multum laudatus, Legi vel Evangelio contraria sapuit, qui a quarta decima usque ad vicesimam Pascha celebrandum scripsit? Numquid[5] reverentissimum patrem nostrum Columbam, et successores eius viros Deo dilectos, qui eodem modo Pascha fecerunt, Divinis paginis con- Colman.

---

[1] *concilio*] cousilio, MS.
[2] *nonnisi*] nisi, MS.; nonnisi, Bed.
[3] *mentionem*] mensionem, MS.
[4] *eliminatis*] eluminatis, MS.
[5] *Numquid*] Nunquit, MS.

traria sapuisse vel egisse[1] credendum est? cum plurimi fuerunt in eis, quorum sanctitati cœlestia signa, et virtutum quæ fecerunt miracula, testimonium perhibuerunt: quos ipse sanctos esse non dubitans, semper eorum vitam, mores et disciplinam sequi non desisto."

Wilfrid. At Wilfridus: "Constat," inquit, "Anatolium virum sanctissimum, doctissimum, ac laude esse dignissimum; sed quid vobis cum illo, cum nec eius decreta servetis? Ille enim in Pascha suo regulam utique veritatis sequens, circulum decem et novem annorum posuit; quem vos aut ignoratis, aut agnitum et a tota Christi ecclesia custoditum pro nihilo contemnitis. Ille sic in Pascha Dominico quartam decimam lunam computavit, ut hanc eadem ipsa die more Ægyptiorum quintam decimam lunam ad vesperam esse fateretur. Sic item vicesimam diem Dominico Paschæ annotavit, ut hanc declinata eadem die esse vicesimam primam crederet. Cuius regulam distinctionis vos ignorasse probat, quod aliquotiens Pascha manifestissime ante plenilunium, id est, in tertia decima luna facitis. De patre autem vestro Columba et sequacibus eius, quorum sanctitatem vos imitari, et regulam ac præcepta cœlestibus signis confirmata sequi perhibetis, possem respondere, quia multis in iudicio dicentibus Domino, quod in nomine eius prophetaverint, et dæmonia eiecerint, et virtutes multas fecerint; responsurus sit Dominus quia nunquam eos noverit. Sed absit ut hoc de patribus vestris dicam: quia iustius multo est, de incognitis bonum credere, quam malum. Unde et illos Dei famulos ac Deo dilectos esse non nego, qui simplicitate rustica, sed intentione pia Deum dilexerunt. Neque illis multum obesse reor talem Paschæ observantiam, quamdiu nullus advenerat, qui eis instituti perfectioris decreta quæ sequerentur, ostenderet: quos utique credo, si qui tunc ad eos catho-

---

[1] *egisse*] legisse, MS.

licus calculator adveniret, sic eius monita fuisse secuturos, quomodo quæ noverant ac didicerant, Dei mandata probantur fuisse secuti. Tu autem et socii tui, si audita decreta sedis apostolicæ, immo universalis ecclesiæ, et hæc litteris sacris confirmata, sequi contemnitis, absque ulla dubietate peccatis. Etsi enim patres tui sancti fuerunt, numquid universali quæ per orbem est ecclesiæ Christi, eorum est paucitas uno de angulo extremæ insulæ præferenda? Et si sanctus erat ac potens virtutibus ille Columba vester, immo et noster si Christi erat, num præferri potuit beatissimo apostolorum principi, cui Dominus ait: 'Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum?'"

Hæc perorante Wilfrido, dixit rex: "Verene, Colmanne, hæc illi Petro dicta sunt a Domino?" Qui ait: "Vere, rex." At ille, "Habetis," inquit, "vos proferre aliquid tantæ potestatis vestro Columbæ datum?" At ille[1] ait: "Nihil." Rursum rex: "Si utrique vestrum," inquit, "in hoc sine ulla controversia consentitis, quod hæc principaliter Petro dicta, et ei claves regni cœlorum sint datæ a Domino?" Responderunt, "Etiam," utrique. At ille ita[2] conclusit: "Et ego vobis dico, quia hic est ostiarius ille cui ego contradicere nolo; sed in quantum novi vel valeo, huius cupio in omnibus obedire statutis; ne forte me adveniente ad fores regni cœlorum, non sit qui reseret, averso illo qui claves tenere probatur."

The king decides for the Roman rule.

Hæc dicente rege, elevatis in cœlum manibus, faverunt assidentes quique sive astantes, maiores una cum mediocribus; et abdicata minus perfecta institutione, ad ea quæ meliora cognoverant sese transferre festinabant.

---

[1] *ille*] illi, MS.

[2] *ita*] itaque, MS.; ita, Bed.

CAP. XLVI.

Bed. iii. 29. *Ut Wihardus presbyter ordinandus in archiepiscopum, Romam de Britannia sit missus: quem rescripta papæ ibidem obisse narraverunt.*

Oswi and Egbert send Gwihard to Rome to be consecrated archbishop.

HIS temporibus reges Anglorum nobilissimi, Oswi provinciæ Northumbrorum et Egbertus Cantuariorum, habito inter se consilio, quid de statu ecclesiæ Anglorum esset agendum, (intellexerat enim veraciter Oswi, quamvis educatus a Scotis, quia Romana ecclesia esset catholica et apostolica,) assumpserunt cum electione et consensu sanctæ ecclesiæ gentis Anglorum virum bonum et aptum episcopatu presbyterum, nomine Gwihardum, de clero Deusdedit archiepiscopi, et hunc antistitem ordinandum Romam miserunt: quatinus accepto ipse gradu archiepiscopatus, catholicos per omnem Britanniam ecclesiis Anglorum ordinare posset antistites.

Verum Gwihardus Romam perveniens, priusquam consecrari in episcopatum posset, morte præreptus est, et huiusmodi litteræ regi Oswi Britanniam remissæ:

Pope Vitalian's letter announcing Gwihard's death.

"Domino excellentissimo filio suo Oswi regi Saxonum, Vitalianus episcopus, servus servorum Dei. Desiderabiles litteras excellentiæ vestræ suscepimus: quas relegentes, cognovimus tuam piissimam devotionem ferventissimumque amorem, quem habes propter beatam vitam; et quia dextera Domini protegente ad veram et apostolicam fidem sis conversus, speramus ut, sicut in tua gente regnas, ita et cum Christo in futuro conregnes. Benedicta igitur gens, quæ talem sapientissimum et Dei cultorem promeruit habere regem: quia non solum ipse Dei cultor extitit, sed etiam omnes subiectos suos meditatur die ac nocte

ad fidem catholicam atque apostolicam pro suæ animæ redemptione converti. Quis enim audiens hæc suavia, non lætetur? Quis non exultet et gaudeat in his piis operibus? Quia gens vestra Christo Omnipotenti Deo credidit, secundum Divinorum prophetarum voces, sicut scriptum est in Isaia:[1] 'In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.' Et iterum:[2] 'Audite insulæ, et attendite populi de longe.' Et post paululum: 'Parum,' inquit, 'est ut mihi sis servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.' Et rursum: 'Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt.' Et post pusillum: 'Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hereditates dissipatas, et diceres his qui vincti sunt: Exite; et his qui in tenebris sunt, Revelamini.' Et rursum:[3] 'Ego Dominus vocavi te in iustitia, et apprehendi manum tuam, et servavi; et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.' Ecce, excellentissime fili, quam luce clarius est, non solum de vobis, sed etiam de omnibus prophetatum[4] gentibus, quod sint crediture in Christum omnium Conditorem. Quamobrem oportet vestram celsitudinem, utpote membrum existens Christi, in omnibus piam regulam sequi perenniter principis apostolorum, sive in Pascha celebrando, sive in omnibus quæ tradiderunt sancti apostoli Petrus et Paulus; qui ut duo luminaria cœli illuminant mundum, sic doctrina eorum corda hominum cotidie illustrat credentium."

[1] Isa. xi. 10.
[2] Isa. xlix. 1, 6, 7, 8, 9.
[3] Isa. xlii. 6, 7.
[4] *prophetatum*] prophetarum, MS. See Bed. iii. 29.

Et post non nulla, quibus de celebrando per orbem totum uno vero Pascha loquitur:

"Hominem denique," inquit, "docibilem, et in omnibus ornatum antistitem, secundum vestrorum scriptorum tenorem, minime valuimus nunc reperire pro longinquitate itineris. Profecto enim, dum huiusmodi apta repertaque persona fuerit, eum instructum ad vestram dirigemus patriam, ut ipse et viva voce et per Divina oracula omnem inimici zizaniam ex omni vestra insula cum Divino nutu eradicet. Munuscula autem a vestra celsitudine beato principi apostolorum directa, pro æterna eius memoria suscepimus, gratiasque agimus, ac pro vestra incolumitate iugiter Deum deprecamur cum Christi clero. Itaque qui hæc optulit munera, de hac subtractus est luce, situsque ad limina apostolorum; pro quo valde sumus contristati, cum hic esset defunctus. Verumtamen gerulis harum nostrarum litterarum vestris missis, et beneficia sanctorum, hoc est, reliquias beatorum apostolorum Petri et Pauli, et sanctorum martyrum Laurentii, Johannis et Pauli, et Gregorii[1] atque Pancratii, eis fecimus dari, vestræ excellentiæ profecto omnes contradendas. Nam et coniugi vestræ, nostræ spirituali filiæ, direximus per præfato gerulos crucem clavem auream habentem de sacratissimis vinculis beatorum apostolorum Petri et Pauli; de cuius pio studio cognoscentes, tantum cuncta sedes apostolica una nobiscum lætatur, quantum eius pia opera coram Deo fragrant[2] et vernant. Festinet igitur, quæsumus, vestra celsitudo, ut optamus, totam suam insulam Deo Christo dedicare. Profecto enim habet protectorem, humani generis Redemptorem Dominum nostrum Jesum Christum, qui ei cuncta

[1] *Gregorii*] Georgii, MS.; Gregorii, Bed. iii. 29.

[2] *fragrant*] flagrant, MS.

prospera impertiet, ut novum Christi populum coacervet, catholicam et apostolicam ibi constituens fidem. Scriptum est enim:[1] 'Quærite primum regnum Dei, et iustitiam eius, et hæc omnia adicientur vobis.' Nimirum enim quærat, et impetrabit, et ei omnes suæ insulæ, ut optamus, subdentur. Paterno itaque[2] affectu salutantes vestram excellentiam, Divinam precamur iugiter clementiam, quæ vos vestrosque omnes in omnibus operibus bonis auxiliari dignetur, ut cum Christo regnetis in futuro sæculo. Incolumem excellentiam vestram superna pietas custodiat."

CONTINUATIO. *Quod præfato Wihardo defuncto Theodorus est ordinatus in archiepiscopum Cantuariensem.* Bed. iv. 1.

GWIHARDUS, sicut prædiximus, a regibus Oswi et Egberto ad suscipiendum archiepiscopatum Cantuariæ Romam missus, cuius sedi apostolicæ tempore illo Vitalianus, de quo prædiximus, præerat, postquam itineris sui causam præfato papæ apostolico patefecit, non multo post et ipse et omnes pæne qui cum eo advenerant socii eius, pestilentia superveniente deleti sunt. Death of Gwihard.

At apostolicus papa habito de his consilio, quæsivit sedulus quem ecclesiis Anglorum archiepiscopum mitteret. Erat autem in monasterio Niridiano quod est non longe a Neapoli Campaniæ, abbas Adrianus, vir natione Afer, sacris litteris diligenter imbutus, monas- The primacy is offered to Adrian.

---

[1] Matth. vi. 33.

[2] *itaque*] ita si, MS.; itaque, Bed.

terialibus simul et ecclesiasticis disciplinis institutus, Græcæ pariter et Latinæ linguæ peritissimus. Hunc ad se accitum papa iussit episcopatu accepto Britanniam venire. Qui indignum se tanto gradui respondens, ostendere posse se dixit alium, cuius magis ad suscipiendum episcopatum et eruditio conveniret et ætas. Cunque monachum quendam de vicino virginum monasterio, nomine Andream, pontifici offerret, hic ab omnibus qui noverunt, dignus episcopatu iudicatus est. Verum pondus corporeæ infirmitatis, ne episcopus fieri posset, obstitit. Et rursum Adrianus ad[1] suscipiendum episcopatum coactus est: qui petiit inducias, si forte alium, qui episcopus ordinaretur, ex tempore posset invenire.

To Andrew.

Theodore of Tarsus, seventh archbishop.

Erat ipso tempore Romæ monachus Adriano notus,[2] nomine Theodorus, natus Tarso Ciliciæ, vir et sæculari et divina litteratura, et Græce et Latinė instructus, probus moribus, et ætate venerandus, id est, annos habens ætatis sexaginta sex. Hunc offerens Adrianus papæ, ut episcopus ordinaretur optinuit: his tamen condicionibus interpositis, ut ipse Adrianus eum perduceret Britanniam, eo quod iam bis partes Galliarum diversis ex causis adisset, et ob id maiorem huius itineris peragendi notitiam haberet, sufficiensque esset in possessione hominum propriorum: et ut ei doctrinæ cooperator existens, diligenter attenderet ne quid ille contrarium veritati fidei, Græcorum more, in ecclesia cui præesset, introduceret. Qui ordinatus est a Vitaliano papa supradicto anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo sexagesimo octavo, sub die septimo kalendarum Aprilium, Dominica. Et ita cum Adriano sexto kalendas Junii Britanniam missus est. Qui cum pariter Arelas pervenissent, et tradidissent Johanni archiepiscopo civitatis illius scripta commendaticia

Consecrated March 26, A.D. 668. Began his journey May 27.

---

[1] *ad*] ad ad, MS. | [2] *notus*] nitus, MS.

Vitaliani papæ, retenti sunt ab eo. At vero cum nuntii certi narrassent regi Cantuariorum Egberto, esse scilicet episcopum, quem petierant a Romano pontifice, in regno Francorum, misit illuc continuo Radfridum præfectum suum, ad adducendum eum: quo cum venisset, assumpsit Theodorum, perduxit eum ad portum cui nomen est Quentawyk, ubi fatigatus infirmitate aliquantisper moratus est; et cum convalescere cœpisset, navigavit Britanniam. Quidam autem Ebronius nomine, maior domus regis Francorum, Adrianum abbatem retinuit, quoniam suspicabatur eum habere aliquam legationem imperatoris ad Britanniæ [reges][1] adversus regnum Francorum, cuius tunc ipse maximam curam gerebat. Sed cum nihil tale illum habere vel habuisse veraciter comperisset, absolvit eum, et post Theodorum ire permisit. Qui statim ut ad illum pervenit, dedit ei monasterium beati Petri apostoli, ubi archiepiscopi Kantiæ sepeliri, ut præfatus sum, solent. Præceperat enim Theodoro abeunti dominus apostolicus, ut in diœcesi sua provideret et daret ei locum, in quo cum suis apte degere potuisset. Pervenit autem Theodorus ad ecclesiam suam secundo postquam consecratus est anno, sub die sexto kalendarum Juniarum, Dominica; et fecit in ea annos viginti et unum, menses tres, dies viginti sex.

Bed. iv. 2. Arrival of Theodore. May 27, A.D. 669.

CAP. XLVII.

Ut Orientales Saxones tempore mortalitatis ad idolatriam reversi, sed per instantiam Jarumanni episcopi mox sunt ab errore correcti.

Bed. iii. 30.

Eodem tempore provinciæ Orientalium Saxonum post Swithelmum, de quo supra diximus, præfuere

Sigher and Sebba, kings of

[1] *reges*] om. MS. See Bed. iv. 1.

Essex, under Wlfer, king of Mercia. reges Sigherus et Sebba, quamvis ipsi regi Merciorum Wlfero subiecti. Quæ videlicet provincia cum mortalitatis clade premeretur, Sigherus cum sua parte populi, relictis Christianæ fidei sacramentis, ad apostasiam conversus est. Apostasy of Sigher. Nam et ipse rex, et plurimi de plebe sive de optimatibus, diligentes hanc vitam, et futuram non quærentes, sive etiam non esse credentes, cœperunt fana quæ derelicta erant, restaurare, et adorare simulacra:[1] quasi per hæc possent a mortalitate defendi. Porro socius eius et coheres regni eiusdem, Sebbe, Faith of Sebbe. magna fidem perceptam cum suis omnibus devotione servavit, magna, ut in sequentibus dicemus, vitam fidelem felicitate complevit. Quod ubi rex Merciorum Wlferus comperit, fidem videlicet provinciæ ex parte profanatam, misit ad corrigendum errorem revocandamque ad fidem veritatis provinciam Jarumannum episcopum, qui successor erat Trumheri. Wlfer sends bishop Jaruman to reclaim the apostates. Qui multa agens solertia, longe lateque pervagatus, et populum et regem præfatum ad viam iustitiæ reduxit: adeo ut relictis, sive destructis fanis, aris, quas fecerant, aperirent ecclesias, ac nomen Christi, cui contradixerant, confiteri gauderent, magis cum fide resurrectionis in illo mori, quam in perfidiæ sordibus inter idola vivere cupientes. Quibus ita gestis, et ipsi sacerdotes doctoresque eorum domum redierunt lætantes.

Cap. XLVIII.

Bed. iv. 5.

De morte Oswi et Egberti regum.

A.D. 670. Death of Oswi, Anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo septuagesimo, qui est annus secundus ex quo Britanniam

---

[1] *simulacra*] similacra, MS.

venit Theodorus archiepiscopus Cantuariensis, Oswi rex Northumbrorum pressus est infirmitate, qua et mortuus est anno ætatis suæ quinquagesimo octavo. Qui in tantum eo tempore tenebatur amore Romanæ et apostolicæ institutionis, ut si ab infirmitate salvaretur, etiam Romam venire, ibique ad loca sancta vitam finire disponeret; Wilfridum ducem sibi itineris fieri, promissa non parva pecuniarum donatione, rogaret. Qui defunctus die decima quinta kalendarum Martiarum, Egfridum filium suum regni heredem reliquit, sepultusque est in monasterio Ethelfleldæ filiæ suæ, quod Streneshale nuncupatur.

Feb. 15, æt. 58. His son Egfrid succeeds him.

Bed. iii. 24.

Quo etiam anno rex Cantuariorum Egbertus mense Julio obierat, succedente in regnum fratre Hlothero; quod ipse annos undecim et menses septem tenuit.

July, 673 [Bed. iv. 5]. Cf. supr. c. 43. Death of Egbert, king of Kent; his brother Hlother succeeds.

Cap. XLIX.

Ut rex Orientalium Saxonum Sebba in monachica conversatione vitam finierit.

Bed. iv. 11.

Eo tempore præerat regno Orientalium Saxonum vir multum Deo devotus, nomine Sebba, cuius meminimus supra. Erat enim religiosis actibus, crebris precibus, piis eleemosynarum fructibus intentus; vitam privatam et monachicam cunctis regni divitiis et honoribus præferens, quam et olim iam, si non obstinatus coniugis animus divortium negaret, relicto regno subisset. Unde multis visum et sæpe dictum est, quia talis animi virum episcopum magis quam regem ordinari deceret. Cumque annos triginta in regno miles regni cœlestis exegisset, correptus est corporis infirmitate permaxima, qua et mortuus est: admonuitque coniugem, ut vel tunc Divino se servitio manciparent, cum amplius pariter mundum amplecti,

Sebba, king of Essex.

His wife withstands his desire

of entering a monastery. vel potius mundo servire non possent. Quod dum ægre impetraret ab ea, venit ad antistitem Londoniæ civitatis, vocabulo Waldherum, qui Erkenwaldo successerat; et per eius benedictionem habitum religionis monasticæ, quem diu desiderabat, accepit. Attulit autem eidem et summam pecuniæ non parvam, pauperibus erogandam, nil omnimodis sibi reservans; sed pauper spiritu magis propter regnum cœlorum manere desiderans.

Qui cum, ingravescente præfata ægritudine, diem sibi mortis imminere sensisset, timere cœpit homo animi regalis, ne ad mortem veniens tanto affectus dolore, aliquid indignum suæ personæ, vel ore proferret vel aliorum motu[1] gereret membrorum. Unde accito ad se præfatæ urbis Londoniæ, in qua tunc ipse manebat, episcopo, rogavit ne plures eo moriente quam ipse episcopus et duo sui ministri adessent. Quod dum episcopus libentissime se facturum promitteret, non multo post idem vir Dei, dum membra sopori dedisset, vidit visionem consolatoriam,[2] quæ omnem ei anxietatem memoratæ sollicitudinis auferret; insuper et qua die esset hanc vitam terminaturus, ostenderet. Vidit enim, ut post ipse referebat, tres ad se venisse viros claro indutos habitu; quorum unus residens ante lectum eius, stantibus his qui secum advenerant comitibus, et interrogantibus de statu eius quem languentem visitare venerant, dixit quod anima eius et sine ullo dolore et cum magno lucis splendore esset egressura de corpore: sed et tertium diem quo esset moriturus insinuavit. Quod ita utrumque [ut][3] ex visione didicit completum est. Nam [die][4] dehinc tertio completa hora nona, subito quasi leviter obdormiens sine ullo sensu doloris emisit spiritum.

Sebba's vision. His death.

Miracle. Cuius corpori tumulando præparaverant sarcofagum

---

[1] *motu*] motú, MS.
[2] *consolatoriam*] consolatariam, MS.
[3] *ut*] om. MS. See Bed. iv. 11.
[4] *die*] om. MS.

lapideum: sed cum huic corpus imponere cœpissent, invenerunt hoc mensura palmi longius esse sarcofago. Dolantes ergo lapidem in quantum valebant, addiderunt longitudini sarcofagi quasi duorum mensuram digitorum. Sed nec sic quidem [corpus][1] capiebat. Unde facta difficultate tumulandi, cogitabant aut alium[2] quærere loculum, aut ipsum corpus, si possent, in genibus inflectendo breviare, donec ipso loculo caperetur. Sed mira res, et non nisi cœlitus facta, ne aliquid horum fieri deberet, prohibuit. Nam subito astante episcopo, et filio regis eiusdem ac monachi Sighardo, qui post illum cum fratre Sufredo regnavit, et turba hominum non modica, inventum est sarcofagum illuc congruæ longitudinis ad mensuram corporis, adeo ut a parte capitis etiam cervical posset interponi; a parte vero pedum, mensura quattuor digitorum in sarcofago corpus excederet. Conditus est autem in ecclesia beati doctoris gentium, cuius edoctus monitis cœlestia sperare didicerat.

Sebba's successors Sighard and Sufred.

Cap. L.

Ut Wilfridus episcopus provinciam Australium Saxonum ad Christum converterit. **Bed. iv. 1**

Pulsus est autem ab episcopatu suo Wilfridus, et multa diu loca pervagatus, Romam adiit, Britanniam rediit; et si propter inimicitias regis Northumbrorum Egfridi in patria sive parochia sua recipi non potuit, non tamen ab evangelizandi potuit ministerio cohiberi: siquidem divertens ad provinciam Australium Saxonum, quæ post Cantuarios ad austrum et ad occidentem usque ad Occidentales Saxones pertingit, habens terram fami-

Wilfrid converts Sussex. A.D. 681.

---

[1] *corpus*] om. MS. [2] *alium*] aliud, MS.

liarum septem milium, et eo adhuc tempore paganis cultibus serviebat; huic verbum fidei et lavacrum salutis ministrabat. Erat autem rex gentis ipsius Æthelwoldus non multo ante baptizatus in provincia Merciorum, præsente ac suggerente rege Wlfhero, a[1] quo etiam egressus de fonte loco filii susceptus est: in cuius signum adoptionis, duas illi provincias donavit, Vectam videlicet insulam, et Mennarorum provinciam in gente Occidentalium Saxonum. Itaque episcopus, concedente, immo multum gaudente rege, primos provinciæ duces ac milites sacro fonte abluebat; presbyteri Eppa, et Padda, et Burhelmus et Edda, ceteram plebem vel tunc vel tempore sequente baptizabant. Porro regina nomine Ebba in sua, id est, Wicciorum provincia, fuerat baptizata. Erat autem filia Anfridi, fratris Anheri, qui ambo cum suo populo Christiani fuerunt. Ceterum tota provincia Australium Saxonum Divini nominis et fidei erat ignara.

Æthelwold, king of Sussex.

Queen Ebba.

Erat autem ibi monachus quidam de natione Scottorum, vocabulo Dicul, habens monasteriolum[2] permodicum in loco qui vocatur Bosanham, silvis et mare circumdatum, et in eo fratres quinque sive sex, in humili et paupere vita Domino famulantes. Sed provincialium nullus eorum vel vitam æmulari, vel prædicationem curabat audire.

Dicul, monk of Bosanham.

Evangelizans autem genti episcopus Wilfridus, non solum eam ab ærumna perpetuæ damnationis, verum et a clade infanda temporalis interitus eripuit. Siquidem tribus annis[3] ante adventum eius in provinciam, nulla illis in locis pluvia ceciderat, unde et fames acerbissima plebem invadens impia nece prostravit. Denique ferunt quia sæpe quadraginta simul aut quinquaginta homines inedia macerati procederent[4] ad

Wilfrid relieves the famishing people by a draught of fishes.

---

[1] *a*] et, MS.

[2] *monasteriolum*] monastoriolum, MS.

[3] *annis*] annis, second hand.

[4] *procederent*] procederunt, MS.

præcipitium[1] aliquod sive ripam maris, et iunctis misere manibus, pariter omnes aut ruina perituri, aut fluctibus absorbendi deciderent. Verum ipso die, quo baptisma fidei gens suscepit, illo descendit pluvia serena et copiosa, refloruit terra, rediit viridantibus arvis annus lætus et frugifer.* Sicque abiecta prisca superstitione, exufflata idolatria, cor omnium et caro omnium exultaverunt in Deum vivum: intelligentes, eum qui verus est Deus, et interioribus se bonis et exterioribus cœlesti[2] gratia ditasse. Nam et antistes cum venisset in provinciam, tantamque ibi famis pœnam videret, docuit eos piscando victum quærere. Namque mare et flumina eorum piscibus abundabant; sed piscandi peritia genti nulla nisi ad anguillas tantum inerat. Collectis ergo undecumque retibus anguillaribus, homines antistitis miserunt in mare, et Divina se iuvante gratia, mox ceperunt pisces diversi generis trecentos: quibus trifariam divisis, centum pauperibus [dederunt],[3] centum his a[4] quibus retia acceperant, centum in suos usus habebant. Quo beneficio multum antistes cor omnium in suum convertit amorem, et libentius eo prædicante cœlestia sperare cœperunt, cuius ministerio temporalia bona sumpserunt.

Quo tempore rex Æthelwoldus, cuius supra meminimus, donavit reverentissimo antistiti Wilfrido terram octoginta[5] familiarum, ubi suos homines qui exules vagabantur, recipere posset, vocabulo Seleseie, quod dicitur Latine Insula Vituli Marini. Est enim locus undique mari circumdatus præter ab occidente, unde habet ingressum amplitudinis quasi iactus fundæ: qualis locus a Latinis peninsula, a Græcis solet cherronesos vocari. Hunc ergo locum cum accepisset episcopus Wilfridus, Selseie abbey.

[1] *præcipitium*] præcipium, MS.
[2] *cœlesti*] celestia, MS.
[3] *dederunt*] om. MS. See Bed. iv. 13.
[4] *a*] et, MS.
[5] *octoginta*] octoginta septem, Bed. iv. 13.

Founded by Wilfrid. fundavit ibi monasterium, ac regulari vita instituit, maxime ex his quos secum adduxerat fratribus: quod usque hodie successores eius tenere noscuntur. Nam ipse illis in partibus annos quinque, id est, usque ad A.D. 686. mortem Egfridi regis, merito omnibus honorabilis, officium episcopatus et verbo exercebat et opere. Et quoniam illi rex cum præfata loci possessione omnes qui ibidem erant, facultates cum agris et hominibus donavit, omnes fide Christi institutos unda baptismatis abluit; inter quos, servos et ancillas ducentos quinquaginta: quos omnes ut baptizando a servitute dæmonica salvavit, etiam libertati[1] donando humanæ iugo servitutis absolvit.

Bed. iv. 14. In quo tunc monasterio nonnulla cœlestis gratiæ dona specialiter ostensa fuisse perhibentur; utpote ubi nuper expulsa diaboli tyrannide Christus iam regnare cœperat.

Bed. iv. 14.

CONTINUATIO. *De visione cuiusdam pueruli.*

EODEM ferme tempore quo ipsa provincia nomen Christi susceperat, multas Britanniæ provincias mortalitas sæva corripiebat. Quæ cum præfatum quoque monasterium, cui tunc regendo religiosissimus Christi Pestilence. sacerdos, vocabulo Eppa, præfuit, nutu Divinæ dispensationis attingeret; multique sive de his qui cum antistite illo venerant, sive de illis qui de eadem provincia Saxonum nuper ad fidem fuerant vocati, passim de hac vita raperentur; visum est fratribus triduanum ieiunium agere, et Divinam suppliciter obsecrare clementiam, ut misericordiam sibi dignaretur

---

[1] *libertati*] libertate, Bed.

impendere, et sive periclitantes hoc morbo a præsenti morte liberaret, seu raptos e mundo a perpetua animæ damnatione servaret.

Erat tunc temporis in eodem monasterio puerulus quidam de natione Saxonum, nuper vocatus ad fidem, qui eadem tactus infirmitate, non pauco tempore recubans in lectulo iacebat. Cum ergo secunda memorati ieiunii ac supplicationum dies ageretur, contigit forte ipsum puerum hora ferme secunda diei, in loco in quo æger iacebat, solum inveniri: cui Divina dispositione subito beatissimi principes apostolorum Petrus et Paulus dignati sunt apparere. Erat enim puer multum simplicis ac mansueti animi, sinceraque devotione sacramenta fidei quæ susceperat servans. Salutantes ergo illum verbis piissimis apostoli dicebant: "Noli timere, fili, mortem pro qua sollicitus es: nos enim te hodierna die ad cœlestia sumus regna perducturi. Sed primum expectare habes donec missæ celebrentur, ac viatico Dominici corporis ac sanguinis accepto, sic infirmitate simul et morte absolutus ad æterna in cœlis gaudia subleveris. Clama ergo ad te presbyterum Eppam, et dicito illi quia Dominus exaudivit preces vestras, et devotionem ac ieiunia propitius aspexit: neque aliquis de hoc monasterio sive adiacentibus ei possessiunculis[1] hac clade ultra moriturus est; sed omnes qui alicubi de vestris hac ægritudine laborant, resurrecturi a languore, pristina sunt sospitate recuperandi, præter te solum qui hodierna es die liberandus a morte, et ad visionem Domini Christi, cui fideliter servisti, perducendus in cœlum: quod Divina vobis pietas per intercessionem religiosi ac Deo dilecti Oswaldi regis, qui quondam genti Northumbrorum et regni temporalis auctoritate et Christianæ pietatis, quæ ad regnum perenne ducit, devotione

St. Peter and St. Paul appear to a dying boy.

[1] *possessiunculis*] possessiunculas, MS.

sublimiter præfuit, conferre dignata est. Hac etenim die idem rex ab infidelibus in bello corporaliter extinctus, mox ad superna animarum gaudia assumptus in cœlum et electorum est sociatus agminibus. Quærant in suis codicibus, in quibus defunctorum est annotata depositio, et invenient illum hac, ut diximus, die raptum esse de sæculo. Celebrent[1] ergo missas per cuncta monasterii oratoria huius, sive pro[2] gratiarum actione exauditæ suæ deprecationis, sive etiam in memoriam præfati regis Oswaldi, qui quondam ipsorum genti præerat, ideoque pro eis quasi pro suæ gentis advenis supplex orabat ad Dominum: et cunctis convenientibus ad ecclesiam fratribus, communicent omnes sacrificiis cœlestibus, et ita soluto ieiunio corpus quoque suis reficiant alimentis."

Quæ cum omnia vocato ad se presbytero puer verba narrasset, interrogavit eum sollicitus, quales essent habitu vel specie viri qui sibi apparuissent. Respondit: "Præclari omnino habitus et vultus erant, lætissimi ac pulcherrimi, quales nunquam antea videram, neque aliquos hominum tanti decoris ac venustatis esse posse credebam. Unus quidem attonsus erat ut clericus, alius barbam habebat prolixam: dicebantque quod unus eorum Petrus, alius vocabatur Paulus, et ipsi essent ministri Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi, ad tuitionem nostri monasterii missi ab ipso de cœlis." Credidit ergo verbis pueri presbyter, ac statim egressus requisivit in annali suo, et invenit eadem ipsa die Oswaldum regem fuisse peremptum: vocatisque fratribus, parari prandium, missas fieri, atque omnes communicare more solito præcepit: simul et infirmanti puero de eodem sacrificio Dominicæ oblationis particulam deferri mandavit.

Quibus ita gestis, non multo post eadem ipsa die

---

[1] *Celebrent*] Celebrant, MS. | [2] *pro*] per, MS.; pro, Bed. iv. 14.

puer defunctus est, suaque morte probavit vera fuisse verba quæ ab apostolis Christi audierat. Sed et hoc eius verbis testimonium perhibuit, quod nemo præter ipsum tempore illo ex eodem est monasterio raptus de mundo. Ex qua nimirum visione multi qui hæc audire potuerunt, ad[1] exorandam in adversis Divinam clementiam, ad salutaria ieiuniorum remedia subeunda sunt mirabiliter accensi: et ex eo tempore non solum in eodem monasterio, sed et in plerisque locis aliis, cœpit annuatim eiusdem regis ac militis Christi Oswaldi dies natalicius missarum celebratione venerari. King Oswald's birthday.

CONTINUATIO. *Quod mortuo Kinewalk Occidentalium Saxonum rege, ac regina sua Sexburga, quæ post ipsum regnum uno anno tenuit, defuncta, subreguli illud regnum per aliquod tempus tenuerunt.* Will. Malmesb. i. 32, 33, p. 45.

MORTUO Kynewalk rege Occidentalium Saxonum, defunctaque Sexburga regina, quæ post ipsum dictum regnum tenuit uno anno, successit Escwinus regali prosapiæ proximus, quippe qui fuerat Cinegilsi ex fratre Cuthgiso abnepos. Quo decedente vel morte sua, vel vi aliena, neutrum enim expedite invenio, vacantem aulam successione legitima implevit Centwinus Cinegilsi filius; ambo notæ in bello experientiæ (siquidem ille Mercios, iste Britannos anxia clade perculerit), sed temporis brevitate miserandi. Nam imperium secundi non ultra novennium prorogatum; primi biennium superior sermo absolvit. Et hoc secundum chronicorum fidem. Ceterum non eos regno integro imperitasse, sed inter eos regnum divisisse, Beda[2] confirmat.

A.D. 673. Death of Kynewalk king of Wessex. His widow Sexburga reigns for one year. A.D. 674. Accession of Escwin. A.D. 676. Accession of Centwin. A.D. 676–685. A.D. 674–676.

---

[1] *ad*] et, MS.

[2] Hist. Eccl. iv. 12.

Will. Malmesb. i. 76, 77, pp. 109, 110; Cf. Matth. Westm. p. 238; Rog. Wend. 166, 167.

CONTINUATIO. *De Wlfero rege Merciorum et de obitu eius.*

Wlfer, king of Mercia, takes the I. of Wight, and bestows it on Athelwold, king of Sussex.

Wlfer sells the bishopric of London to Wina.

His family by Ermenhilda.

His brother Merewald's family by Ermenburga.

Kineburga, daughter of Penda and wife of Alfrid, enters a convent.

Death of Wlfer. Anno regni 19.

His brother Ethelred reigns in his stead.

WLFERUS rex Merciorum, ne spem omnium falleret, sedulo sategit magnis et animi et corporis viribus utilem se principem ostentare. Denique Christianitatem vix in regno suo palpitantem, et per fratrem Peadam initiatam, favore suo enixissime iuvit. Primis fere annis a rege Westsaxonum graviter afflictus, sequentibus consilii vivacitate iniuriam propulsans, etiam ipsum Wechtæ insulæ dominio mutilavit,[1] eandemque ritus sacrilegos anhelantem ad rectum tramitem inflectens, non multo post regi Australium Saxonum Athelwoldo, sicut præmisimus, contulit. Verum gravis simoniæ nota famam dicti regis Wlferi infecit, quod primus regum Anglorum sacrum episcopatum Londoniæ cuidam vocabula Winæ ambitiose vendiderit. Habuit in matrimonio filiam regis Erconberti, regis Cantuariorum, Ermenhildam, et ex ea genuit Kinredum et Wereburgam, virginem sacratissimam, quæ Cestriæ iacet. Frater eius Merewaldus Ermenburgam filiam Ermenredi fratris eiusdem Erconberti uxorem habuit, suscepitque ex ea filias Milburgam, quæ Wenelok, et Mildritham, quæ Cantiæ in monasterio sancti Augustini requiescunt, et Mildritham, et filium Merefinnum. Kineburgam Pendæ regis filiam Alfridus rex Northumbrorum duxit uxorem; quæ postmodum carnalem copulam fastidita, sanctimonialem habitum suscepit in monasterio quod fratres sui Wlferus et Ethelfredus construxerunt. Wlfero post decem et novem annos defuncto, suscepit regnum Merciorum frater eius Ethelredus, animi religione quam pugnandi exercitio celebrior.

---

[1] *mutilavit, eandem*] mutulavit, eeandem, MS.

CONTINUATIO. *De morte Æthelwoldi regis Australium Saxonum.* Bed. iv. 15.

QUIDAM iuvenis strenuissimus de regio genere Gewissorum, nomine Cedwalla, cum exularet a patria sua, venit cum exercitu in regnum Australium Saxonum, interficitque regem eiusdem provinciæ, de quo supra diximus, Æthelwaldum, ac provinciam illam sæva cæde ac depopulatione attrivit; sed mox expulsus est a ducibus regiis, Berthuno et Andhuno, qui deinceps regnum provinciæ tenuerunt: quorum prior postea ab eodem Cedwalla, cum esset rex Gewissorum, occisus est, et provincia graviore servitio subacta. Sed et Ine, qui post Cedwallam regnavit, simili provinciam illam afflictione plurimo annorum tempore mancipavit. Qua de re factum est ut toto illo tempore episcopum proprium habere nequiret; sed revocato domum Wilfrido primo suo antistite, ipsi episcopo Gewissorum, id est Occidentalium Saxonum, qui essent in Wenta civitate, subiacerent.

Cedwalla kills Ethelwald, king of Sussex.

Ine succeeds Cedwalla as king of Wessex.

CAP. LI.

De morte subregulorum Occidentalium Saxonum Escwini et Kentwini, et de successione Cedwallæ in regnum prædictum.

MORTUIS Escwino et Kentwino provinciæ Occidentalium Saxonum subregulis, successit in regnum Cedwalla iuvenis strenuus de regio genere Gewissorum, cuius supra meminimus, qui fuit filius Kenebrithi, filii Ceddæ, filii Cuthæ, filii Ceaulini, filii Kinrici, filii Cerdici. De isto Cedwalla diversæ sunt opiniones. Nam Ganfridus in Historia Britonum vocat istum

Cedwalla, king of Wessex.

Polychron. Ra. Higden, lib. v. p. 242 (Gale).

Galfr. Monum.

Hist. Brit. (xii. 14) substitutes for Cedwalla Cadwallader, whom he makes son of a British king, Cadwallo.

Cedwallam Cadwalladrum, dicitque ipsum fuisse filium Cadwallonis tyranni, regis Britonum. Ego enim istud reputo fabulosum. Nam Beda in Historia Anglorum[1] dicit Cedwallam fuisse de genere Gewissorum, id est, Occidentalium Saxonum. Cui maior fides est adhibenda. Nam ipse Beda fere contemporaneus dicti Cedwallæ extiterat. Qua de re est opinandum ipsum Bedam de dicto Cedwalla in historia sua verius conscripsisse, et potius Bedæ dicta sunt recipienda, præsertim cum ipsius scripta per ecclesiam sunt approbata.

Bede speaks of him as a Saxon.

Cestrensis.

Nam Cestrensis,[2] sicut dicit in sua Polychronicon, reputat Historiam Ganfridi in fine fabulosam. Malmesburiensis etiam dicit in libro De Gestis Anglorum Cedwallam fuisse Ceaulini ex fratre Cuda pronepotem. Ad historiam ergo redeamus.

Galfridus Monum. Wil. Malmesb. i. 34.

Bed. iv. 16.

Cedwalla takes the I. of Wight.

Postquam ergo Cedwalla regno potitus est Gewissorum, cepit insulam Wectam, quæ eatenus erat tota idolatriæ dedita; ac tragica[3] cæde omnes indigenas exterminare ac suæ provinciæ homines pro his substituere contendit, voto se obligans, quamvis nondum regeneratus, ut ferunt, in Christo, quia, si cepisset insulam, quartam partem eius, simul et prædæ, Domino daret. Quod ita solvit, ut hanc Wilfrido episcopo, qui tunc de gente sua superveniens aderat, utendam pro Domino offerret. Est autem mensura eiusdem insulæ, iuxta æstimationem Anglorum, mille ducentarum familiarum: unde data est episcopo possessio terræ trecentarum familiarum. At ipse partem quam accepit, commendavit cuidam de clericis suis, cui nomen Brithwinus, et erat filius sororis eius, dans illi presbyterum nomine Hiddilam, qui omnibus qui salvari vellent verbum ac lavacrum vitæ ministraret.

He assigns a portion to Wilfrid.

---

[1] iv. 15.

[2] Polychronicon Ra. Higden. Lib. v. p. 243 (Gale).

[3] *tragica*] stragea, MS.

Ubi silentio prætereundum non esse reor, quod in primitias eorum qui de insula eadem credendo salvati sunt, duo regii pueri fratres, videlicet Arwaldi regis insulæ prædictæ, speciali sunt Dei gratia coronati: siquidem imminentibus insulæ hostibus, fuga lapsi sunt de insula, et in proximam Jutarum[1] provinciam translati: ubi cum delati in locum qui vocatur "Ad Lapidem," occultandos se a facie regis victoris credidissent, proditi sunt atque occidi iussi. Quod cum audisset abbas quidam et presbyter, vocabulo Kinebertus, habens non longe abinde monasterium in loco qui vocatur Redford, id est, "Vadum harundinis," venit ad regem, qui tunc eisdem in partibus occultus curabatur a vulneribus quæ ei inflicta fuerant prælianti in insula Wecta: postulavitque ab eo, ut si necesse esset pueros interfici, prius eos liceret fidei Christianæ sacramentis imbui. Concessit rex, et ipse instructos eos verbo veritatis ac fonte salutari ablutos, de ingressu regni æterni certos reddidit. Moxque illi instante carnifice, mortem læti subierunt temporalem, per quam se ad vitam animæ perpetuam non dubitabant esse transituros. Hoc ordine, postquam omnes Britanniarum provinciæ fidem Christi susceperant, suscepit et insula Wecta; in qua tamen ob ærumnam externæ subiectionis, nemo gradum ministerii ac sedis episcopalis ante Danielem accepit.

Execution of the two sons of Arwald.

Sita est autem insula contra medium Australium Saxonum et Gewissorum, interposito pelago latitudinis trium milium quod vocatur Solente: in quo videlicet pelago bini æstus oceani qui circum Britanniam ex infinito oceano septemtrionali erumpunt, sibimet invicem cotidie conpugnantes occurrunt, ultra ostium Homelea, quod per terras Jutarum, quæ ad regionem Gewissorum pertinent, præfatum pelagus intrat; finitoque conflictu in oceanum refusi, unde venerant, redeunt.

Description of the isle, and of the Solent.

---

[1] *Jutarum*] Jutorum, MS.

Cap. LII.

Bed. iv. 19. *Ut Ætheldritha regina virgo perpetua permanserit, cuius nec corpus in monumento corrumpi potuerit.*

Ætheldritha, virgin wife of Egfrid.

Accepit autem rex Northumbrorum Egfridus coniugem Ætheldritham, filiam Annæ regis Orientalium Anglorum, cuius sæpius mentionem fecimus, viri bene religiosi, ac per omnia mente et opere egregii: quam et alter et ante illum vir habuerat uxorem, princeps videlicet Australium Giruiorum, vocabulo Tondbertus. Sed illo post modicum temporis ex quo eam accepit defuncto, data est præfato regi Egfrido: cuius consortio cum duodecim annis uteretur, perpetua tamen permansit virginitatis integritate gloriosa; sicut beatæ memoriæ Wilfridus episcopus referebat, dicens se testem integritatis eius esse certissimum: adeo ut Egfridus rex promiserit se ei terras ac pecunias multas esse donaturum, si reginæ posset persuadere eius uti connubio, quia sciebat illam nullum virorum plus illo diligere. Nec diffidendum est nostra etiam ætate fieri potuisse, quod ævo præcedente aliquotiens factum fideles historiæ narrant; donante uno eodemque Domino, qui se nobiscum usque in finem sæculi manere pollicetur. Nam etiam signum Divini miraculi, quo eiusdem feminæ sepulta caro corrumpi non potuit, indicio est quia a virili contactu incorrupta perduraverit.

She enters a monastery.

Quæ multum diu regem postulans ut sæculi curas relinqueret, atque in monasterio tantum vero Regi Christo servire permitteretur; ubi vix aliquando impetravit, intravit monasterium Ebbæ abbatissæ, quæ erat amita regis Egfridi, positum in loco quem Coludi Urbem nominant, accepto velamine sanctimonialis

habitus a præfato antistite Wilfrido. Post annum vero ipsa facta est abbatissa in regione quæ vocatur Ely; ubi constructo monasterio virginum Deo devotarum perplurimarum mater virgo et exemplis vitæ cœlestis esse cœpit et monitis. De qua ferunt, quia ex quo monasterium petiit, nunquam lineis, sed solum laneis vestimentis uti voluerit: raroque in calidis balneis, præter imminentibus solemniis maioribus, verbi gratia Paschæ, Pentecostes, et Epiphaniæ, lavari voluerit; et tunc novissima omnium, lotis prius suo suarumque ministrarum obsequio ceteris quæ ibi essent famulabus Christi; raro præter maiora solemnia, vel artiorem necessitatem, plus quam semel per diem manducaverit; semper, nisi infirmitas gravior prohibuisset, ex tempore matutinæ synaxeos usque ad ortum diei in ecclesia precibus intenta perstiterit. Sunt etiam qui dicant quia per prophetiæ spiritum, et pestilentiam qua ipsa esset moritura, prædixerit, et numerum quoque eorum, qui de suo monasterio hoc essent de mundo rapiendi, palam cunctis præsentibus intimaverit. Rapta est autem ad Dominum in medio suorum, post annos septem ex quo abbatissæ gradum susceperat: et æque ut ipsa iusserat, non alibi quam in medio eorum, iuxta ordinem quo transierat, ligneo in locello sepulta.

She becomes abbess of Ely. *Her asceticism.* *Her death.*

Cui successit in ministerium abbatissæ soror eius Sexburga, quam habuerat in coniugem Erkenbertus rex Cantuariorum. Et cum sedecim annis esset sepulta, placuit eidem abbatissæ levari ossa eius, et in locello novo posita in ecclesiam transferri; iussitque quosdam e fratribus quærere lapidem, de quo locellum in hoc facere possent: qui ascensa navi, ipsa enim Ely regio undique aquis ac paludibus circumdata, neque lapides maiores habet, venerunt ad civitatulam quandam desolatam, non procul inde sitam, quæ lingua Anglorum Grantacestre vocatur: et mox invenerunt iuxta muros civitatis locellum de marmore albo pulcherrime factum,

Her sister Sexburga abbess. *Grantchester.*

operculo quoque similis lapidis aptissime tectum. Unde intelligentes a Domino suum iter esse prosperatum, gratias agentes retulerunt ad monasterium.

Æthel-dritha's body incorruptible.

Cumque corpus sacræ virginis ac sponsæ Christi aperto sepulcro esset prolatum in lucem, ita incorruptum inventum est, ac si eodem die fuisset defuncta sive humo condita; sicut et præfatus antistes Wilfridus et multi alii qui noverunt, testati sunt. Sed certiori notitia medicus Kinefridus, qui et morienti illi et elevatæ de tumulo affuit: qui referre erat solitus, quod illa infirmata habuerit tumorem maximum sub maxilla. "Iusseruntque me," inquit, "incidere tumorem illum, ut efflueret noxius humor qui inerat: quod dum facerem, videbatur illa per biduum aliquanto levius habere; ita ut multi putarent, quia sanari posset a languore. Tertia autem die prioribus aggravata doloribus, et rapta confestim de mundo, dolorem omnem ac mortem perpetua salute ac vita mutavit. Cumque post tot annos elevanda essent ossa de sepulcro, et extento desuper papilione omnis congregatio, hinc fratrum, inde sororum psallens circumstaret, ipsa autem abbatissa intus cum paucis ossa eluitura et delatura intrasset, repente audivimus abbatissam intus voce clara præclamare: 'Sit gloria Nomini Domini.' Nec multo post clamaverunt me, intus reserato ostio papilionis: vidique elevatum de tumulo et positum in lectulo corpus sacræ Deo virginis quasi dormientis simile. Sed et discooperto vultus indumento, monstraverunt mihi vulnus etiam incisuræ quod feceram, curatum; ita ut mirum in modum pro aperto et hiante vulnere cum quo sepulta erat, tenuissima tunc cicatricis vestigia parerent. Sed et linteamina omnia quibus involutum erat corpus, integra apparuerunt, et ita nova, ut ipsa die viderentur castis eius membris esse circundata." Ferunt autem quia cum præfato tumore ac dolore maxillæ sive colli premeretur, multum delectata sit hoc genere infirmitatis, ac solita dicere:

"Scio certissime, quia merito in collo pondus languoris porto, in quo iuvenculam me memini supervacua moniliorum pondera portare: et credo quod ideo me superna pietas dolore colli voluit gravari, ut sic absolvar a reatu supervacuæ levitatis; dum mihi nunc pro auro et margaritis de collo rubor tumoris ardorque promineat." Contigit autem tactu indumentorum eorumdem et dæmonia ab obsessis effugata corporibus, et infirmitates alias aliquotiens esse curatas. Sed et loculum in quo primo sepulta est, nonnullis oculos dolentibus saluti fuisse perhibent; qui cum suum caput eidem loculo apponentes orassent, mox doloris sive caliginis incommodum ab oculis amoverunt. Laverunt igitur virginis corpus, et novis indutum vestibus intulerunt in ecclesia, atque in eo quod allatum est sarcophago posuerunt, ubi usque hodie in magna veneratione habetur. Mirum vero in modum ita aptum corpori virginis sarcophagum inventum est, aç si ei specialiter præparatum fuisset: et locus quoque capitis seorsum fabrefactus ad mensuram capitis illius aptissime figuratus apparuit.

Est autem Ely in provincia Orientalium Anglorum regio familiarum circiter sexcentarum, in similitudinem insulæ, vel paludibus, ut diximus, circumdata, vel aquis: unde et a copia anguillarum quæ in eisdem paludibus capiuntur, nomen accepit. Ubi et monasterium habere desideravit memorata famula Christi, quoniam de provincia eorumdem Orientalium Anglorum ipsa, ut præfati sumus, carnis originem duxerat.

Ely, its site.

Derivation of the name.

Bed. iv. 20. CONTINUATIO. *De hymno*[1] *quæ Beda venerabilis presbyter et monachus in honorem præfatæ virginis Ætheldrithæ composuit.*

Bede's poem on Ætheldritha.

VIDETUR opportunum huic historiæ etiam hymnum[1] virginitatis inserere, quem in laudem ac præconium eiusdem reginæ ac sponsæ Christi Ætheldrithæ, et ideo veraciter reginæ quia sponsæ Christi, venerabilis Beda presbyter et monachus ante annos plurimos elegiaco metro composuit.

Hymnus.

Alma Deus Trinitas, quæ sæcula cuncta gubernas,
  Annue iam cœptis, alma Deus Trinitas.
Bella Maro resonet, nos pacis dona canamus:
  Munera nos Christi, bella Maro resonet.
Carmina casta mihi, fœdæ non raptus Helenæ:
  Luxus erit lubricis, carmina casta mihi.
Dona superna loquar, miseræ non prælia Trojæ,[2]
  Terra quibus gaudet: dona superna loquar.
En Deus altus adit venerandæ virginis alvum;
  Liberet ut homines, en Deus altus adit.
Femina virgo parit mundi devota parentem,
  Porta Maria Dei, femina virgo parit.
Gaudet amica cohors de virgine matre Tonantis:
  Virginitate micans gaudet amica cohors.
Huius honor genuit casto de germine plures,
  Virgineos flores huius honor genuit.
Ignibus usta feris virgo non cessat Agathe,[3]
  Eulalia et perfert ignibus usta feris.
Casta feras superat mentis pro culmine Tecla,
  Euphemia rapidas[4] casta feras superat.

---

[1] *hymno — hymnum*] ympno — ympnum, MS., and so again below.
[2] *Trojæ*] Troge, MS.
[3] *cessat Agathe*] cesset Agathes, MS.
[4] *rapidas*] sacra, Bed. iv. 20.

Læta ridet gladios ferro robustior Agnes,
  Cæcilia infestos læta ridet gladios.
Multus in orbe viget per sobria corda triumphus,
  Sobrietatis amor multus in orbe viget.
Nostra quoque egregia iam tempora virgo beavit:
  Ætheldritha nitet nostra quoque egregia.
Orta patre eximio, regali et stemmate[1] clara:
  Nobilior domino est, orta patre eximio.
Percipit inde decus reginæ et sceptra sub astris:
  Plus super astra manens percipit inde decus.
Quid petis alma virum, Sponso iam dedita summo?
  Sponsus adest Christus, quid petis alma virum?
Regis ut ætherei matrem iam credo sequaris:
  Tu quoque sis mater Regis ut ætherei.
Sponsa dicata Deo bis sex regnaverat annis,
  Inque monasterio sponsa dicata Deo.
Tota sacrata polo celsis ubi floruit actis,
  Reddidit atque animam tota sacrata polo.
Virginis alma caro est tumulata bis octo Novembris,
  Nec putet in tumulo virginis alma caro.
Christe, Tui est operis, quia vestis et ipsa sepulcro
  Inviolata nitet: Christe, Tui est operis.
Hydros et ater abit sacræ pro vestis honore:
  Morbi diffugiunt, hydros et ater abit.
Zelus in hoste furit quondam qui vicerat Evam:
  Virgo triumphat ovans, zelus in hoste furit.
Aspice nupta Deo, quæ sit tibi gloria terris:
  Quæ maneat cœlis, aspice nupta Deo.
Munera læta capis festivis fulgida tædis,
  Ecce venit Sponsus, munera læta capis.
Et nova dulcisono[2] modularis carmina plectro:
  Sponsa[3] hymno exultas et nova dulcisono.
Nullus ab Altithroni comitatu segregat Agni,
  Quam affectu tulerat nullus ab Altithroni.

---

[1] *stemmate*] stemate, MS.
[2] *dulcisono*] ducisono, MS.
[3] *Sponsa*] *Sponso*, MS.

Cap. LIII.

Bed. iv. 21. *Ut Theodorus archiepiscopus inter Egfridum et Ætheldredum reges pacem fecerit.*

A.D. 679. Battle near the Trent between Egfrid and Ætheldred.

Anno regni Egfridi regis Northumbrorum nono, conserto gravi prælio inter ipsum et Ætheldredum regem Merciorum iuxta fluvium Trentus, occisus est Alwinus frater eiusdem Egfridi, iuvenis circiter decem et octo annorum utrique provinciæ multum amabilis. Nam et sororem eius quæ dicebatur Ostritha, rex Ætheldredus habebat uxorem. Cumque materies belli acrioris et inimicitiæ longioris inter reges populosque feroces videretur exorta, Theodorus Deo dilectus antistes, Divino fultus auxilio, salutifera exhortatione cœptum tanti periculi funditus extinguit incendium; adeo ut pacatis alterutrum regibus ac populis, nullius anima hominis pro interfecto regis fratre, sed debita solummodo multa pecuniæ regi ultori daretur. Cuius fœdera pacis multo exinde tempore inter eosdem reges eorumque regna duraverunt.

Arch-bishop Theodore makes peace.

Bed. iv. 22. In præfato autem prælio quo occisus est rex Alwinus, memorabile quoddam factum esse constat, quod nequaquam silentio prætereundum arbitror, sed multorum saluti, si referatur, fore proficuum. Occisus est ibi inter alios de militia eiusdem iuvenis, vocabulo Imma; qui cum die illo et nocte sequenti inter cadavera occisorum similis mortuo iaceret, tandem recepto spiritu revixit, ac residens sua vulnera, prout potuit, ipse alligavit: dein modicum requietus levavit se, et cœpit abire sicubi amicos qui sui curam agerent, posset invenire. Quod dum faceret, inventus est et captus a viris hostilis exercitus, et ad dominum ipsorum, comitem videlicet Æthelredi regis, adductus: a quo interrogatus quis esset, timuit se militem fuisse confiteri; rusticum se

One Imma falls in the fight.

potius et pauperem, atque uxorio vinculo colligatum fuisse respondit; et propter victum militibus afferendum[1] in expeditionem se cum suis similibus venisse testatus est. At ille suscipiens eum, curam vulneribus egit; et ubi sanescere[2] cœpit, noctu eum, ne aufugeret, vinciri præcepit. Nec tamen vinciri potuit: nam mox ut abire cœperunt qui vinxerant,[3] eadem sunt eius vincula soluta.

He is bound; but his bonds are presently loosened.

Habebat enim germanum fratrem cui nomen erat Tunna, presbyterum et abbatem monasterii in civitate quæ hactenus ab eius nomine Tunnacester cognominatur: qui cum[4] eum in pugna peremptum audiret, venit quærere si forte corpus eius invenire posset, inventumque alium illi per omnia simillimum,[5] putavit ipsum esse: quem ad monasterium suum deferens, honorifice sepelivit, et pro absolutione animæ eius sæpius missas facere curavit. Quarum celebratione factum est quod dixi, ut nullus eum posset vincire, quin continuo solveretur. Interea comes qui eum tenebat, mirari et interrogare cœpit quare ligari non posset, an forte litteras solutorias, de qualibus fabulæ ferunt, apud se haberet, propter quas ligari non posset. At ille respondit, "nihil se talium artium nosse; sed habeo fratrem," inquit, "presbyterum in mea provincia, et scio quia ille me interfectum putans, pro me missas crebras facit: et si nunc in alia vita essem, ibi anima mea per intercessiones eius solveretur a pœnis." Dumque aliquanto tempore apud comitem teneretur, animadverterunt qui eum diligentius considerabant, ex vultu et habitu et sermonibus eius, quia non erat de paupere vulgo, ut dixerat, sed de nobilibus. Tum secreto advocans eum comes, interrogavit intentius

His deliverance owing to masses offered for him by his brother Tunna.

[1] *afferendum*] auferendum, MS.
[2] *sanescere*] sanascere, MS.
[3] *vinxerant*] vincierant, MS.; vinxerant, Bed. iv. 22.
[4] *cum*] om. MS. See Bede.
[5] *simillimum*] similimum, MS.

unde esset, promittens se nihil ei mali facturum pro eo, si simpliciter sibi quis fuisset, proderet. Quod dum ille faceret, ministrum se regis fuisse manifestans, respondit: "Et ego per singula tua responsa cognoveram quia rusticus non eras, et nunc dignus quidem es morte, quia omnes fratres et cognati mei in illa sunt pugna interempti; nec te tamen occidam, ne fidem mei promissi prævaricem."

He is sold as a slave.

Ut ergo convaluit, vendidit eum Londoniæ Freso cuidam; sed nec ab illo cum[1] illuc duceretur ullatenus[2] potuit alligari. Verum cum alia atque alia vinculorum genera hostes imponerent, cumque vidisset qui emerat, vinculis eum non posse cohiberi, donavit ei facultatem sese redimendi si posset. A tertia autem hora, quando missæ fieri solebant, sæpissime vincula solvebantur. At ille [dato][3] iureiurando ut rediret vel pecuniam illi pro se mitteret, venit Kantiam ad regem Hlotherum, qui erat filius sororis Ætheldrithæ reginæ, de qua supra dictum est, quia et ipse quondam eiusdem reginæ minister fuerat: petiitque et accepit ab eo pretium suæ redemptionis, ac suo domino pro se, ut promiserat, misit.

He returns to his country.

Qui post hæc patriam reversus atque ad suum fratrem perveniens, replicavit ex ordine cuncta quæ sibi adversa, quæve in adversis solacia provenissent: cognovitque referente eo, illis maxime temporibus sua fuisse vincula soluta, quibus pro se missarum fuerant celebrata solemnia. Sed et alia quæ periclitanti ei commoda contigissent et prospera, per intercessionem fraternam et oblationem hostiæ salutaris cœlitus sibi fuisse donata intellexit. Multique hæc a præfato viro audientes accensi sunt in fide ac devotione pietatis ad orandum, vel ad eleemosynas faciendas, vel ad offerendas Deo

---

[1] *cum*] nec, MS.; cum, Bed.
[2] *ullatenus*] nullatenus, MS.
[3] *dato*] om. MS.

victimas sacræ oblationis pro ereptione suorum qui de sæculo migraverunt: intellexerunt enim quia sacrificium salutare ad redemptionem valeret et animæ et corporis sempiternam.

Hanc autem historiam ad futurorum notitiam huic operi dignum duxi inserendam.

CONTINUATIO. *Quod Egfridus rex Northumbrorum gentem Hiberniæ afflixit, et de morte ipsius Egfridi.* Bed. iv. 26.

ANNO Dominicæ incarnationis sexcentesimo octogesimo quarto, Egfridus rex Northumbrorum misso Hiberniam cum exercitu duce Bertho, vastavit misere gentem innoxiam et nationi Anglorum semper amicissimam; ita ut ne ecclesiis quidem aut monasteriis manus parceret hostilis. At insulani, et quantum valuerunt armis arma repellebant, et invocantes Divinæ auxilium pietatis cœlitus se vindicari continuis diu inprecationibus postulabant. Et quamvis maledici regnum Dei possidere non possint, creditum est tamen quod hi qui merito impietatis suæ maledicebantur, ocius Domino vindice pœnas sui reatus luerent. Siquidem anno post hunc proximo idem rex, cum temere exercitum duceret ad vastandam Pictorum provinciam, multum prohibentibus amicis et maxime beatæ memoriæ Cuthberto qui nuper fuerat ordinatus episcopus, introductus est, simulantibus[1] fugam hostibus, in angustias inaccessorum montium, et cum maxima parte copiarum quas secum adduxerat extinctus, anno ætatis suæ quadragesimo, regni autem quinto decimo, die quartadecima[2] kalendarum Juniarum. Et quidem, ut

A.D. 684. Egfrid sends an army into Ireland.

A.D. 685.

Death of Egfrid, Anno æt. 40, regni 15; May 19.

[1] *simulantibus*] similantibus, MS.

[2] *quartadecima*] tertiadecima, Bed. iv. 26.

dixi, prohibuerunt amici ne hoc bellum iniret; sed quoniam anno præcedente noluerat audire reverentissimum patrem Egbertum, ne Scotiam nil se lædentem impugnaret, datum est illi ex pœna peccati illius, ne nunc eos qui ipsum ab interitu revocare cupiebant audiret.

Decline of the Angli.

Ex quo tempore spes cœpit et virtus regni Anglorum fluere ac retro sublapsa referri. Nam et Picti terram possessionis suæ, quam tenuerunt Angli et Scotti qui erant in Britannia, Britonum quoque pars libertatem receperunt. Successit autem Egfrido in regnum Northumbrorum Alfridus, vir in Scriptura doctissimus, qui frater eius et filius Oswi regis esse dicebatur: destructumque regni statum, quamvis infra fines angustiores, nobiliter recuperavit.

Alfrid king of Northumbria.

Bed. iv. 27. A.D. 685. Cuthbert bishop of Lindisfarne.

Ipso etiam anno quo finem vitæ accepit rex Egfridus episcopum fecerat ordinari Lindisfarnensium[1] ecclesiæ virum sanctum et venerabilem Cuthbertum, qui in insula permodica quæ appellatur Farne, et ab eadem ecclesia novem ferme milibus passuum in oceano procul abest, vitam solitariam per annos plures in magna corporis et mentis continentia duxerat. Qui quidem a prima ætate pueritiæ studio religiosæ vitæ semper ardebat; sed ab ineunte adolescentia monachicum et nomen assumpsit et habitum.

Will. Malm. i. 13, pp. 21, 22. Cf. Bed. iv. 26.

CONTINUATIO. *De morte Hlotheri Cantuariorum regis.*

A.D. 685. Death of Hlother, king of Kent.

EODEM anno, qui est ab incarnatione Dominica sexcentesimus octogesimus quintus, Hlotherus Cantuariorum rex, cum post Egbertum fratrem suum qui novem annis regnaverat, ipse duodecim annis regnasset,

---

[1] *Lindisfarnensium*] Lindisfarnencium, MS.

mortuus erat octavo idus Februarii. Iste Hlotherus alite mala regnum ingressus fuit. Quippe per undecim annos infestante Edrico filio Egberti frequenter et varia sorte civilibus bellis, novissime vulneratus est in pugna Australium Saxonum, quos contra eum præfatus Edricus aggregaverat, et inter medendum defunctus ipso vulnere. Sunt qui non tacent fratres ambos cita morte merito crudelitatis absumptos, quod Egbertus filios patrui innocentes occiderit, Hlotherus martyres propalatos irriserit, quamvis prior et factum ingemuerit, et matri fratruelium partem insulæ Tanatos ad ædificandum monasterium concesserit. Nec Edricus successu tyrannidis longum gloriatus est, sed citra biennium regno et vita spoliatus, patriam lacerandam hostibus exposuit. Nam regnum illud per aliquod temporis spatium reges dubii vel externi disperdiderunt; donec legitimus rex Whitredus, id est, filius Egberti, confortatus in regno, religione simul et industria gentem suam ab extranea invasione liberaret. Continuo enim quidam Cedwalla cum fratre Mollone, alias sane bonus et efficax, digladiabile odium in Cantuaritas spirans, quantis potuit conatibus provinciam invasit olim diuturna pace feriatam; sed tunc intestino bello dissidentem impune sibi cessuram arbitratus. Sed non ita ut sperabat inparatos aut animi vacuos provinciales offendit. Siquidem post multa incommoda vicatim et oppidatim accepta, tandem animati ad manus veniunt, congressuque superiores Cedwallam in terga vertunt, fratreque eius Mollone prædicto[1] in quoddam tugurium compulso, domunculam ipsam succendunt. Ita Mollo, dum erumpendi in hostem deesset audacia, et totis citra tectum [habenis][2] regnarent incendia, inter flammas halitum ructavit. Non tamen Cedwalla destitit, aut a

Feb. 6.

Will. Malmsb. i. 14, p. 22.

Death of Edric.

Bed. l. c.

Whitred, son of Egbert.

Will. Malmsb. l. c.

Cedwalla and his brother Mollo invade Kent.

Mollo is burnt to death.

---

[1] *fratre .. Mollone prædicto*] fratrem .. Mollonem prædictum, MS.

[2] *habenis*] om. MS.

provincia pedem retulit, quin dolorem suum crebris accolarum dispendiis sarciret, reique ultionem in successorem Inam transfunderet, sicut suo loco dicetur. In tam desperatis rebus Kantiæ provincia sexennio circiter a regia successione claudicabat. Septimo demum anno Wihredus filius Egberti, cuius supra meminimus, cum apud suos invidiam pressisset industria et apud hostes pacem locasset pecunia, magna spe civium allectus in regem, voti compotes fecit.

Will. Malmsb. i. 15. p. 23.

Wihred, son of Egbert, king of Kent.

Cap. LIV.

Bed. v. 7.

Ut Cedwalla, rex Occidentalium Saxonum, baptizandus Romam venerit, sed et successor eius eadem apostolorum limina beatorum devotus adierit: et de Ine rege.

[A.D.688.] Cedwalla, king of Essex, goes to Rome to be baptized.

Anno autem regni Alhfridi tertio, Cedwalla rex Occidentalium Saxonum, cum genti suæ duobus annis strenuissime præesset, relicto imperio propter Dominum regnumque perpetuum, venit Romam, hoc sibi gloriæ singularis desiderans adipisci, ut ad limina beatorum apostolorum fonte baptismatis ablueretur, in quo solo didicerat generi humano patere vitæ cœlestis introitum: simul etiam sperans quia mox baptizatus, carne solutus ad æterna gaudia iam mundus transiret: quod utrumque ut mente disposuerat, Domino iuvante completum est. Etenim illo perveniens, pontificatum agente papa Sergio, baptizatus est die sancto sabbati Paschalis, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo octogesimo nono: et in albis adhuc positus, languore correptus, duodecimo kalendarum Maiarum die solutus a carne, et beatorum est regno sociatus in cœlis. Cui etiam tempore baptismatis papa memoratus Petri no-

He is baptized, April 10, A.D. 689. His death, April 20.

men imposuerat, ut apostolorum principi, ad cuius sacratissimum corpus a finibus terræ pio ductus amore venerat, etiam nominis ipsius consortio iungeretur: qui in eiusdem apostolorum principis ecclesia Romæ sepultus est. Inter hæc arduum[1] memoratu est, quantum etiam ante baptismum Cedwalla inservierit pietati, ut omnes manubias, quas iure prædatorio in suos usus transcripserat, Deo decimaret. In quo etsi approbamus exemplum[2], iuxta illud:[3] "Qui offert sacrificium de substantia pauperis quasi qui immolat filium in conspectu patris." Jubente autem papa apostolico in eiusdem Cedwallæ monumento epitaphium[4] est conscriptum, in quo et memoria devotionis ipsius fixa per sæcula maneret, et legentes quosque vel audientes exemplum facti ad studium religionis accenderet. Scriptum est ergo hoc modo: Will. Malm. i. 34, p. 47.

His epitaph.

Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos,
  Exuvias, proceres, mœnia, castra, lares,
Quæque patrum virtus, et quæ congesserat ipse
  Cedwalla armipotens, liquit amore Dei,
Ut Petrum sedemque Petri rex cerneret hospes,
  Cuius fonte meras sumeret almus aquas,
Splendificumque iubar radianti carperet haustu,
  Ex quo vivificus fulgor ubique fluit.
Percipiensque alacer redivivæ præmia vitæ,
  Barbaricam rabiem, nomen et inde suum
Conversus convertit ovans: Petrumque vocari
  Sergius antistes iussit, ut ipse pater
Fonte renascentis, quem Christi gratia purgans
  Protinus albatum[5] vexit in arce poli.
Mira fides regis! clementia maxima Christi,
  Cuius consilium nullus adire potest!

[1] *arduum*] arduam, MS.
[2] *approbamus exemplum*] approbamus effectum, improbamus exemplum, W. Malm.
[3] Ecclus. xxxiv. 24.
[4] *epitaphium*] epithapium, MS.
[5] *albatum*] ablatum, MS.; albatum, Fabretti, (Antiq. Inscr. 463.)

Sospes enim veniens supremo ex orbe Britanni,
  Per varias gentes, per freta, perque vias,
Urbem Romuleam vidit, templumque verendum
  Aspexit Petri mystica dona gerens.
Candidus inter oves Christi sociabilis ibit:
  Corpore nam tumulum, mente superna tenet.
Commutasse magis sceptrorum insignia credas,
  Quem regnum Christi promeruisse vides.

Hic depositus est Cedwalla, qui et Petrus, rex Saxonum, sub die duodecimo kalendarum Maiarum, indictione secunda; qui vixit annos [plus][1] minus triginta, imperante domino Justiniano piissimo Augusto, anno consulatus eius quarto, pontificante apostolico viro domno Sergio papa anno secundo.

Apr. 20.

CONTINUATIO. *Quod Ine, vir de regali stirpe, Cedwallæ successit in regnum Occidentalium Saxonum.*

A.D. 688. Ine, king of Wessex. Will. Malmsb. i. 35, p. 47, seq.

ABEUNTE autem Romam Cedwalla, successit in regnum Occidentalium Saxonum vir bonus de stirpe regia, nomine Ine, qui Cinegilsi ex fratre Cuthbaldo pronepos magis pro insitivæ virtutis industria, quam successivæ sobolis prosapia, in principatum ascitur, fortitudinis unicum specimen, prudentiæ simulacrum, religione parem nescias. Quibus artibus vitam componens, domi gratiam, foris reverentiam mercabatur, in tantum quod annis duobus de quadraginta potestate functus, sine ullo insidiarum metu securus incanuit, sanctissimus publici amoris lenocinator. Prima illi in Cantuaritas expeditio, in quos nondum de incendio Mollonis fratris Cedwallæ ira defremuerat. Provinciales paulisper resis-

His invasion of Kent.

[1] *plus*] om. MS. See Bede, v. 7.

tere ausi, mox omnibus temptatis et viribus iuvenum effusis, cum nihil Inæ regis quod ignaviæ conduceret reperissent, dispendiorum suorum intuitu deditioni consuluere. Temptant regium animum muneribus, sollicitant promissis. Mercantur pacem triginta milibus auri mancis, ut pretio mollitus bellum solveret,[1] metallo præstrictus receptui caneret. Qua ille pecunia suscepta, delicti gratiam fecit in regnum reversus. Nec solum Cantuaritæ, sed et Orientales Angli hereditarium exceperunt odium, omni nobilitate primo pulsa, post etiam bello fusa. Hæc de præliorum eius successu dicta modum agnoscant suum. Ceterum quantus in Dei rebus fuerit, indicio sunt leges ad corrigendos mores in populum latæ, in quibus vivum ad hoc tempus puritatis suæ resultat speculum: indicio sunt monasteria regiis sumptibus nobiliter excitata, præcipue Glastoniense, nostris quoque diebus insigne; quod in quodam palustri recessu construxit, ut scilicet eo tenacius supernis monachi inhiarent, quo castigatius terrena oculis haurirent. Denique et privilegium, quod pro libertate monasteriorum suorum ab apostolico papa Sergio Aldelmus impetraverat, libens confirmavit, et multa Dei famulis ipsius Aldelmi hortatu contulit; et ad extremum episcopatu renitentem honoravit, licet cita mors episcopatu ipsum Aldelmum infra breve temporis spatium privaverit. Vix enim annis quattuor episcopatu functus animam cœlo turificavit. Fuerunt qui dicerent eum fuisse regis Inæ nepotem ex Kentenio fratre: sed non placuit nobis hoc pro vero asserere, quod magis videtur opinioni blandiri volaticæ, quam stabilitati convenire historicæ; præsertim cum nusquam ab antiquo scriptum reperiatur, et chronica palam pronuntiet Inam regem nullum fratrem habuisse præter Inigildum, qui paucis annis ante ipsum Inam decessit. Non eget Aldelmus ut mendaciis asse-

His laws.

Glastonbury abbey built by him.

MSS. A. L. G. &c. Will. Malmesb. p. 48 seq. ed. Hardy.

Bishop Aldelm.

Death of Aldelm. [A.D. 709.]

---

[1] *solveret*] solveretur, MS.

Sisters of Ina, Cuthburga and Quenburga.

ratur: tanta sunt de illo quæ indubiam depromant fidem, tot sunt quæ non veniant in litem. Habuit sane Ina rex sorores Cuthburgam et Quenburgam. Cuthburga Alfrido regi Northumbrorum nuptum tradita, sed non post multum coniugio diducto, primo apud Berkingum sub abbatissa Hildelida, mox ipsa magistra regulæ Winbourniæ Deo placitam vitam transegit. Vicus est modo ignobilis, tunc temporis insignis, in quo frequens virginum chorus terrenis desideriis castratis superos suspirabant amores. Accessit sacri cœlibatus studio librorum Aldelmi de virginitate lectio, Berkingensium quidem nomini dedicata, sed omnibus eandem professionem anhelantibus[1] valitura. Habuit et uxorem Ethelburgam, feminam sane regii generis et animi. Quæ dum crebro viri instillaret auribus, ut mundanis rebus vel extremis annis valefacerent, et ille hortantem de die in diem differret, astu tandem illa vincere parat. Cum enim quadam vice apud villam ingenti tumultu regales luxus explicuissent, post triduum cum discessissent, vilicus ex reginæ conscientia palatium quanta potuit deformitate, tam fimo pecudum, quam aggere ruderum infamat: postremo in lecto ubi rex et regina cubuerant, porcam noviter enixam collocat. Interea, cum iam plus miliario processum esset, illa maritum uxoriis delinimentis[2] aggreditur, rogans ut unde[3] abierant necessario pedem referant; magni discriminis rem fore, si non exaudiat. Re non difficulter impetrata, rex videns locum pridie Sardanapallicis deliciis parem, nunc fœda solitudine deformem, miratur; tacitoque iudicio oculi rem examinantes ad mulierem redierunt. Tunc illa, occasione aucupata lætumque subridens, "Et ubi sunt," ait, "domine coniux, hesterni strepitus? ubi aulæa Sidoniis sucis ebria? ubi parasitorum discurrens petu-

His wife Ethelburga.

[1] *anhelantibus*] hanelantibus, MS.
[2] *delinimentis*] delinamentis, MS.
[3] *unde*] inde, MS.

lantia? ubi dædala vasa pondere metallorum mensas ipsas onerantia? ubi terra marique exquisita ad gulæ lenocinium obsonia? Nonne omnia fumus et ventus? Et væ his qui hæserint, quia simul transibunt! Nonne omnia sicut fluvius præceps et currens in mare? Et væ his qui hæserint, quia simul trahentur! Cogita, quæso, quam miserabiliter defluent carnes, quæ modo in deliciis nutriuntur! Nonne nos qui ingurgitamur uberius, putrescemus miserius? Potentes potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior insistet[1] cruciatio." Nec plura locuta, maritum compulit in sententiam exemplo, quam multis annis frustra insusurraverat verbo. Nam post triumphales bellorum manubias, post multarum virtutum gradus, summum culmen perfectionis meditatus, cum triginta et septem annis imperium Occidentalium Saxonum tenuisset, ipse relicto imperio ac iunioribus commendato, ad limina apostolorum Petri et Pauli Gregorio pontificatum tenente profectus est, cupiens in vicinia sanctorum locorum ad tempus peregrinari in terris, quo familiarius a sanctis recipi mereretur in cœlis. Ibi ne pompam suæ conversionis faceret, non publicis vultibus expositus crinem deposuit; sed et ut solius Dei oculis placeret, amictu plebeio tectus clam consenuit. Nec deerat tanti dux femina facti,[2] quæ cum antea virum ad hoc audendum[3] incitasset, tunc mærentem verbis lenire, labentem exemplis erigere, prorsus quod ad salutem spectaret nihil dimittere. In mutua caritate connexi, temporibus suis viam hominum ingressi sunt, non sine magnis, ut accepimus, miraculis, quibus Divina dignatio felicium coniugum sæpe respondit meritis. Successit in regnum Occidentalium Saxonum Ethelardus Inæ consanguineus, sicut inferius patebit.

Ina is induced by his queen to abdicate, and go to Rome.

Will. Malmesb. i. 37, p. 54.

A.D. 725.

Bed. v. 7.

Will. Malmesb. l. c.

Will. Malmesb. i. 38, p. 55.

Ethelard succeeds Ina.

---

[1] *insistet*] insistat, MS.
[2] Virg. Æn. i. 364.
[3] *audendum*] audiendum, MS.

Cap. LV.

De morte Alfridi regis Northumbrorum.

Bed. v. 18. Death of Alfrid, king of Northumbria, A.D. 705. regni 20. His son Osred reigns 11 years. Will. Malmesb. i. 52, p. 79. Alfrid called to the throne from exile in Ireland.

Anno Dominicæ incarnationis septingentesimo quinto Alfridus rex Northumbrorum defunctus est, anno regni sui vicesimo necdum completo. Cui succedens in imperium filius suus Osredus, puer circiter octo annorum, regnavit undecim annis. Iste Alfridus, cum Egfridi fratris[1] sui necem insignior ubique fama loqueretur, etiam ad ipsius Alfridi aures anxia præcipiti pervenerat epistola penna,[2] quia nothus erat factione optimatum quamvis senior regno indignus existimatus, in Hiberniam seu vi seu indignatione secesserat.[3] Ibi et odio germani tutus et magno otio litteris imbutus, omni philosophia composuerat animum. Quocirca imperii habenis habiliorem æstimantes, qui quondam expulerant ultro expetiverunt; necessitas medelam ad preces refudit. Nec eos ille sua spe frustratus est: nam per decem et per novem annos summa pace et gaudio provinciæ præfuit, nihil unquam præter in persecutione magni Wilfridi, quod livor edax digne carpere posset, admittens. Non tamen isdem terminis quibus pater et frater regnum tenuit, pro eo quod Picti recenti victoria insolenter abusi, Anglosque longa pace ignaviores aggressi, fines eorum ab Aquilone decurtaverant.

---

[1] *fratris*] second hand.
[2] Juvenal. Sat. iv. 149.
[3] *secesserat*] secessarat, MS.

CAP. LVI.

De vita vel obitu Ethelredi regis Merciorum.

ETHELREDUS rex Merciorum, sicut superius diximus, animi religione quam pugnandi exercitatione celebrior fuerat. Denique una et ipsa illustri expeditione in Kantiam contentus ostendisse virtutem, reliqua vita otio inserviit; nisi quod regem Northumbrorum Egfridum metas regni transilientem pugna adortus, domum redire admonuerit, Elswino fratre cæso, sicut prædictum est. Post hæc regni anno tricesimo in Bardeneia monasterio regulariter attonsus, primo in monachum, mox in abbatem alteratus est. Hic est qui contemporaneus Inæ regis Westsaxonum, privilegium quod sanctus Aldelmus, ut prædiximus, attulit a Roma, sua quoque autoritate roboravit. Regis Northumbrorum Egfridi Estgidam sororem habuit uxorem, ex qua filium Ceolredum suscepit.

Will. Malmesb. i. 77, pp. 110, 111. Ethelred, king of Mercia. He retires in the 30th year of his reign to Bardeney Abbey. His son Ceolred.

CONTINUATIO. *Quod Kenredus Ethelredo successit in regnum Merciorum.*

Will. Malmesb. i. 78, p. 111.

FACTO monacho Merciorum rege Ethelredo, successit in regnum eiusdem Kenredus filius fratris Wlferi regis, qui ante Ethelredum regnavit. Iste Kenredus regno Merciorum nobilissime tempore aliquanto præfuerat; qui pietate in Deum, probitate in patriam perinsignis, magna morum sinceritate[1] vitam cucurrit; quintoque regni anno Romam pergens regni sceptra reliquit;

Kenred, son of Wlfer, succeeds Ethelred. [A.D. 704.] He becomes a monk at Rome. [A.D. 709.] Bed. v. 19.

[1] *sinceritate*] scinceritate, MS.

ibique Romæ attonsus, pontificatum agente Constantino, ac monachus factus, ad limina apostolorum in precibus, ieiuniis, et eleemosynis usque ad diem permansit ultimum, succedente in regnum Celredo filio Ethelredi, qui ante ipsum Kenredum idem regnum tenebat. Præfatus vero rex Kenredus miserando exitu cuiusdam militis maxime fuerat conpunctus, de quo venerabilis Beda in Ecclesiastica Historia Anglorum, libro quinto, capitulo decimo tertio, ita refert.

Celred succeeds.

Will. Malmesb. l. c.

Quotation from Bed. H. E. v. 13.

Devils appear to a dying soldier, and show him the record of his sins.

Fuit temporibus Kenredi, qui post Ethelredum regnavit, vir in laico habitu atque officio militari positus; sed quantum pro industria exteriori regi placens, tantum pro interna suimet negligentia displicens. Admonebat ergo illum sedulo ut confiteretur et emendaret ac relinqueret scelera sua, priusquam subito mortis superventu tempus omne pænitendi et emendandi perderet. Verum ille, frequenter licet admonitus, spernebat verba salutis, seseque tempore sequente pænitentiam acturum esse promittebat. Hæc inter tactus infirmitate, decidit in lectum, atque acri cœpit dolore torqueri. Ad quem ingressus rex, diligebat enim eum multum, hortabatur ut vel tunc antequam moreretur, pænitentiam ageret commissorum. At ille respondit, non se tunc velle confiteri peccata sua, sed cum ab infirmitate resurgeret; ne exprobrarent sibi sodales, quod timore mortis faceret ea quæ sospes facere noluerat; fortiter quidem, ut sibi videbatur, locutus, sed miserabiliter, ut post patuit, dæmonica fraude seductus.

Cumque morbo ingravescente denuo ad eum visitandum ac docendum rex intraret, clamabat statim miserabili voce: "Quid vis modo? Quid huc venisti? Non enim aliquid utilitatis aut salutis potes ultra conferre." At ille: "Noli," inquit, "ita loqui; vide ut sanum sapias." "Non," inquit, "insanio, sed pessimam mihi conscientiam certus præ oculis habeo." "Et quid," inquit, "hoc est?" "Paulo ante," inquit, "in-

traverunt domum hanc duo pulcherrimi iuvenes, et residerunt iuxta me, unus ad caput, et unus ad pedes; protulitque unus libellum perpulcrum, sed vehementer modicum, ac mihi ad legendum dedit; in quo omnia quæ unquam bona feceram intuens scripta repperi, et hæc erant nimium pauca et modica. Receperunt codicem, neque aliquid mihi dicebant. Tum supervenit exercitus malignorum et horridorum vultu spirituum, domumque hanc et exterius obsedit et intus maxima ex parte residens implevit. Tum ille qui et obscuritate tenebrosæ faciei et primatu sedis maior esse videbatur eorum, proferens codicem horrendæ visionis et magnitudinis enormis et ponderis pæne importabilis, iussit uni ex satellitibus suis mihi ad legendum deferre. Quem cum legissem, invenio omnia scelera, non solum quæ opere vel verbo, sed etiam quæ tenuissima cogitatione peccavi, manifestissime in eo tetricis esse descripta litteris. Dicebatque ad illos qui mihi assederant viros albatos et præclaros: 'Quid hic sedetis, scientes certissime quia noster est iste?' Responderunt: 'Verum dicitis: accipite, et in cumulum damnationis vestræ ducite.' Quo dicto, statim disparuerunt: surgentesque duo nequissimi spiritus, habentes in manibus furcas, percusserunt me, unus in capite, et alius in pede: qui videlicet modo cum magno tormento irrepunt viscera et interiora corporis mei, moxque ut ad se invicem perveniunt, moriar, et paratis ad rapiendum me dæmonibus, in inferni claustra pertrahar."

Sic loquebatur miser desperans, et non multo post defunctus pænitentiam quam breve ad tempus cum fructu veniæ facere supersedit, in æternum sine fructu pœnis subditus facit. De quo constat quia, sicut beatus papa Gregorius de quibusdam scribit, non pro se ista cui non profuerunt, sed pro aliis viderit, qui eius interitum cognoscentes, differre tempus pænitentiæ, dum vacat, timerent, ne inproviso mortis articulo præventi inpænitentes perirent. Quod autem codices di-

versos per bonos sive malos spiritus sibi vidit offerri, ob id superna dispensatione factum est, ut meminerimus facta et cogitationes nostras non in ventum diffluere,[1] sed ad examen summi iudicis cuncta servari; et sive per amicos angelos in fine nobis ostendenda, sive per hostes. Quod vero prius candidum codicem protulerunt angeli, deinde atrum dæmones; illi perparvum, isti enormem: animadvertendum est quod in prima ætate bona aliqua fecit, quæ tamen universa prave agendo iuvenis obnubilavit. Qui si e contrario errores pueritiæ corrigere in adolescentia, ac bene faciendo a Dei oculis abscondere curasset, posset eorum numero sociari, de quibus ait Psalmista:[2] "Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata." Hanc historiam, ob salutem legentium sive audientium huic operi inserendam dignam esse putavi.

CONTINUATIO. *De vita et obitu Offæ regis Orientalium Saxonum.*

Offa restores and endows St. Peter's, Westminster.

OFFA rex Orientalium Saxonum, filius Sigheri regis, pia ductus devotione regalem ecclesiam beati Petri Westmonasteriensis, quæ a tempore Saberti regis primi eiusdem ecclesiæ fundatoris, sicut supra meminimus, usque ad tempora dicti Offæ regis neglegentius est habita, opere ampliavit, et e proximo duas, et in villa Blekencham quinque adiecit terrarum carrucas. Disposuerat enim ibidem monachorum congregationem constituere. Sed ad confessionem Petri eiusdem Romam adiens cum supradicto rege Kenredo, ibi in ea Anglicam

Founds the English school at Rome.

[1] *diffluere*] defluere, MS.

[2] Ps. xxx. 1.

scholam,[1] quæ usque hodie celebris ibidem habetur, statuens, cum esset iuvenis amantissimæ ætatis et venustatis, totæque suæ genti ad tenenda servandaque regni sceptra exoptatissimus, instinctu Divino inspiratus reliquit uxorem, agros, cognatos et patriam propter Christum et propter evangelium, ut in hac vita centuplum acciperet, et in sæculo venturo vitam æternam. Purpura regali deposita attonsus et monachus factus et in habitu monachali vitam complens, ac in Christi servitio fideliter perseverans, migrans e sæculo in cuculla, ad visionem beatorum apostolorum in cœlis diu desideratam pervenit.

Bed. v. 19; Flor. Vigorn. p. 540 A. [A.D. 708], and Append. p. 637 B.

Cap. LVII.

De obitu regis Withredi Cantuariorum.

Withredus Cantuariorum rex, filius Egberti cuius supra meminimus, cum apud suos, sicut prædiximus, invidiam pressisset industria, et apud hostes pacem locasset pecunia, magna spe civium allectus in regem voti compotes fecit. Domi enim civilis et bello invictus, Christianam religionem sanctissime coluit, potestatem amplissime porrexit, et ut nihil felicitati deesset, post triginta tres annos longævus, quod beatissimum mortales putant, superstitibus eiusdem heredibus liberis tribus, fato functus est. Quorum Edbertus viginti tribus, Ethelbertus undecim, Alricus triginta quattuor annis paterna terentes instituta, haud decolore exitu regnum continuaverunt. Nisi quod Ethelbertus fortuito urbis incendio et Alricus infausto

Withred, king of Kent. Will. Malmesb. i. 15, p. 23.

His death, anno regni 33.

His sons Edbert, Ethelbert, and Alric.

[1] The foundation of this school is dubiously (ut fertur) ascribed to Offa of Mercia by Will. Malm. p. 153.

adversus Mercios prælio gloriam temporum suorum non parum obnubilaverunt. Ita siquid accidit probri, non tacetur; siquod prosperi, parum chronicis notatur: sive quod consulto factum est, sive quod naturæ vitio comparatum est, quod cum sit bonorum brevis gratia, 'æternum, quæ nocuere, dolent.'[1] Post illos nobile germen regum exaruit, generosus sanguis effriguit. Tunc impudentissimus quisque, cui vel lingua divitias vel factio terrorem comparaverat, ad tyrannidem anhelare; tunc regio insigni indigni abuti. Quorum cum Ethelbertus idemque Pren, cum biennio Cantuaritis imperitaret, in Mercios maiora viribus conatus et ab eisdem captus, vinculis manus, corpus captivitati præbuit. Nec multo post ab hostibus laxatus, sed a suis non receptus, dubium quo fine defecit. Deinde eiusdem calamitatis et factionis heres Cuthredus octo annis solo scilicet nomine regnavit. Hinc regiæ dignitatis abortivum Baldredus postquam Kantiam duodeviginti annis obsedit, ab Egbrihto rege Westsaxonum prælio pulsus in exilium concessit. Ita regnum Kantiæ, quod ab anno incarnationis Domini quadringentesimo quadragesimo quarto steterat annis trecentis septuaginta quinque, potestati Westsaxonum accessit.

Ethelbert is taken prisoner by the Mercians. Cuthred nominal king of Kent for 8 years. Baldred his successor for 18 years. Kent merged in the kingdom of the West Saxons, A.D. 819 [al. A.D. 824].

CONTINUATIO. *De morte Osredi regis Northumbrorum.*

Will. Malmesb. i. 53, p. 80.

Osred, king of Northumbria, slain in battle, anno regni 11.

OSREDUS, rex Northumbrorum, qui annis undecim dictum regnum inumbrans turpemque vitam sanctimonialium stupris exagitans, tandem cognatorum insidiis cæsus eandem fortunam in ipsos[2] refudit. Nam Osredus iuxta mare pugnans belli infortunio interemptus

---

[1] Auson. *Cæsares.* xii. 4.

[2] *ipsos*] ipsis, MS.

est. Cui succedens Kenredus duobus annis regnavit; et Osricus undecim annis Kenredo succedens in Northumbria regnavit. Isti scilicet Kenredus et Osricus hoc tantum memorabile habuerunt, quod domini sui, licet merito, ut putabant, occisi, sanguinem luentes fœdo exitu auras polluerunt. Meruit sane quo lætior abiret Osricus, "multumque," ut gentilis[1] ait, "aliis iactantior umbris," quod Cewlfum Kenredi fratrem vivens sibi successorem adoptaverat.

Kenred reigns 2 years, and Osric 11.

Osric adopts Cewlf.

CONTINUATIO. *De Celredo rege Merciorum.*

KENREDO Merciorum rege Romæ, sicut præfati sumus, attonso ac monacho facto, Celredus filius Ethelredi, qui ante ipsum Kenredum regnaverat, successit in regnum Merciorum. Qui Celredus, sicut virtute contra Inam mirabilis, ita immatura morte miserabilis, rex autem Occidentalium Saxonum Ine contra præfatum Celredum ducens exercitum, apud Wodenesburiam invicem pugnaverunt, quorum victoria in dubio remansit. Celredus vero non ultra octo annos regno satisfaciens Lichefeld conditus est, relicto Ethelbaldo herede, pronepote Pendæ ex Alwio fratre.

Will. Malmesb. i. 79, p. 111.

Celred 8 years king of Mercia.

Matth. Westm. p. 263; Rog. Wend. p. 211. Will. Malmesb. l. c.

CAP. LVIII.

De Ethelbaldo rege Merciorum.

DEFUNCTO rege Merciorum Celredo, successit ei in Mercia Ethelbaldus[2] vir fortis et potens, pronepos

Ethelbald (or Ethelwold), king of Mercia.

---

[1] Lætus abi multumque aliis iactantior umbris.
Stat. *Theb.* ix. 559.

[2] *Ethelbaldus*] Ethelwoldus, MS.

Will. Malmesb. i. 79, p. 112.
Reigns 41 years, and is murdered by Beornred.

Pendæ regis ex Alwio fratre. Hic victoriosissime et alta pace tempore multo, id est quadraginta et uno annis, rerum perfunctus et novissime a subiectis occisus fortunæ rotam volvit. Auctor necis eius Beornredus nihil memorandum dedit, nisi quod ab Offa necatus dignum finem insidiarum tulit. Huic Ethelbaldo[1] Bonifacius archiepiscopus Mogontiacensis[2] natione Anglus, qui postea martyrio coronatus est, misit epistolam, cuius hic partem subdam, ut videatur quam libere arguat vitia in gente Anglorum inolevisse, quæ Alcwinus timebat ventura esse. Simul et erit documentum ingens in ostensis mortibus quorundam regum, quam districte Deus reos puniat, quos diu librata ira expectat.

Exemplum epistolæ.

Letter of rebuke from Boniface to Ethelbald. Will. Malmesb. i. 80, p. 112, seq.

DOMINO carissimo et in Christi amore præ ceteris regibus Anglorum Ethelbaldo Bonifacius archiepiscopus, legatus Germanicus Romanæ ecclesiæ, perpetuam in Christo caritatis salutem. Confitemur coram Deo, quia quando prosperitatem vestram et fidem et bona opera audivimus, lætamur: quando autem aliquid adversum vel in eventu bellorum, vel de periculo animarum de vobis cognoscimus, tristamur. Audivimus enim quod eleemosynis intentus furta et rapinas prohibes, et pacem diligis et defensor viduarum et pauperum es, et inde Deo gratias agimus. Quod vero legitimum matrimonium spernis, si pro castitate faceres, esset laudabile:

Incontinence.

sed quia in luxuria et adulterio etiam cum sanctimonialibus volutaris, est vituperabile et damnabile.

[1] *Ethelbaldo*] Ethalwaldo, MS.

[2] *Mogontiacensis*] Magotiatensis, MS.

Nam et famam gloriæ vestræ coram Deo et hominibus confundit, et inter idolatras constituit, quia templum Dei violasti. Quapropter, fili carissime, pœnite et memorare quam turpe sit, ut tu qui multis gentibus dono Dei dominaris, ad iniuriam eius sis libidinis servus. Audivimus præterea quod optimates pæne omnes gentis Merciorum tuo exemplo legitimas uxores deserant, et adulteras et sanctimoniales constuprent. Quod quam sit peregrinum ab honestate, doceat vos alienæ gentis institutio. Nam in antiqua Saxonia, ubi nulla est Christi cognitio, si virgo in paterna domo, vel maritata sub coniuge fuerit adulterata, manu propria strangulatam cremant, et supra fossam sepultæ corruptorem suspendunt, aut cingulo tenus vestibus abscisis flagellant eam castæ matronæ et cultellis pungunt, et de villa in villam missæ occurrunt novæ flagellatrices, donec interimant. Insuper et Winedi, quod est fœdissimum genus hominum, hunc habent morem, ut mulier viro suo mortuo se in rogo cremati pariter arsura[1] præcipitet. Si ergo gentiles Deum ignorantes tantum zelum castimoniæ habeant, quid[2] tibi convenit, fili carissime, qui Christianus rex es? Parce ergo animæ tuæ, parce multitudini populi tuo pereuntis exemplo, de quorum animabus redditurus es rationem. Attende et illud, quod si gens Anglorum, sicut in Francia et Italia et ab ipsis paganis nobis improperatur, spretis legitimis matrimoniis per adulteria defluit, nascitura ex tali commixtione sit gens ignava et Dei contemptrix, quæque perditis moribus patriam pessundet, sicut Burgundionibus et Provincialibus et Hispanis contigit, quos Saraceni multis annis infestarunt propter peccata præterita. Præterea nuntiatum est nobis quod multa privilegia ecclesiarum et monasteriorum auferens ad audendum duces tuo provoces

Infringement of privileges of abbeys.

[1] *arsura*] asura, MS. [2] *quid*] quod, MS.

exemplo. Sed recogita, quæso, quam terribilem vindictam Deus in anteriores reges exercuit eius [culpæ][1] conscios quam in te arguimus. Nam Celredum prædecessorem tuum stupratorem sanctimonialium et ecclesiasticorum privilegiorum fractorem splendide cum suis comitibus epulantem spiritus malignus arripuit, et sine confessione et viatico cum diabolo sermocinanti et legem Dei detestanti animam extorsit. Osredum quoque, regem Deirorum et Berniciorum earundem culparum reum[2] ita effrenem egit, ut regnum et iuvenilem ætatem contemptibili morte amitteret. Carolus quoque princeps Francorum monasteriorum multorum eversor et ecclesiasticarum pecuniarum in suos usus commutator, longa tortione et verenda morte consumptus est."

Et infra:

Will. Malmesb. i. 81, p. 114, seq. "Quapropter, fili carissime, paternis et subnixis precibus deprecamur, ut non despicias consilium patrum tuorum, qui pro Dei amore celsitudinem tuam appellare satagunt. Nihil enim bono regi salubrius quam si talia commissa cum arguuntur libenter emendentur, quia per Salomonem[3] dicitur: 'Qui diligit disciplinam, diligit sapientiam.' Ideo, fili carissime, ostendentes consilium iustum contestamur et obsecramus per viventem Deum et per Filium eius Jesum Christum et per Spiritum Sanctum, ut recorderis quam fugitiva sit vita præsens, et quam brevis et momentanea delectatio spurcæ carnis, et quam ignominiosum sit ut brevis vitæ homo mala exempla in perpetuum posteris relinquat. Incipe ergo melioribus moribus vitam componere et præteritos errores iuventutis corrigere, ut hic coram hominibus laudem habeas et in futuro æterna gloria gaudeas. Valere celsitudinem tuam et in bonis moribus proficere optamus."

---

[1] *culpæ*] om. MS.
[2] *reum*] rerum, MS.
[3] Prov. xii. 1.

Misit etiam idem Bonifacius Cuthberto archiepiscopo eiusdem tenoris epistolam, hoc adiciens, ut clericos et sanctimoniales de tenuitate et pompa vestium argueret. Præterea ne miraretur quod alienum negotium ageret, cum sua nihil interesset quomodo et quibus moribus Anglorum gens viveret, sciret se a Gregorio papa tertio sacramento astrictum ne conterminarum gentium mores apostolicæ notitiæ subtraheret. Quapropter blandis ammonitionibus non succedentibus, acturum se, ne huiusmodi vitia papam laterent.

Will. Malmesb. i. 82, p. 115. Boniface writes to Cuthbert against the rich attire of monks and clergy. Authority given to Boniface by Greg. III.

Sane de tenuitate[1] vestium clericalium Alcwinus Athelardum archiepiscopum successorem Cuthberti oblique castigat, monens ut cum Romam vadens Carolum Magnum imperatorem, nepotem Caroli de quo superius Bonifacius locutus est, visitaret, non adduceret clericos vel monachos versicoloribus et pompaticis vestibus indutos, quod non solerent Francorum clerici nisi religiosis vestibus amiciri.

Alcuin contrasts the simple attire of the Frank clergy with the splendour of the English.

Nec inanes esse potuerunt tanti viri epistolæ, quas ille legationis suæ,[2] compatriotarum amoris intuitu vigilatis sensibus emittebat. Namque et Cuthbertus archiepiscopus et rex Ethelbaldus concilium[3] coegerunt, emendaturi superflua quæ ille increpasset. Cuius synodi actionem prætereo, quia regum res in manu habemus. Qua de re scriptum, regis Ethelbaldi devotionis index, quod in eodem concilio[3] factum est, subnectam.

Will. Malmesb. i. 83, p. 116. Council for reformation of manners.

"Ethelbaldus Dei gratia rex Merciorum cunctis Christicolis tam præsentibus quam futuris salutem. Plerumque, carissimi, contingere solet pro incerta temporum vicissitudine, ut ea quæ multarum fidelium personarum testimonio consilioque roborata fuerint, per contumaciam plurimorum et machinamenta simula-

Ethelbald's charter. Kemble, Codex Diplom. Ævi Saxon. i. p 119. Will. Malmesb. i. 84, p. 116, seq.

---

[1] *tenuitate*] te imitate, MS.
[2] *suæ*] suæ et, Will. Malm.
[3] *concilium, concilio*] consilium, consilio, MS.

tionis sine ulla consideratione rationis periculose dissipentur, nisi autoritate litterarum et testimonio chirographorum æternæ memoriæ inserta sint. Quapropter ego Ethelbaldus, Dei clementia rex Merciorum, pro amore cœlestis patriæ et remedio animæ meæ studendum esse prævidi, ut eam, scilicet animam meam, per bona opera liberam efficerem ab omni vinculo delictorum. Dum enim mihi omnipotens Deus per misericordiam clementiæ suæ absque ullo antecedente merito sceptra regiminis largitus est, ideo libenter ei ex eo quod dedit retribuo. Huius rei gratia donationem me vivente concedo, ut omnia monasteria et ecclesiæ regni mei a publicis vectigalibus et operibus et oneribus absolvantur, nisi instructionibus arcium vel pontium, quæ nunquam ulli relaxari possunt. Præterea habeant famuli propriam libertatem in fructibus silvarum et agrorum et in captura piscium, nec munuscula præbeant regi vel principibus nisi voluntaria; sed liberi Deo serviant." Et cetera.

Exemption of churches and monasteries from taxes, &c.

Rights of hunting and fishing.

Conquests of Ethelbald.

Hen. Hunt. iv. p. 725, E.

Ethelbaldus vero rex Merciorum exercitu congregato castellum de Somerton obsidione vallavit. Et cum non esset qui inclusis ferret auxilium, dictus rex castellum in ius suum recepit. Qui deinceps super omnes provincias Angliæ usque ad flumen Humbriæ omnibus sibi regibus Anglorum subiectis regnavit. Tandem præfatus rex Merciorum Ethelbaldus apud Sigewold occiditur a Beornredo tyranno, et apud Rependon tumulatur.

His death.

Higden, Polychr. A.D. 755, p. 250.

Will. Malmesb. i. 86, p. 118.

Offa, king of Mercia.

Successit Ethelbaldo Offa quinto genu Pendæ abnepos, vir ingentis animi, et qui omnia quæ mente concepit efficere proposuit.

Cap. LIX.

De Æthellardo rege Westsaxonum.

Will. Malmesb. i. 38. p. 55.

Ine Occidentalium Saxonum rex Romam, sicut præmisimus, peregre pro Christi amore profectus reliquit

principatum Occidentalium Saxonum Æthelardo consanguineo suo, licet ipsius Æthellardi surgentes primitias frequenter interpolaret Oswaldus regii[1] sanguinis adolescens. Provincialibus enim in rebellionem excitatis[2] bello regem persequi conatus est, contra quem idem it[3] Athelardus rex pugnans. Cum dictus iuvenis Oswaldus se viribus regis imparem cognovisset, per fugam elapsus est. At vero non multo post illo iuvene Oswaldo fatali sorte sublato, Æthelardus per quatuordecim annos quietissime regnum prædictum retinuit. Tandem prædicto Æthelardo Occidentalium Saxonum rege defuncto, frater eius Cuthredus pro eo quindecim annis regnavit.

Æthelard 14 years [A.D. 726-740] king of the West Saxons. Matth. Westm. p. 266.

His brother Cuthred succeeds to the throne.

CONTINUATIO. *De Ceolwlfo rege Northumbrorum.*

OSRICO Northumbrorum regi successit Ceolwlfus ab Ida primo Northumbrensium rege septimus, et idoneus ad cetera et cui non deerat litterarum peritia acri animo et alacri studio comparata. Cui venerabilis Beda potissimum Anglorum Historiam elimandam optulit: eligens nimirum[4] in illo auctoritatem bene dicta roborandi propter imperium et scientiam, perperam vero dicta emendandi[5] propter ingenium. Cuius anno quarto idem venerabilis Beda historicus post multos in sancta ecclesia libros elaboratos cœlestem patriam, quam diu suspiraverat, ingressus est, anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo tricesimo quarto, ætatis vero suæ anno sexagesimo primo.[6]

Ceolwlf, king of Northumbria. A.D. 730. Will. Malmesb. i. 53, p. 80. Patron of Bede.

Will. Malmesb. § 54.

Death of Bede, A.D. 734, ætat. 61.

[1] *regii*] regie, MS.
[2] *excitatis*] exitatis, MS.
[3] *it*] ait, MS.
[4] *nimirum*] ne mirum, MS.
[5] *emendandi*] emendanda, MS.
[6] *primo*] Will. Malm. has lix. incorrectly.

Will. Malmesb. i. 64, p. 92. Ceolwlf abdicates, anno regni 8. Becomes a monk at Lindisfarne. Miracles at his tomb. Will. Malmesb. i. 65, p. 92. His successor Egbert. Pedigree of Ceolwlf. Hen. Hunt. iv. p. 727, B. Chron. Sax. an. 731. Hen. Hunt. 725, E.

Prædictus vero Northumbrorum rex Ceolwlfus nobilissimus, citra gravitatem Christianam æstimans terrenis negotiis immorari, post octo regni sui annos sceptrum relinquens in Lindisfarnensi ecclesia monachus attonsus est. Quo in loco quanta meritorum gratia conversatus sit, testatur celebris iuxta beatum Cuthbertum sepultura et multa miracula ad laudem Domini nostri Jesu Christi ipso in loco meritis ipsius regis sæpissime patrata. Et ne vacillaret Northumbrensium respublica, providebat ante religionis ingressum successorem idoneum ad sceptra regni tenenda, substituto in regnum Egberto patrui sui filio. Fuit autem Ceolwlfus filius Cutha, qui fuit Cuthwin, qui fuit Leothewold, qui fuit Egwald, qui fuit Aldelm, qui fuit Oga, qui fuit Ida. Hic rex Ceolwlfus vere beatus et litterarum scientia sufficienter institutus quantum sibi in vita profuerit, finis eius evidenter ostendit.

CONTINUATIO. *De morte Selredi regis Orientalium Saxonum, et de successione Swithredi qui extitit ultimus rex illius provinciæ.*

Selred, 38 years king of the East Saxons. Will. Malmesb. i. 98, p. 139. Swithred, last king of the East Saxons, defeated by Egbright of Wessex. London remains subject to Mercia.

OFFA rege Orientalium Saxonum Romæ monacho facto, successit ei in regnum prædictum Selredus Sigeberti boni filius triginta octo annis. Quo perempto suscepit regnum Orientalium Saxonum rex Swithredus, qui eodem anno quo Egbrighitus rex Westsaxonum Cantuaritas debellavit, ab eodem Egbrighto expulsus regnum vacuefecit. Londonia tamen cum circumiacentibus regionibus Merciorum regibus quamdiu ipsi imperitaverunt paruit.

CAP. LX.

De regibus Orientalium Anglorum Æthelwoldo, Ældulpho, Elcwoldo, Beorna et Ethelredo.

IN TERFECTO autem, sicut præmisimus, Æthelredo rege Orientalium Anglorum, successit ei in regnum, sicut superius dictum est, Æthelwoldus frater eius, qui tandem regnum eiusdem prædicti Ethelredi filiis Ældulpho et Elcwoldo reliquit. His successit Beorna rex. Huic successit Ethelredus. Huius Ethelredi fuit filius sanctus Ethelbertus rex et martyr, quem rex Offa Merciorum dolose interemit, sicut suo loco inferius dicetur.

Kings of East Anglia. Æthelwold, Ældulph, Elcwold, Beorna, Ethelred. Will. Malmesb. i. 97, p. 135.

CONTINUATIO. *De morte Cuthredi regis Occidentalium Saxonum.*

HATHELLARDO [rege][1] Occidentalium Saxonum defuncto, regnavit pro eo frater eius Cuthredus quindecim annis. Hic vero Cuthredus adversus Ethelbaldum regem Merciorum et Britones iugi exercitio victorias adipiscens non minimum sudoris consumpsit. Nam Cuthredus prædictus, cum regis Merciorum Ethelbaldi superbas exactiones et insolentias ferre non posset, occurrit ei hostiliter apud Beoreforde, ubi prælium gravissimum dicti reges commiserunt. Ethelbaldus vero, præcedente Ethelmo cum vexillo eius, in quo erat aureus draco depictus, acriter ruit in hostes. Sed vexillifer regis Cuthredi in hostilem vexilliferum lanceam dirigens perforavit eum. Unde clamore elato

Cuthred succeeds Athelard as king of the East Saxons. Will. Malmesb. i. 40, p. 56. His combat with Ethelbald of Mercia at Beoreforde. Matth. Westm. A.D. 752, p. 273, Cf.

[1] *rege*] om. MS.

Hen. Hunt. iv. p. 728, C. pars Cuthredi regis valde confortata[1] est. Tonitruum ergo belli et sonitus ictuum clamoresque hinc inde cadentium terribiliter personarunt. Spes enim mutuo victoriæ certa, [memoria][2] fugæ nulla. Sed Deus tandem, qui superbis resistit et humilibus dat gratiam, Ethelbaldum in fugam compulit, et læta Cuthredo victoria provenit. Cuthredus vero rex potentissimus plurimis prosperitatibus et victoriis potitus mortis inclementia vitam finivit. Cui successit in regnum Occidentalium Saxonum Sigebertus cognatus eius.

Matth. Westm. A.D. 756, p. 274, Cf. Hen. Hunt. iv. A.D. 754, p. 729, B.

CONTINUATIO. *De Sigeberto rege Occidentalium Saxonum.*

Cuthred's successor, Sigebert.

Will. Malmesb. i. 41, p. 56. Matth. Westm. A.D. 756, p. 274, Cf. Hen. Hunt. A.D. 754, 755, p. 729, C.

CUTHREDO rege Occidentalium Saxonum viam universæ carnis ingresso, arripuit regnum Sigebertus cognatus Cuthredi, vir apud suos sævitia immanis, idemque ignavia perinfamis. Sed brevi tempore illud tenuit. Nam ex prædecessoris sui eventibus insolens et tumefactus, etiam suis domesticis intolerabilis fuit. Cum autem modis omnibus male tractaret eos, legesque antecessorum suorum propter commodum suum vel depravaret vel mutaret, Cumbra consul nobilissimus regi totius populi querimonias intimavit. Quem quia regem suasit ut lenius populum sibi commissum regeret, et inhumanitate deposita Deo et hominibus amabilis appareret, mox rex impia nece illum iussit occidi, populoque postmodum sævior existens tyrannidem augmentavit. Quo facto convenerunt proceres regni cum populo universo, et provida omnium deliberatione expulsus est a regno, et Kinewlfus iuvenis de stirpe

Deposed.

---

[1] *confortata*] conforta, MS.

[2] *memoria*] om. MS. See Matth. Westm.

regali electus est et in regem promotus. Sigebertus vero rex depositus in silvam quæ Andredeweald dicitur fugiens se abscondit, ubi Ansuan porcarius Cumbræ consulis nequiter, ut diximus, interfecti, regem absconditum apud Priveresflode invenit et in vindictam domini sui peremit. Murdered.

CONTINUATIO. *De Edberto rege Northumbrorum.*

CELWLFUS rex Northumbrorum attonsus et factus monachus in ecclesia Lindisfarnensi substituit in regnum Northumbrorum Egbertum patrui sui filium. Quod ille acceptum bonorum terens orbitas viginti annis egregio moderamine coercuit.[1] Habuitque idem Egbertus rex fratrem æquivocum Eboraci archiepiscopum, qui et sua prudentia et germani potentia sedem illam in genuinum[2] statum reformavit. Namque Paulinus, eiusdem civitatis Eboracensis primus antistes, vi hostilitatis loco pulsus et apud Rofecestram diem obiens, ibidem illud insigne pallii, quod ab Honorio papa susceperat, reliquit. Plures post eum tantæ civitatis præsules simplici episcopatus nomine contenti nihil altius anhelaverant. At vero Egbertus inthronizatus, animosioris ingenii homo, cogitans quod, sicut superbum est si appetas indebita, ita ignavum si debita negligas, pallium multa throni apostolici appellatione reparavit. Hic omnium liberalium artium armarium, ut[3] ita dicam, et sacrarium fuit, nobilissimamque bibliothecam Eboraci constituit. Egbertus itaque rex, Egberti fratris sui Eboracensis archiepiscopi in religione æmulus

Edbert, (or Egbert), 20 years king of Northumbria. Will. Malmesb. i. 65, p. 92. His brother Egbert, archbishop of York.

Founds a library at York. Will. Malmesb. i. 72, p. 104.

[1] *coercuit*] cohercuit, MS.
[2] *in genuinum*] in ingeminum, MS. See Will. Malm.
[3] *ut*] et ut, MS.

Egbert resigns the crown to his son Osulf. Matth. Westm. A.D. 757, p. 274. Osulf is murdered, Jul. 24, anno regni 1. Hen. Hunt. A.D. 757, p. 730, A. Ethelwold Mol succeeds Osulf.

comamque tonsus, Osulfo filio suo regnum reliquit Northumbrorum. Quod Osulfus uno anno tenens amisit; occisus est enim nequiter a propria gente nono kalendas Augusti. Egbertus vero rex habitum et tonsuram monachi suscepit. Iste Egbertus rex est octavus ex[1] regibus Anglorum, qui pro regno temporali commutaverunt æternum, ut octo beatitudinum iocunditatem, quæ voluntariæ paupertati debetur, pro futuro haberent in cœlis. Osulfo quoque regi Northumbrorum successit Ethelwoldus cognomento Mol sex annis.

CAP. LXI.

De Offa rege Merciorum.

Beornred, a tyrant, succeeds Ethelbald, king of Mercia. Matth. Westm. A.D. 758, p. 275. He is dethroned, and Offa elected in his stead. Pedigree of Offa. Woden and Frea. Asser. de

ETHELBALDO Merciorum rege interfecto, successit ei quidam tyrannus nomine Beornredus. Cuius insolentiis gens Merciorum excitata, contra ipsum Beornredum regem suum una conspiratione insurrexit, pro eo quod populum non æquis legibus, sed per tyrannidem gubernaret. Convenerunt namque in unum omnes tam nobiles quam ignobiles, et Offa duce adolescente strenuissimo ipsum a regno expulerunt. Quo facto unanimi omnium consensu prædictum Offam in regem tam clerus quam populus coronari fecerunt. Erat enim Offa de stirpe regum oriundus, filius videlicet Thinferth, qui fuit Eadulf, qui [fuit][2] Osulf, qui fuit Eoppa, qui fuit Wibbe, qui fuit Creodde, qui fuit Kinewold, qui fuit Cnebbe, qui fuit Ichel, qui fuit Eomet, qui fuit Angelthean, qui fuit Offe, qui fuit Waremond, qui fuit Withleig, qui fuit Wagon, qui fuit Frethegeat, qui fuit Oden. Isti dedicaverunt an-

---

[1] *ex*] est, MS.; ex, Matth. Westm. [2] *fuit*] om. MS.

tiqui quartam feriam, quæ Wodenasday appellatur: cuius uxor Frea fuit, cui dedicaverunt antiqui sextam feriam, quæ Friday nuncupatur.—Woden vero filius fuit Frethewold, qui fuit Freolaf, qui fuit Frithewlf, qui fuit Godwlf, qui fuit Geata. Hunc dudum pagani pro deo venerabantur; cuius Sedulius poeta eximius in Paschali Carmine[1] mentionem faciens ita exorsus est: reb. Ælfr. p. 468, A. seq.; Sim. Dunelm. A.D. 849, p. 674, B. Geta mentioned by Sedulius.

> Cum sua gentiles studeant figmenta poetæ
> Grandisonis pompare modis tragicoque boatu,
> Ridiculove Getæ, seu qualibet arte canendi,
>
> et cetera.

Geata autem fuit filius Cethwa, qui fuit Beaw, qui fuit Seldwa, qui fuit Heremod, qui fuit Itermod, qui fuit Hathra, qui fuit Wala, qui fuit Bedwi, qui fuit Seem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Matusale, qui fuit Enoch, qui fuit Malaleel, qui fuit Caman, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, quem plasmavit Deus de limo terræ.

Offa igitur rex Merciorum omnibus Angliæ regibus terrori erat necnon et timori. Huius gesta cum considero, animus hæret in dubio utrum probem an reprobem. Ita in uno eodemque homine modo virtutibus se vitia palliabant, modo virtutes vitiis succedebant, ut ambigeres "quo teneres nodo mutantem Protea vultus." Vicit namque in prælio regem Cantuariensem, regem Occidentalium Saxonum, regem Northumbrorum, regem Australium Saxonum, regem Orientalium Anglorum; et sicut inferius dicetur prolixius, ceteris regibus subiugatis vel tributariis effectis, Merciorum regnum non mediocriter dilatavit. Idemque cum magis sibi dolo æstimaret successurum, Ethelbertum regem Orientalium Anglorum, magnarum promissionum lenociniis ad [se][2] accitum et intra pa- Offa's successes. Will. Malmesb. i. 86, p. 118. Hor. Ep. i. 1, 90. Matth. Westm. l. c. Will. Malmesb. l. c.

[1] Lib. i. vv. 1–3.

[2] *se*] om. MS.

Murders Ethelbert, king of the East Angles.

latium suum fraudulenter assentationibus delinitum inopinate fecit interimi, regnumque Orientalium Anglorum, quod ille tenuit, indebite[1] pervasit, sicut suo loco inferius liquido patebit.

CONTINUATIO. *Quod Offa rex Merciorum apud Lichefeld novum archiepiscopum constituerit.*

Matth. Westm. A.D. 765, p. 276. Will. Malmesb. i. 87, pp. 118, 119. Offa's attempt to establish an archbishopric at Lichfield. His embassy to pope Adrian.

OFFA rex Merciorum potentissimus, idemque in Deum pertinax, contractis inimicitiis cum Cantuaritis sedem archiepiscopatus olim Cantuariæ fundatam in Lichefeldam transferre conatus est, regnum Merciorum archiepiscopatu insignire affectans. Quapropter Lambrithum archiepiscopum, multis sudoribus fatigatum crebraque sedis apostolicæ et nova et vetera edicta proferentem, tandem omnium prædiorum quæ intra terminos suos erant [et episcopatuum dicione][2] privavit. Misit igitur ad papam Adrianum nuntios, exigens ab eo ut pallio Ealdulphum Lichefeldensem episcopum contra morem veterum insigniret, atque omnes regni sui episcopos ei subiugaret. Nam verisimilibus apostolicum Adrianum argumentis diu fatigaverat: sicut pro variis occupationibus de facili Romani pontifices trahuntur ad consensum, optinuit quod petebat, ut videlicet omnes provinciæ Merciorum subicerentur episcopo supradicto. Quorum nomina hæc fuerunt. Denebertus Wigorniensis episcopus, Werenbertus Legecestrensis, Eadulfus Sidnacestrensis, Wlfeardus Herefordensis; episcopi Orientalium Anglorum, Alheardus Helmanmensis et Tidifurthus Dunmucensis. Remanserunt autem archiepiscopus Cantuariensis, episcopus Londoniensis, Wintoniensis, Roffensis, Selesiensis qui et Schire

Names and sees of bishops.

---

[1] *indebite*] indelate, MS.

[2] *et episcopatuum dicione*] om. MS. See Will. Malm.

bournensis. Horum episcopatuum quidam adhuc manent, quidam alias translati, quidam venali ambitu aliis uniti. Nam Legecestrensis, Sidnacestrensis, et Dunmucensis, incertum quo eventu, hodie non extant. Stetit autem hæc regis Offæ violentia totis Lambrithi archiepiscopi præsulatus temporibus, quamvis idem archiepiscopus nihil vel sumptibus vel laboribus omisisset, quo [non][1] amitteret pristinam dignitatem.

Matth. Westm. p. 277.

Item aliæ continuationes de Offa rege Merciorum.

Matth. Westm. p. 277. A.D. 771. Offa subdues the East Angles.

ANNO Domini septingentesimo septuagesimo primo Offa rex Merciorum Est Anglorum gentem armis subegit. Pugnavit etiam contra Kentenses apud Ottamforde. Sed tandem horrenda clade hinc inde peracta, belli tamen successibus Offa elatus refulsit et cum triumpho recessit.

Matth. Westm. p. 278. A.D. 773.

CONTINUATIO. *De confœderatione inter Karolum et Offam regem Merciorum facta.*

Matth. Westm. p. 278. A.D. 775. Offa seeks the friendship of Charlemagne.

OFFA rex Merciorum undique vicinos reges amicos sibi concilians,[2] ne hostes ei forent extranei, qui in regibus propinquis tot patravit offensas, Karolum Magnum regem Francorum frequentibus exenniis amicum facere curavit. Inimici autem antea erant ad invicem, ita ut in alterutris regnis etiam negotiatorum commoratus prohiberetur. Sed ex litteris Karoli Magni Francorum regis inter eum et Offam regem firmum

---

[1] *non*] om. MS.

[2] *concilians*] consilians, MS.

amicitiæ fœdus fuisse compactum ostenditur evidenter. Quarum litterarum tenor talis est:

Charlemagne's letter to Offa. Will. Malmesb. i. 93, pp. 128, 129. Matth. Westm. l. c., and again p. 290.

Free passage for pilgrims.

Tolls for traders.

"Karolus, Dei gratia rex Francorum et Longobardorum et patricius Romanorum, viro venerando et fratri carissimo Offæ regi Merciorum salutem. Primo gratias agimus omnipotenti Deo de catholicæ fidei sinceritate,[1] quam in vestris paginis repperimus laudabiliter exaratam.[2] De peregrinis vero, qui pro amore Dei et salute animarum suarum beatorum apostolorum limina adire desiderant, cum pace sine omni perturbatione vadant. Sed si aliqui non religioni servientes sed lucra sectantes inveniantur inter eos, locis opportunis statuta solvant thelonea. Negotiatores quoque volumus ut ex mandato nostro patrocinium habeant in regno nostro legitime: et si in aliquo loco iniusta affligantur oppressione, reclament se ad nos vel nostros iudices, et plenam inde iubebimus iustitiam fieri.

Sends palls and dalmatics to the English bishops, requesting them to pray for the soul of pope Adrian.

Cognoscat quoque dilectio [vestra][3] quod aliquam benignitatem de dalmaticis nostris vel palliis ad singulas sedes episcopales regni vestri vel regni regis Ethelredi dereximus in eleemosynam domini papæ Adriani, deprecantes ut pro eo intercedi iubeatis, nullam habentes dubitationem beatam illius animam in requie esse, sed ut fidem et dilectionem ostendamus in amicum nobis carissimum. Sed et de thesauro humanarum rerum, quem Dominus Jesus nobis gratuita pietate concessit, aliquid per metropolitanos civitatis direximus.

Presents to king Offa.

Vestræ quoque dilectioni unum baltheum et unum gladium Huniscum et duo pallia serica direximus destinanda. Valete."

Rog. Wend. i. p. 243; Matth. Westm. A.D. 779, p. 279; Hen. Hunt.

CONTINUATIO.

OFFA rex Merciorum pugnavit contra Kinewlfum regem Occidentalium Saxonum in obsidione castri de Bensin-

---

[1] *sinceritate*] scinceritate, MS.

[2] *exaratam*] exoratam, MS.

[3] *vestra*] om. MS.

tona. Sed Kinewlfus Martis casu minoratus loco per fugam recessit; sed inimicus Offa castrum in [iura][1] sua recepit.

A.D. 777. p. 730, E. Offa defeats Kinewlf at Bensinton.

Istius Offæ regis temporibus misit Adrianus papa legatos in Angliam ad fidem quam Augustinus prædicaverat renovandam. Ipsi vero a regibus cum clero et populo honorifice suscepti, super stabile fidei fundamentum pulcre ædificaverunt Christi gratia cooperante. Tenuerunt autem concilium apud Chalchuthe, ubi Lambertus archiepiscopus Cantuariensis partem sui episcopatus archiepiscopo Lichefeldensi resignavit.

Adrian sends legates to England. Matth. Westm. A.D. 789, p. 281; Hen. Hunt. A.D. 785, p. 731, C.; Vita Offæ, p. 25; Rog. Wend. i. p. 246, A.D. 788. Council of Chalchuthe. Lambert, abp. Cant., surrenders part of his jurisdiction.

CONTINUATIO. *Quod Offa rex Merciorum Egfridum filium suum primogenitum fecit in regem coronari.*

IN præfato vero concilio[2] Offa rex Merciorum potentissimus in regem fecit sollemniter coronari Egfridum filium suum primogenitum, qui deinceps cum patre iuvenis piissimus et animo nobilissimus usque ad finem vitæ eius regnavit. Ista vero coronatio facta fuit anno Domini septingentesimo octogesimo nono.

Vita Offæ, p. 26. Matth. Westm. l. c. Coronation of Egfrid, son of Offa. A.D. 789.

CONTINUATIO. *De inventione Sancti Albani.*

ANNO Domini septingentesimo nonagesimo quarto Offa Merciorum rex potentissimus, cum in urbe Bathonia residens post diei laborem noctis quietem in stratu regio caperet, angelo nuntiante divino est admonitus

Matth. Westm. p. 284. A.D. 794. Rog. Wend. i. p. 251.

[1] *iura*] om. MS. and Rog. Wend. See Hen. Hunt.

[2] *concilio*] consilio, MS.; and so above.

Vita Offæ, p. 26. Invention of St. Alban. Offa's vision.

oraculo[1] ut sanctum Dei Anglorum sive Britonum protomartyrem Albanum de terra levaret et reliquias eius in scrinio dignius collocaret. Rex vero Offa divinis ilico studens optemperare præceptis, accito Humberto Merciorum archiepiscopo, cuius sedes apud Lichefeld nuper ab eodem rege fuerat constituta, divinam ei voluntatem indicat de præmissis. Tunc archiepiscopus memoratus, assumptis continuo secum Ceolwlfo Lindeseiensi et Unwona Legecestrensi episcopis suis suffraganeis, cum innumera utriusque sexus et diversæ ætatis multitudine regi die sibi statuta apud Verolamium occurrerunt. Rex vero, dum illuc iter expediret, lucis radium in modum ingentis faculæ cœlitus emissum super locum sepulcri quasi fulminare conspexit. Hoc quoque divino ab omnibus miraculo conspicato, tali indicio extiterunt de visionis veritate certiores effecti. Tunc populo in ieiuniis, eleemosynis, et orationibus sanctificato, antistites sacri sacerdotalibus adornati infulis affore sibi beati martyris auxilium flagitabant. Fuerat namque locus et memoria martyris post adventum sancti Germani Antisiodorensis episcopi, qui cum beato Lupo Trecasinæ urbis episcopo ad extirpandam hæresim Pelagianam in Britanniam venerant, annis circiter trecentis quadraginta quattuor omnino deleta. Siquidem gens pagana Saxonum, Jutorum et Anglorum Britonibus expulsis Britanniam subiugaverant, ut superius constat prolixius exaratum: mox agros depopulantes, ignem in civitates et oppida accumulantes, sacras ecclesias solo tenus complanantes, sacerdotes detruncantes, cunctam pæne superficiem insulæ a mari usque ad mare inmisericorditer deleverunt. Hac itaque tempestate ecclesia beati Anglorum protomartyris Albani, quam

Bed. H. E. i. 7.

Beda in Anglorum Historia post passionem eiusdem martyris miro tabulatu lapideo scripsit esse constructam, inter ceteras regionis ecclesias funditus est

---

[1] *oraculo*] orculo, MS.

subversa. Unde et sepulcrum eius, quod in adventu sancti Germani et ante a passione martyris usque ad illius patriæ desolationem omnibus notum, et propter miraculorum frequentiam ab omnibus fuerat adoratum, tempore quo Offæ regi angelico extitit ministerio revelatum erat incognitum universis. Facta igitur, ut diximus, oratione a clero et populo cum eleemosyna et ieiunio, terram percutiunt et passim martyris sepulturam offendunt. Nec fuit necesse locum diu quærere, quem divina clementia dignata est cœlesti lumine revelare. Martyris igitur corpus, astante Offa rege strenuissimo, in theca lignea, in qua prius a Christi fidelibus propter barbarorum sævitiam fuerat tempore discriminis occultatum, reperiunt cum ipsis sacris omnium apostolorum diversorumque martyrum reliquiis, quas sanctus ibi dudum deposuerat Germanus. Movit hæc inventio tam clerum quam populum universum ad lacrimas et ob hoc maxime quod fidem fecit dictis sanctorum patrum de reliquiis simul cum corpore repertis, quas legimus ad solacium martyris eius sacro corpori fuisse coniunctas. Quid ergo? thesaurum diu sub cæspite absconditum archiepiscopus cum episcopis suis de sepulcro levantes cum timore sancto, præcedente sollemni processione, in hymnis et laudum præconiis transtulerunt in quandam ecclesiolam olim extra urbem Verolamium in honorem beati martyris consecratam, ubi in locello ex auro et argento simul et lapidibus pretiosis fabrefacto pia patris pignora reponuntur. Quo in loco usque in hodiernum diem divina non desinunt celebrari miracula; sed multis cernentibus surdis ibi restituitur auditus, claudis gressus, cæcis visus, et omnibus cum fiducia beati martyris auxilium implorantibus a Deo mentis et corporis impertitur desiderata salus. Acta autem sunt hæc a passione eiusdem martyris anno quingentesimo septimo, ab adventu Anglorum in Britanniam anno trecentesimo quadragesimo quarto, indictione prima, kalendis Augusti. Aug. 1.

CONTINUATIO. *Ut rex Offa Romam pergens pratum peregrinis* [1] *emerit.*

Vita Offæ, p. 28; Rog. Wend. i. p. 254; Matth. West. p. 286.

Council of Verulam.

HIS ita gestis convocat rex ibidem provinciale concilium,[2] et cum archiepiscopo Humberto suisque suffraganeis et primatibus universis, cum quibus tractat de conventu monachorum in loco illo congregando atque cœnobio privilegiando, ubi Albani protomartyris regni sui reliquias invenit. Placet omnibus regis propositum eiusque episcoporum cœtus laudat affectum. Insuper tam archiepiscopus memoratus, quam ceteri episcopi præsentes dant ei consilium, ut auctoritate Romani pontificis canonizetur beatus martyr, simul etiam et priviligietur monasterium in honorem martyris noviter construendum. Et hæc omnia ut digniorem sortiantur effectum, consulitur ut per legatos a latere regis destinatos aut in propria persona rex ipse super his cum curia tractet Romana. Rex vero suorum adquiescens consilio laboriosum arripuit iter, ut sicut beatus Albanus protomartyr refulsit Anglorum, ita monasterium eius omnibus regni cœnobiis possessionibus simul et libertatibus præferretur. Igitur rex mare ingressus ad portum in Flandria desideratum applicuit, veniensque ad quoddam oppidum Monasteriolum nuncupatum hospitandi gratia illuc divertit. Ubi iumentis suis pabula non inveniens miratur valde, quoniam locus ille pratorum copia conspicitur abundare.[3] Quærit ergo rex, cuius sint prata illa. Sed responsum accepit, quod dominos plures haberent. Iubet autem rex ut omnes compareant in conspectu eius, et de pratis distrahendis admoneant venientes. Indignantur non modicum qui hæc audiunt, asserentes sufficienter pratorum dominos in rebus temporalibus abundare.[3] Cumque tandem nobiles illi ad regis

The king goes to Rome to obtain canonization for Alban, and exemptions for a monastery to be founded in his honour.

Being in want of fodder for his horse by the way, he purchases a piece of land for the use of future pilgrims.

---

[1] *peregrinis*] peregrenis, MS.
[2] *concilium*] consilium, MS.
[3] *abundare*] habundare, MS., and so below.

præsentiam perducti fuissent, convenit eos rex de pratis distrahendis. Quos cum audisset in omnimodis abundare divitiis, "Non sic," inquit rex, "abundatis, quin possitis amplius abundare. Nos prata vestra comparabimus, non secundum eorum æstimationem, sed iuxta vestram voluntatem. Nec erit ulla difficultas de pretio, licet nulla propitiatio sit in distrahendo." His auditis omnes cupiditate victi a rege pro sua voluntate pro pratis pretium acceperunt. Quo facto rex prata illa consecrat, et transeuntibus peregrinis omnibus regali munificentia confirmat, quatenus peregrini in illis locis pro tempore vel herbam vel fœnum in perpetuum habeant sine pretio, unde iumenta sua sustineant, ex regis beneficio.

CONTINUATIO. *Ut rex Offa Romam perveniens cœnobium beati Albani exemerit.*

DINUMERATA denique pro distractione pratorum pecunia, a loco rex progreditur, et Romam tandem perveniens optata apostolorum limina conterit et diversorum loca sanctorum pia devotione percurrit. Deinde Adriano secundo summo pontifici causam sui adventus denuntians, et de loco simul et de beato Albano canonizando cœnobioque construendo devote preces porrigens, petitioni suæ Romanam de facili curiam inclinavit, et ex hoc præcipue, quod martyris inventio cœlitus sit edocta. De monasterio fundando et ab omni episcoporum subiectione emancipando curiam consulit. Cui Romanus pontifex taliter respondit: "O fili carissime, Offa rex Anglorum potentissime, devotionem tuam circa regni tui protomartyrem non mediocriter commendamus, et monasterio construendo illudque privilegiando petitioni tuæ assensum gratanter præbemus, iniungentes tibi in tuorum remissionem

Rog. Wend. i. p. 255. Matth. Westm. p. 287; Vita Offæ, p. 29.

Offa prefers his requests at Rome.

Pope Adrian's assent.

peccatorum, ut rediens ad terram tuam consilio episcoporum et optimatum tuorum quas volueris possessiones sive libertates beati Albani monasterio conferas et tuo privilegio inde facto nos originale tuum privilegio nostro roborabimus consequenter. Et monasterium illud in specialem Romanæ ecclesiæ filiam adoptabimus, et nostro illud apostolatui subiciemus nullo episcopo sive archiepiscopo mediante." His igitur auditis, rex quid digne tantæ largitati rependere valeat secum pertractat. Tandem divina regem inspirante gratia invenit salubre consilium, et in die crastina Scholam Anglorum quæ tunc Romæ floruit ingressus, dedit ibi ad sustentationem gentis regni sui illuc venientis singulos argenteos de familiis singulis omnibus in posterum diebus singulis annis, quibus videlicet sors tantum contulit extra domos in pascuis ut triginta argenteorum pretium excederet. Et hoc tali largitate optinuit, ut de regno Angliæ nullus publice pænitens pro exequtione sibi iniunctæ pænitentiæ subiret exilium. Celebrata igitur donatione prædicta et suscepta confessione a papa et peccatorum remissione simul cum summi pontificis benedictione, ad propria rex magnificus remeavit. Tunc congregato apud Verolamium episcoporum et optimatum[1] suorum concilio, unanimi omnium consensu et voluntate beato Albano amplas contulit terras et possessiones innumeras, quas multiplici libertatum privilegio insignivit. Monachorum vero conventum ex domibus bene religiosis ad tumbam martyris congregavit, et abbatem eis nomine Willegodum præfecit, cui cum ipso monasterio omnia iura regalia concessit. Dominabatur Offa rex magnus in viginti tribus provinciis, quas Angli sciras appellant; id est, in Herefordensi, cuius episcopus sedem habet in eadem urbe; in provinciis Wigornensi

Offa imposes a tax for ever on the richer families in his kingdom for the support of the English in Rome.

Offa's return.

Privileges of St. Alban's monastery.

Offa's dominions.

[1] *optimatum*] opimatum, MS.

et Glovernensi, quarum episcopus sedem habet in Wigornia; in Warewicensi, Cestrensi, Stratfordensi, Scropesburiensi, et Derebicensi, quarum episcopus sedem habet in Lichefeld; in Legecestrensi, cuius episcopus sedem habet in eadem urbe; in Lincolniensi, cuius episcopus sedem habet in Lindesia; in Northamptonensi, Oxoniensi, Buckingehamensi, Bedefordensi, Huntundunensi, Cambregensi, et dimidia Hertfordensi, quarum episcopus apud Dorkecestram sedem habet; in provinciis Essexiæ et Midelsexiæ, et dimidia Hertfordensi, quarum antistes sedem habet in urbe Londoniarum; in Northfolk et Southfolk duo sunt episcopi, unus Helmanhensis, et alter Domucensis. Dominabatur etiam in Snotingensi provincia, cuius Christianitas ad archiepiscopum Eboracensem spectat. Ex his omnibus provinciis dedit rex præfatus denarium beati Petri, ut prædictum est, quod Anglice *Romescot* appellatur.

St. Peter's pence or "Rome-scot."

CONTINUATIO. *De possessionibus ab Offa rege monasterio sancti Albani collatis.*

Rog. Wend. i. p. 258; Vita Offæ, p. 31; Matth. Westm. p. 288.

DEDIT præterea Offa rex potentissimus beato protomartyri Albano villam suam dominicam, quæ viginti ferme miliariis a Verolamio distat et Wineslawe nuncupatur, et tantundem per circuitum, sicut usque hodie scripta regis testantur, quæ in præfata basilica continentur. Quæ videlicet basilica tanta libertate refulget, ut ab apostolica consuetudine et redditu, quæ *Romescot* dicitur, cum neque rex, neque archiepiscopus vel episcopus, abbas vel prior, aut quilibet in regno ab illius solutione sit immunis, ipsa quidem sola quieta sit. In presbyteros et laicos totius possessionis suæ abbas vel archidiaconus monachus sub ipso constitutus ius pontificale exercet, ita ut nulli archiepiscopo vel episcopo

Estates bestowed on St. Alban's. Exemption from Romescot; from episcopal or legatine jurisdiction.

aut legato nisi summo tantum pontifici subiectionem impendat. Hoc quoque sciendum est, quod Offa rex magnificus tempore quo beati Petri vicario, Romanæ urbis pontifici redditum statutum, id est *Romescot*, de regno suo concessit,[1] ipse a pontifice Romano impetravit, ut ecclesia beati Albani Anglorum protomartyris eundem *Romescot* ab omni Hertfordensi provincia, in qua sita est ecclesia sæpe dicta, fideliter colligeret et collectum in usus proprios retineret. Unde et ipsa ecclesia sicut a rege omnia iura regalia, ita habet abbas loci illius qui pro tempore fuerit pontificalia ornamenta. Et hæc de sancto Albano dicta sufficiant.

Romescot from Hertfordshire given to St. Alban's.

Continuatio. *De morte et sepultura Offæ regis Merciorum.*

Rog. Wend. i. p. 261; Vita Offæ, p. 32; Matth. Westm. A.D. 797, p. 291. Death of Offa.

Offa rex Merciorum magnificus, constructo fere nobilissimo post inventionem beati Albani monasterio, in villa quæ Offeleia nuncupatur iuxta multorum opinionem diem clausit extremum. Cuius corpus apud villam de Bedefordia delatum in capella quadam extra urbem super ripam Uscæ fluminis sitam more regio dicitur fuisse sepultum. Refert autem usque in hodiernum diem omnium fere conprovincialium relatio, quod capella præfata longo usu et violentia illius fluminis sit subversa atque eius rapacitate[2] cum ipso regis sepulcro in flumine præcipitata. Unde et usque in præsens sepulcrum illud ab hominibus loci tempore æstivo ibidem balneantibus quandoque in aquæ profunditate videtur esse conspicuum, et quandoque, licet diligentissime quæratur, ac si res fatalis esset non invenitur. Successit autem Offæ regi strenuissimo in

[1] *concessit*] conscessit, MS.

[2] *rapacitate*] rapitate, MS.

regnum Egfridus filius eius, qui patre vivente ei conregnaverat annis octo, de quo suo loco inferius dicemus.

CAP. LXII.

De Æthelwoldo rege Northumbrorum.

Æthelwold, king of Northumbria. Rog. Wend. i. p. 236; Matth. Westm. A.D. 759, p. 275; and A.D. 762, p. 276.

INTERFECTO, sicut prædiximus, Northumbrorum rege Osulfo, successit ei in regnum Northumbrorum Æthelwoldus cognomento Mal. Iste Æthelwaldus gessit bellum gravissimum contra ducem Oswinum, quem rex prædictus interfecit et cum victoria recessit. Hic etiam Æthelwoldus Etheldredam reginam suscepit in uxorem. Tandem perempto fortissimo duce Oswino sibi rebellante, sicut superius dictum est, idem Æthelwoldus rex ex hac vita decessit: cui Alcredus sive Aldredus filius Elwini trinepos Idæ regis successit octo annis.

Death of Æthelwold. Matth. Westm. A.D. 765; Rog. Wend. p. 237.

His successor Alcred reigns 8 years.

CONTINUATIO. *De Æthelberto rege Cantuariorum.*

Eadbert succeeds Æthelbert, king of Kent.

ÆTHELBERTUS rex Cantuariorum ex hac vita transiens Eadbertum reliquit heredem.

North-umbria. Ethelbert (Ethelred), son of Æthelwold Mol, dethrones Alcred in the tenth year of his reign. Will. Malmesb. i. 72. p. 104. Higden Polychron. A.D. 764, p. 250.

CONTINUATIO. *De Alredo sive Aldredo Northumbrorum rege.*

ALCREDUS sive Aldredus rex Northumbrorum ex hac vita transiens decimo regni sui anno regnum quod invaserat prius per provinciales dimittere conpulsus, Ethelbertum sive Ethelredum filium Æthelwoldi Mol supradicti habuit successorem. Iste Alcredus sive Aldredus habuit duos filios, Osredum scilicet qui tertius post eum regnavit, et sanctum Alcmundum qui postmodum in auxilium Mercensium contra Westsaxones veniens a duce Wiltonensium occisus est.

CONTINUATIO. *De successione regum Northumbrorum.*

Kings of North-umbria. Will. Malmesb. i. 72, p. 104. Ethelbert (5 years). Alfwold (11 years). Osred (1 year). Ethelbert, son of Ethelwold, a second time (4 years.)

ETHELBERTUS sive Ethelredus filius Æthelwoldi cognomento Mol provincialium consensu rex levatus quinto anno regni sui ab eisdem expulsus est. Tunc rex Alfwoldus acclamatus post undecim annos perfidiam provincialium ingemuit, sine culpa trucidatus; quod et celebris apud Haugustaldum sepultura et divina prætendunt miracula. Ei nepos suus, filius Alcredi sive Aldredi Osredus succedens, vixque anno emenso expulsus, regnum Ethelberto, qui et Aldredus dictus est, vacuavit. Iste Ethelbertus sive Aldredus filius fuit Ethelwoldi Mol, regnumque post duodecim annos recipiens, quattuor annis tenuit. Quibus exactis, fatum superiorum effugere non valuit misere occisus. Quare offensi plures episcopi et optimates a patria fugerunt. Quidam merito plexum affirmant, quod in occisione iniusta Osredi consensum[1] suum obligaverit, cui sufficere potuerit quod principatu eiectus sedem

---

[1] *consensum*] concensum, MS.

illi restituerit. De huius regni exordio Alcwinus ita memorat. "Benedictus Deus, qui fecit mirabilia solus. Nuper Etheldredus filius Æthelwoldi de carcere processit in solium, et de miseria in maiestatem,[1] cuius regni novitate detenti sumus ne veniremus ad vos." De nece ita ad Offam regem Merciorum. "Sciat veneranda dilectio vestra quod dominus Karolus amabiliter et fideliter sæpe mecum locutus est de vobis, et in eo habetis fidelissimum amicum. Ideo et vestræ dilectioni digna dirigit munera, et per episcopales sedes regni vestri. Similiter et Ethelredo regi et ad suas episcoporum sedes dona direxit. Sed heu! pro[2] dolor! donis datis et epistolis in manus emissorum, supervenit tristis legatio per missos, qui de Scotia per nos reversi sunt, de infidelitate gentis et nece regis. Ita Karolus retracta donorum largitate in tantum iratus est contra gentem illam, ut ait, perfidam et perversam et homicidam dominorum suorum, peiorem eam paganis æstimans, ut nisi ego intercessor essem pro ea, quicquid eis boni abstrahere potuisset et [mali][3] machinari, iam fecisset."

Extracts from Alcuin on the beginning of this reign.

Post Ethelredum nullus ad regnum ascendere ausus, dum quisque superiorum sibi casum timeret, et otio inglorio tutus victitare, quam ancipiti discrimine pendulus regnare mallet: plerosque regum Northumbrorum familiari pæne exitio vitam exisse. Ita cessante rectore per triginta tres annos provincia illa risui et prædæ finitimis fuit. Siquidem cum Dani loca sanctorum populati fuissent, domum regressi ceteris insulæ copiam habitatorumque ignaviam nuntiarunt; barbari raptim copioseque insulam petentes illas usque in id tempus partes occupaverunt. Nam et regem multis annis habuerunt

Will. Malm. i. 73 p. 106.

Anarchy for 33 years in Northumbria. Danes.

---

[1] *maiestatem*] magestatem, MS.

[2] *pro*] proch, MS.

[3] *mali*] om. MS. See Will. Malm.

Egbert occupies Northumbria, A.D. 827.

proprium, qui tamen ad regis Westsaxonum spectaret arbitrium. Transactis enim illis triginta tribus annis hanc etiam regionem cum ceteris obtinuit rex Egbertus anno Dominicæ incarnationis octingentesimo vicesimo septimo, anno regni sui vicesimo octavo.

CAP. LXIII.

De Kinewlfo Occidentalium Saxonum rege.

Kinewlf, king of Wessex.

Defeated by Offa at Benesingtone, anno regni 24. Will. Malm. i. 42, p. 57. Rog. Wend. A.D. 785, i. p. 244; Matth. West. A.D. 786, p. 280.

Will. Malm. p. 58.

EXPULSO a regno Occidentalium Saxonum, sicut præmisimus, rege Sigeberto, Kinewlfus iuvenis de stirpe regali procerum regni et totius populi provida deliberatione in regem promotus est. Iste quidem Kinewlfus clarus extitit morum compositione militiæque gestis. Sed uno solo adversus Offam regem Merciorum propter Benesingtone vicesimo quarto regni anno prœlio victus, multisque perinde damnis afflictus, fœdo etiam exitu finem vitæ sortitus est. Nam cum regnasset viginti sex annis[1], et contra Britones et alios multos prœlia plurima laudabiliter commisisset, exulavit tandem iuvenem quendam nomine Kinehardum, fratrem Sigeberti regis quem Kinewlfus a regno privaverat, habens illum suspectum ne aspiraret ad regnum vel denique necem fratris sui in ipsum vindicaret. Kinehardus vero tempori cedendum credens, dissimulans animo quasi volens aufugit. Sed mox cum furtivis prædonum conventiculis nemorosa petens abdita in insidiis multis expectabat diebus, propter proverbium quo dicitur:

Quod non longa mora dare solet, dat brevis hora.

Interea dum rex Kinewlfus alienis serviens amoribus

---

[1] *viginti sex*] xxxi. Will. Malm.

in villa quæ Meritona dicitur furtivæ veneri indulgeret, et hoc a Kinehardo supradicto compertum fuisset, cum suis complicibus domum foris obsedit. Sed rex, qui cum parvo comitatu et quasi solus advenerat, ut se ab hostibus undique vallatum conspexisset, ostia domus obclusit, sperans latrones vel terrere imperio, vel mulcere alloquio. Sed frustra. Nam cum a multitudine rex circumventus fuisset, dum cedere hostibus damnum gloriæ suæ arbitraretur, defensioni vacans ipsum Kinehardum crudeliter vulneravit. Hoc autem viso, Kinehardus cum suis in regem irruens ipsum interfecit. Pauci quoque ex clientela regis qui aderant, cum non manus dare sed dominum suum vindicare intendunt, omnes fuerunt pariter obtruncati. Continuo fama dilabitur ad principes perempti regis, qui non longe excubias agebant. Inter quos Osricus maior ceteris socios hortatur, ne tantam ignominiam inultam dimitterent. Unde strictis ensibus irruunt in hostes. Kinehardus hæc videns, cognationem prætendit, multa pollicetur. Sed ubi nihil proficit, suos ad resistendum accendit. Tandem regiis ministris iusta proveniente victoria, Kinehardum cum suis omnibus peremerunt. Corpus vero Kinewlfi regis Wintoniæ sepultum est; Kinehardi autem apud Repindon, quod tunc nobile cœnobium erat et famosum, corpus est sepultum.

Kinewlf is murdered at Meriton.

Will. Malm. p. 58.

CONTINUATIO. *De Brithrico rege Occidentalium Saxonum.*

DEFUNCTO rege Occidentalium Saxonum Kinewlfo Brithricus filius eius successit in regnum sexdecim annis. Iste Brithricus pacis quam belli studiosior, ar-

Will. Malm. i. 43, p. 59. Rog. Wend. A.D. 786, i. p. 246;

Matth. Westm. A.D. 787, p. 281
Brithric, son of Kinewlf, 16 years king of Wessex.
Rog. Wend. p. 247, A.D. 790; Matth. Westm. A.D. 791, p. 282.
Son-in-law of Offa.
Matth. Westm. A.D. 791, p. 282.
Expels Egbert.
First coming of the Danes.

tifex amicitias componere, externos blande appellare, domesticis conivere, in his duntaxat quæ vigorem regni non enervarent. Atque ut ampliorem gratiam apud propinquos locaret, filiam Offæ regis Merciorum eo tempore potentissimi in coniugium accepit, de qua, quod sciam, nullum liberum tulit. Cuius affinitate fultus Egbertum sive Egbrightum solum regalis prosapiæ superstitem, quem regni sui utilitatibus futurum metuebat hostem, in Franciam fugavit. Namque ipse Brithricus et ceteri infra Inam reges, licet natalium splendore gloriantes, quippe qui de Serdicio traderent originem, non parum tamen a linea regiæ stirpis exorbitaverant. Quo expulso, rex securo vacabat otio, cum gens Danorum piratica rapina vivere assueta, tribus advecta navibus pacem provinciæ perturbavit. Istos quoque quasi exploratores advenisse suspicandum est, ut inhabitantium virtutem et ubertatem patriæ explorarent, sicut postea Danorum multitudo superveniens, quæ totam replevit Britanniam, luce clarius demonstravit. Tunc ergo furtive appulsi regiam villam, quæ prope erat, aggressi, villicum regis, qui eis ad pugnandum occurrit, peremerunt. Hic primus ex Angligena natione interfectus est; sed multa postmodum ex eis milium milia corruerunt. Tandem a multitudine populorum occurrente excussa Danorum præda, ad naves fugere compulerunt.

Rog. Wend. p. 268. Matth. Westm. A.D. 802, p. 295. Cf. Will. Malm. 113, p. 169.
Brithric is poisoned by his wife Eadburga.

Prædictus autem Brithricus rex Occidentalium Saxonum veneno periit in hunc modum. Habuit rex iste, ut superius est relatum, reginam nomine Eadburgam, Offæ regis Merciorum filiam, quæ multis suffulta honoribus miris se ambitionibus extollebat. Nam materna tyrannide incitata omnes de regno nobiles ordinatos et viros religiosos ad regem accusare et execrari consuevit. Unde et principibus ducibusque perosa extitit, cum magistratibus et populis universis. Siquidem malefica illa ita regem instruxit blanditiis, ut

illos quos accusabat aut vita aut regno privabat. Et si hoc a rege impetrare non potuit, veneno eos clam perdere consuevit. Erat autem eodem tempore adolescens quidam genere præclarus ac regi valde familiaris et amantissimus; quem cum malefica regina accusare non valuit, veneno illum extinxit. De quo veneno cum rex ignoranter gustasset, animam subito exhalavit. Nec tamen illa regi dare proposuerat poculum mortis, sed adolescenti. Verumtamen ambo biberunt et potu venenifero perierunt. Rege itaque in hunc modum perempto, mulier nequissima timore perterrita fugiens cum thesauris impretiabilibus mare transiit, et Karolum Francorum regem adiens multa ei exennia præsentavit. Cui cum astaret inter mulieres nequissima, licet pulcritudine pulcherrima, sic eam rex allocutus ait: "Elige, Eadburga, quem volueris, vel me vel filium meum, qui mihi astat in solario, in societatem accipere coniugalem." At illa sine deliberatione et freno soluto pudicitiæ respondens ait: "Si mihi optio daretur vel libertas eligendi, filium tuum quam te magis diligerem, quia iunior esse videtur." Tunc rex intelligens illam explendæ libidinis cupiditate ductam, eleganter respondit: "Si me," inquit, "elegisses, filium meum haberes; et quia illum elegisti, nec me nec illum habebis." Contulit tamen illi rex propter improbitatem eius et nimiam pulcritudinem nobile monasterium feminarum, in quo illa habitu deposito sæculari sub specie hypocrisis indumento monialium assumpto abbatissæ vices annis paucissimis fungebatur. Nam parvo post tempore, dum quæ sancta erant, execraret, a quodam propriæ gentis ignobili viro dicitur constuprata. Mulierem ergo in adulterio deprehensam rex a sancto monasterio expelli præcepit. Quæ deinceps miserrime in paupertate tempora vitæ suæ vituperabiliter ad finem usque perduxit. Defuncto itaque rege Brithrico atque apud Werham sepulto, successit ei Egbertus sive Egbrightus in regnum triginta sex annis, qui ex regali gentis illius

Cf. Sim. Dunelm. p. 672, E. Cf. Asser. de reb. Ælfr. p. 471, D. seq.; Flor. Vigorn. p. 552.

Eadburga flies to Charlemagne.

Becomes abbess of a nunnery.

Her end.

Egbert succeeds Brithric.

prosapia originem ducens multa potenter regna suo adiecit imperio. Unde omnibus ante se regibus merito est præferendus.

Cap. LXIV.

De sancto Æthelberto rege Orientalium Anglorum.[1]

Acta Sanct. (Mai.d.20), vol. v. p. 241, seq. Jo. Capgrave, Nova Legenda Angl. fol. 136 b. Cf. Bromton, col. 748, seq.

Æthelbert, king of East Anglia. His parents.

Gloriosus Orientalium Anglorum rex Æthelbertus secundum sæculi dignitatem clarus extitit, natalibus oriundus ex antiquorum regum nobilitate conspicuus, morum præfulsit honestate præclarus, patre quidem Æthelredo, cuius supra meminimus, progenitus, matre vero Leoveroma[2] natus. Uterque parens rex et regina fuit, uterque Christianissimus in catholica simplicitate refulsit. Qui cum hunc solum genuissent filium, hunc omnium facultatum successorem et totius regni sui desiderabant heredem. Baptizatur itaque infans pretiosus, et a parentibus et amicis Æthelbertus vocatur.

Continuatio.

His pedigree.

De quibus parentibus descenderit [dictum est][3]; sed paulo altius vertere libet articulum, ut de quo genere pater eius prodierit breviter intimetur, et linea religiosæ propaginis ad augmentum sanctitatis intexta memo-

[1] This account of Ethelbert is fuller than any other; Capgrave's seems to be an extract from it; the Bollandists have reprinted Bromton, with additions from Capgrave and from a MS. of Giraldus (Cotton Vitell. E. 7).

[2] Leoveromia, Capgrave.

[3] *dictum est*] om. MS.

retur, quamvis de his aliqua superius succincte dixerimus. Quidam enim vocabulo Anna suo in tempore rex erat Orientalium Anglorum, vir bonus et iustus atque optimæ genitor sobolis, illius videlicet incorruptæ et quasi adhuc viventis in carne reginæ gloriosæ atque perpetuæ virginis Ætheldrithæ. Hic a beato Furseo viro Dei monasterium in regno suo ædificatum augustioribus ædificiis ac donariis adornavit, possessionibusque ac copiis temporalium rerum Christo ibidem servientibus augmentare non desiit. Qui postea in defensione Christianæ religionis a quodam pagano Merciorum rege Penda nomine, sicut prædiximus, occisus est, a quo et duo prædecessores sui, reges videlicet Orientalium Anglorum Sigebertus pro Christo monachus effectus et Egricus cognatus eius, quorum supra meminimus, interfecti. Habuit idem sanctus rex Anna duos fratres, Ætheleram et Æthelwaldum, qui ut uterque prior et posterior regnavit, postquam per passionem martyrii ex hac vita sanctus Anna decessit. Ætheleras vero genuit de regina sua sancta Herewida sorore beatæ Hildæ virginis et abbatissæ insignis duos filios, maximæ industriæ et summæ strenuitatis viros, Ældulfum et Alcwoldum. Peremptus est autem Ædeherus rex in bello, sicut prædiximus, ab Oswio Northumbrorum rege cum Peanda Merciorum rege ac tyranno. Cui germanus suus Adelwaldus successit, assumpta tyrannide et potestate in regno. Quo defuncto filius Adelheri maior natu Ældulfus nomine sceptra moderanda suscepit, et annis nonnullis regnavit. Cumque appositus esset et ipse ad patres suos et totius vitæ suæ dies omnes consummasset et annos, 'Alcwoldus frater eius habenas regni superando temperavit, et prædecessores reges antiquos tam sapientia et moribus, quam gloria et honore nobilitatis æquavit. Et ut in Chronicis Anglorum antiquis scriptum reperimus, quia longius ab illo Beda scribendo generationem non extendit, de sanguine eius exortus Beorno Orientalibus

Anna.

Ætheler.

Ælduif.

Alcwold.

Beorno.

Æthelred father of Æthelbert. Anglis imperavit. Hic quoque Beorno magnanimus princeps et rector populi regem genuisse dicitur Æthelredum, patrem sancti martyris et regis Æthelberti. Hæc breviter de regali beati Æthelberti generatione modo dicta sufficiant, ne me atavos tanti viri aut proavos negligenter indiscussos iam præterisse reprehendant; intelligantque nonnunquam de bono semine non immerito fructum maturare messis exurgere. Mater vero eius ex illustribus Merciorum regibus ac ducibus exorta cum ingenuitate et nobilitate carnis, moribus quoque adornabat dignitatem mentis.

CONTINUATIO. *De eo quod litteris sacris et bonis moribus informatus sit.*

Æthelbert's education. Capgrave, c. EDUCANT itaque liberaliter infantem sibi donatum a Deo. Infans autem crescebat et confortabatur, quoniam gratia Dei erat cum eo. Cum autem intelligibiles processisset ad annos, traditur sanctissimæ indolis puer sacris litteris erudiendus, quem fonte scientiæ salutaris imbuere non desiit Spiritus Sanctus. Proficit in disciplina litterarum, crescit in moralibus virtutum sanctarum; nec, ut assolet talis ætas, illecebris voluptatum implicari studuit, sed orationibus et eleemosynis ceterisque operibus bonis tota sollicitudine insudavit. Coævi eius et coætanei exercebantur ad ludos et ad gymnasia [1]; Æthelbertus puer gloriosus ad ecclesiastica tendebat instituta. Illi certabant appetere laudes hominum; iste Regi placere gestiebat angelorum.

---

[1] *gymnasia*] gignasia, MS.

CONTINUATIO. *Quod patri defuncto in regnum successerit.*

CUM hæc itaque et huiusmodi in Christo operaretur Æthelbertus et iam pueriles annos evaderet, adolescens effectus tandem patre orbatur, et in regali solio per regni proceres maxima strenuitate sublimatur. Nacto vero principatus istius gubernaculo et moderamine tantæ potestatis assumpto, quantus excreverit in iustitia, quam perfectus extiterit in misericordia, si aliquibus verbis explicari deberet, oporteret ut aut Virgilius Maro revocaretur ab inferis, aut Jeronimus presbyter transmitteretur e superis. Attamen quantumcunque nostri suppeditat virtus ingenii, quantumcunque suggerit paupertas eloquii, dignum de eo duximus veram facere mentionem et simplicem fidelibus historiæ texere veritatem. Confortatus in regno sanctus Dei providus et prudens erat in consilio, iustus et misericors semper in iudicio, verax per omnia et mansuetus in verbo. Concordia per eum veritatis enituit, et iustitia in regno summæ pacis excrevit. Senex et maturus erat non tam ætate, quam sapientia, sicut scriptum est: "Cani sunt autem sensus hominis, et ætas senectutis vita inmaculata." Huic optima cura de salute patriæ, de profectu et statu reipublicæ fuit, de tuitione urbium, de veneratione parentum, de vera fide et fixo amore in Deum, de dilectione proximorum, de gubernatione civium, de circumspecta providentia in subiectos, de iusta liberalitate erga universos. Bene siquidem novit, ut gentilis poeta ait:

[Margin: Æthelbert succeeds his father.]

[Margin: Wisd. iv. 9.]

"Parcere subiectis et debellare superbos."

[Margin: Capgrave, fol. 137. Virg. Æn. vi. 854.]

Matrem suam diligebat ut dominam, quæ se ei humilem exhibebat tanquam ancillam: quæcunque placebant

matri, non displicebant sibi: noverat illud in Lege præceptum: "Honora patrem tuum et matrem, ut sis longævus super terram." Super quam terram? "Quam Dominus Deus tuus," inquit, "dabit tibi." Hæc est terra viventium, non terra morientium. Alioquin si de hac terra miseriæ dictum est, in istam beatus rex Æthelbertus longævus non fuit; sed consummatus in brevi multa tempora cum Christo in æternum victurus explevit; sicuti incepti operis consequens textus edocebit.

CONTINUATIO. *Quod inducitur per consiliarios regni uxorem sortiri.*

Capgrave, l. c.

Æthelbert is urged by his counsellors to marry.

MONETUR ergo ab omnibus totius regni sui ducibus, immo ab optimatibus cogitur universis, ut vitam pro more et consuetudine antecessorum suorum instituat, virginem quandam nobilem vultu et elegantia corporis præcellentem eligat, de qua maritali sibi copulata coniugio heredem proprio suscitare possit in regno; nec convenire regem absque liberis esse astruentes, profecto cum regna omnia desolentur vastitate hostili, quæ restaurata non fuerint regii generis successione principali. "Præsertim," inquiunt, "cum et virtus et fortitudo tibique tuisque, o rex, augeatur, ne aliquis tumultus insidiantis exercitus nostris in finibus formidabilis habeatur. Nunquid pater tuus uxorem sibi non duxit? Nonne et mater tua patri tuo nupsit?[1] Quod factum in neutram partem ignominiosum, sed coram Deo et hominibus fuit valde gloriosum." Adquievit igitur rex huiuscemodi consilio, et quamvis ei magis placeret pudicitia virginalis quam castitas matri-

Capgrave, l. c.

[1] *nupsit*] nupcit, MS.

monii sive copula coniugalis, elegit tamen pro voluntate principum aurem sibi benignam familiariter applicare et spe successionis hereditariæ docile cor ad sponsam capessendam [1] intendere. Sciebat enim scriptum per quendam sapientem virum: "Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis." Audierat etiam in prima creatione cœli et terræ quia masculum et feminam creavit Deus, et quod eis benedixit et ait: "Crescite et multiplicamini et replete terram et subicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus cœli." etc. Huius sacræ conventionis iugo non se denegat gloriosus Dei athleta vinciri, quamvis incorruptæ virginitatis incorrupta sindone intemerata suæ carnis gloria mallet absque detrimento præmuniri. Quærit hic iccirco diligenter ab eis, cuius filiam regis aut ducis tanta sciant pulcritudine præclivem, quam moribus et divitiis dignam sibi iudicare videantur uxorem.

Brompton, col. 741, l. 21.
Ecclus. xxxii. 19.

CONTINUATIO. *Quod repudiat Egeonis filiam propter patris perfidiam.*

LAUDAT quidam consul Gwero nomine cuiusdam Egonis filiam, quam in australibus maioris Britanniæ partibus copia divitiarum noverat opulentam, eamque in scriptis Anglicæ gentis vocatam legimus Soledriam.[2] Huic defuncto patre, quia sine fratribus erat, regnum remanserat omnino paternum, eique consilium datur ut copuletur in coniugium, diemque ac tempus procurent nuptiarum, et sic suadetur fieri de duobus regnis unum. Repudiatur istud consilium tanquam inutile, affirmatque rex patrem virginis nequaquam fuisse degenerem, verumtamen ad omnem fraudem et

Capgrave, l. c.
Æthelbert's reasons for rejecting Soledria, daughter of Egeo.

[1] *capessendam*] capescendam, MS. | [2] *Soledriam*] Seledridam, Capgr.

dolum eum semper extitisse proclivem. "Patri," inquit, "meo graves tetendit insidias, fraudesque ei non distulit moliri diversas. Displicet ergo mihi ignobile in eodem genere sortiri contubernium[1], quod hactenus a fide et veritate extitisse dinoscitur alienum. Ignobile iccirco vocari debet, quia fundamentum nullius stabilitatis habet. Egeo ille frequenter periuria erga benignitatem mei patris incurrit, quia formidolosus et totius nequitiæ artifex fuit, genitoremque meum toto mentis desiderio et fefellisset, si eum quoquo proditionis modo male fallere potuisset. Sed universorum Conditor Deus, in quem bono animo confidimus et speramus, ea nobis prævideat quæ sibi non displiceant, ut per eius gratiam quæcunque agenda utiliter agamus, et viventes in illo sive morientes eius voluntatem in omnibus impleamus. Et vos qui vicem meam in profectibus universis efferre, qui actibus et usui honoris mei inservire debita veneratione iudicamini, memoriæ vestræ recordationem ubi ubi circumspecte dirigite, et postquam huiusmodi opus requisitum iri condecet, vestri mihi consilii operam date."

CONTINUATIO. *Quod consilio Oswaldi disponit appetere filiam Offæ tyranni.*

Æthelbert advised by Oswald to demand the hand of Offa's daughter.

AD hæc Oswaldus, consularis potentiæ vir honorandus, qui et regis a secretis familiaris erat, et ei fide bona consulere solebat, "Applicare," inquit, "rex gloriose, animum tuum ne differas, quin affinium principum divitias perscruteris universas; et si cuiusquam tibi regia proles tam ætate coæva quam pari iuventutis elegantia ut beneplacens arriserit, inceptum

[1] *contubernium*] contibernium, MS.

persequi dignare propositum, ut tibi coniugali copula Deo disponente coniuncta sit. Attamen de me iam si non diffidas, si dicta factis compensare non renuas, novi in regno Merciorum mirabilis gloriæ et potestatis maximæ tyrannum, longævæ vetustatis senio confectum, cuius circumquaque tremendum adeo extenditur imperium, ut maiestate feritatem transcendat omnium antecessorum regum. Quis enim Offa rege potentior? Quis in Angliæ ducibus hoc duce superbior? Quis in omnibus regibus illo robustior? Quis inter principes tanto principe fortior? Quis gazis et opibus innumeris ditior? Quis purpura et bysso, sericis et cycladibus[1] opulentior? Auro et argento et lapide pretioso quis in regno venustior? Huius ego quia consuetudines et mores experimento didici, quia gloriam et honorem regni illius agnovi, filiam virginem moribus insignem tibi cupio nubere, quam mihi in patris ædibus fortuito[2] contigit aliquando videre. Cuius forma et honestas tantæ est pulcritudinis, ut filiabus regum superemineat universis. Hanc si tibi poscis[3] in coniugium, mortuo tyranno optinebis simul et regnum. Grandævus utique rex in diebus suis processit, iam iamque penes se fere emortua carne totus emarcuit. Adhibe itaque tibi consiliarios nobiles regni tui duces, et prosperante Deo iter istud non inconsultus aggredere, dum ita tenus absque dubio quod proposuisti reperies."

CONTINUATIO. *De eo quod Dei fultus auxilio Offam adire disponit.*

Æthelbert's preparations for his journey to Offa's court.

LENITER igitur iuvenis gloriosus, cuius mens in Christo fundata erat, consulentis viri verba sustinuit,

---

[1] *cycladibus*] sicladibus, MS.

[2] *fortuito*] fortuitu, MS.

[3] *poscis*] possis, MS.

et longa ex cordis intimo trahens suspiria, ad magni consilii angelum orationem suam convertit: "Adiuva," inquit, "me, Domine Jesu Christe, viventis Dei Patris Unigenite, qui cum eodem Patre et Spiritu Sancto crederis, ut confitemur,[1] cuncta condidisse, eandemque mihi digneris concedere virginem, si in filiabus regum aliquam mihi decrevisti sortiri uxorem. Aut enim in petitione mea postulata accipiam, aut in gente illa, ut præsagit mens mea, lucem vitæ amittam. Tu tamen quia perfecte pius, perfecte bonus es, committo tibi totam curam meam, ut in misericordia tua disponas et perficias eam." Convertit etiam se ad optimates regni, aperiens eis desiderium cordis sui, talique eos allocutus est sermonis exordio, quorum se efflagitabat roborari virtutis auxilio. "Gaudeo de strenuitate et probitate vestra, commilitones egregii, quia vos suffultos fortitudine bonæ mentis agnovi. Quare præmoneo ne ab incepta intentione retrorsum corda flectatis, verumtamen[2] opus initum strenue mecum explere contendatis. Adeamus[3] cum fiducia gratiæ Dei maiestatem[4] tyranni, quandoquidem nobis est sors huiuscemodi appetenda consilii." Favent denique omnes regiæ voluntati, et se præsto esse astruunt, quacunque eos iubeat proficisci. Quid plura? Sole ruente dies clauditur, et rex in cubiculo nocte collocatur: apponit quietis membra sopori. Faciunt et idem obsecundantes viri: quiescunt per noctem et dormiunt ipsi. Transacto itaque mediæ noctis spatio, et tempore quietis suæ incunctanter emenso, rex religiosus ad faciendum opus Dei maturat exurgere et in cordis iubilo faciem Domini in confessione prævenire. Ingrediens autem ecclesiam omnipotentis Dei misericordiam deprecatur, ut via eius

---

[1] *confitemur*] confiteamur, MS.
[2] *Verumtamen*] Verumptamen, MS.
[3] *Adeamus*] Aeamus, MS.
[4] *maiestatem*] magestatem, MS.

ubique ab illo dirigatur, eumque sua gratia et præveniat et sequatur; in psalmis et hymnis[1] et canticis offerebat Deo sacrificium laudis, et depromebat Altissimo iocunda vota pii cordis. O quam gloriosa oratio, quam præclara vita regis et pura, quando Creatori sic servire satagit creatura! Symphoniæ melodis concentibus matutina synaxis expletur, et gloriosi regis oratio sanctorum orationibus ammiscetur. Tandem tenebris aurora rutilans effugatis redit, et post peracta matutinarum sollemnia pulcro diluculo sol exortus incalescit. Altaris ministri sacris vestibus induuntur; corpus et sanguis Christi in odorem suavitatis Deo et Patri offeruntur; missa sollemniter et festive celebratur; rex beatus in lacrimis et sanctarum precum victimis Altissimo humiliatur. Expleto quoque tantæ devotionis obsequio signaculo[2] crucis Christi corpus suum ab omni parte munivit, et Salvatori sæculorum itineris sui curam commendans, valedicens clero et populo, ostia deinceps pro[3] dolor! non rediturus exivit.

CONTINUATIO. *De eo quod mater sua hoc ei negotium dissuadet.*

PRETIOSUS Dei athleta Æthelbertus aulam ingrediens tantæ eius dignitati pro loco et tempore congruam, vestimentis gloriæ regaliter adornatur, et ad matrem suam licentiam eius et benedictionem postulans inclinatur. Apprehendentes autem mutuas manus ad invicem sequestraverunt se filius et mater ab universo aliorum cœtu seorsum, vicissim colla sua alterutra pietate deosculantes mutuisque lamentis et fletibus

Æthelber mother warns him against the proposed alliance with Offa.

---

[1] *hymnis*] ympnis, MS.
[2] *signaculo*] singnaculo, MS.
[3] *pro*] proch, MS.

facies suas irrigantes, absentiam sui ægre utrimque pertulerunt et hinc inde gravi cordis contritione doluerunt. Regina regem interpellare, mater filio inproperare tyranni perfidiam, difficilem viam, plebem perversam, levem mortis causam, patriæ ruinam, hostis lætitiam, desolationem sui, depopulationem populi, invasionem regni, impetus inimicorum, deprædationes exercituum barbarorum. "Noli," inquit, "noli, fili mi unice amor et dulcedo animæ meæ, noli regem Offam socerum tibi eligere, neve studeas tam versuto tyranno te generum efficere. Desiste incredulos Britones propinquos tibi coniungere, ne disponas fidem tuam illorum fidei assignare. Frequenter studia eorum et exercitia circa proditiones et dolos versata sunt, nec aliquando fidem aut sacramenta quæ custodirent inviolata cum aliquo pepigerunt. Idem vero rex minister scelerum, inveteratus dierum malorum, iniquitatis prædo, impietatis laqueus, avo tuo, patri videlicet meo, linguæ blandimenta simulavit, et nunquam[1] promissionem fidei secundum verba iurata servavit. Quare, fili mi, causa tantæ talisque perfidiæ iam suadet matrem tuam conqueri, meque compellit regiam tuam maiestatem humiliter alloqui, ut relicta tanta intentione, cui tanta sedulitate obstinatus inhæres, natale solum tui absentiam viduare nolis, dum te opportune vel inopportune ingeris nationibus alienis." Tum rex iocundo ut erat animo, hilari vultu, summissa voce respondit, matrique suæ alacriter aperta voce dixit. "Ne prohibeas, domina mea, ne dissuadeas iter meum, genetrix gloriosa; licet enim vitam meam in scrinio vel arca[2] dicionis tuæ teneres inclusam, eamque seris ac vectibus ferreis haberes obfirmatam, terminos meos pertransire non potero, quos mihi siquidem novi constitutos a Deo, sicut præscivit et prædestinavit Conditor gloriæ sem-

---

[1] *nunquam*] iniquam, MS. | [2] *arca*] archa, MS.

piternæ, expecto misericordiam aut iudicium, quam reddet pro meritis iustitia dextræ suæ. Iccirco fidens in illum mandatis eius exequendis intendam, et præduce gratia Dei, Offam grandævum regem Merciorum revisam. Quod placet Conditori meo ut perferam, ipse prævideat. Si contigerit in pace cum salute reverti, illius erit omnipotentis auxilii: si vero me sicarius incautum occiderit, Redemptor mundi custos animæ meæ sit." Hæc et plura huiuscemodi prosequente Æthelberto, filius et mater divisi sunt ab alterutro. Et quis in tam amica divisione non fleret? aut quis eos sine planctu et gemitu videret? tantam patriæ desolationem si nosset, a dolore et lacrimis quis temperare posset? Hæc omnia in civitate regia facta sunt, quam antiquitus Orientales Angli urbem Baderogi vocaverunt.

CONTINUATIO. *Ubi Æthelberto proficiscente terræ motus factus est.*

PROFECTUS est igitur rex cum ducibus et tribunis et primis regni, benedictione etiam roboratus episcopali, non ultra visurus generosam faciem dilectæ genetricis suæ nisi donante et annuente Deo in regeneratione[1] sanctorum et gloria inmortalitatis æternæ. Sed in ipso exordio profectionis suæ, antequam equum legatur ascendisse, mirabile signum a Deo stupentibus cunctis evidenter innotuit, quod omnium audientium corda maximo terrore concussit. Sub eo namque ascendente terra mota est, imminensque periculum mortis eius tali eventu figuratum est. Quid mirum, si eadem in morte sanctorum Dominus ostendit, quæ in passione sua a Judæis crucifixus exhibuit? Cum in ligno enim penderet clavis confixus, terræ motus subito factus est magnus. Quare ergo non faceret pro

An earthquake.

[1] *regeneratione*] regenerationem, MS.

Æthelberto quod fecit Dominus pro se ipso, cum Christus caput sit Æthelberti, Æthelbertus autem membrum corporis Christi? Fragor itaque tam metuendi signi aures perculit totius vulgi: iamiamque præsagiebat unusquisque causam eandem esse infortunii, quam eventuram infausto auspicio tam glorioso vaticinati sunt regi. Cuius genetrix gloriosa plus omnibus laboravit in gemitu suo, in gravi dolore singultuum, in effusione lacrimarum, in assiduitate orationum sanctarum. Prosequitur rex Deo placens iter inceptum, xenniaque plurima ac diversa donaria dorsa substrata baiulant iumentorum, insignia regalium ornamentorum, odoriferas species aromatum, multam supellectilem[1] pretiosarum vestium, quæ Cæsares et reges solent vehere secum. Quam triumphalem gloriam præmittit vexillorum! quanta vis etiam succedit armorum! Magis tamen vir beatus didicit in eo confidere, per quem reges regnant, quam in armata exercitus sui, qui cum tanta frequentia comitantes obambulabant.

CONTINUATIO. *De eo quod sol obscuratus est, et orante Æthelberto dies reddita est.*

An eclipse of the sun.

ALIUD quoque signum mirabile sibi fertur accidisse quod nequaquam debemus prætermittere, immo scribendo et legendo glorificare Deum, qui et in vita et post devictum triumphatumque sæculum signis et miraculis coruscare[2] facit beatum regem et martyrem Æthelbertum. Tempore eodem, cum claritas iocunda solis exorti[3] pervium suo splendore regis illustraret exercitum, et diem in virtute sua candore insolito

[1] *supellectilem*] suppellectilem, MS.

[2] *coruscare*] choruscare, MS.

[3] *exorti*] exhorti, MS.

redderet rutilum, ecce subito tota lux illa subtracta disparuit, et quasi quædam columna nebulis hinc inde oppositis obducta sub nube erupit, quæ aliquamdiu quadam tenui flamma eis vestigia lucis ministrare non desiit. Quæ columna longo temporis intervallo perviantibus est agnita, sed postmodum dispensante Deo rursum a nube suscepta. Deinde visus est nigrescere sol et horridas tenebras noctis ingerere, medioque diei spatio picea caligine involutos omnes pariter exterrere.[1] Cumque in societate beati viri comites stupefacti mirarentur, et ex insperato quod acciderat miraculo suspecti tenerentur, Æthelbertus homo Dei eis blandam consolationem intulit, talique sermone seriem suæ narrationis incepit. "Nolite," inquit, "filii, nolite turbari, licet radiis occultatis nobis Phœbus lucem negaverit diei, nulla mæstitiæ gravitate afficiantur animi vestri. Cumque alter alterum videre non possit, faciamus supplices id quod nobis expedit, mentes nostras et corpora prosternamus humi gratias agentes [Deo] et Patri. Humiliemus illi animas nostras, contritorum cordium immolantes victimas, quia sacrificium Deo spiritus contribulatus, et hoc est quod acceptare solet universorum Conditor Deus. Adoremus Jesum Christum viventis Dei Filium Unigenitum, cum eodem Patre et Spiritu Sancto in Trinitate perfecta unum verum Deum, orantes ut tenebras amoveat et cordis et corporis, nobisque lucem infundat inæstimabilis suæ claritatis. Qui cum summus Princeps sit omnium, dextera[2] potentiæ suæ sustentans et gubernans mundum, tribuat sua gratia lucem diei citius inclarescere, quam nobis iam contigit aliquanto tempore non potuisse videre." His et huiusmodi gloriosi regis monitis omnes præbent assensum, et pariter cum illo corruentes in terra unanimes orationem suam emittunt ad Deum. Cum-

Light returns at the prayer of Æthelbert.

---

[1] *exterrere*] exterrerent, MS.

[2] *dextera*] detera, MS.

que omnipotentis Dei famulus Æthelbertus diutius orasset, seque et exercitum suum surgens a loco orationis sanctæ crucis signaculo interius exteriusque vallasset, ecce repente exortum est in tenebris lumen rectis,[1] et splendor illuxit divinæ claritatis, solque suos patefecit radios tenebrosasque profundæ noctis dispersit abyssos; dies paulo ante absconditus prorumpit in lucem, omnemque cohortem invitat tantum revereri et diligere principem. Videntes vero qui affuerant sanctam regis sui orationem sic profecisse, glorificaverunt Deum qui salvos facit sperantes in se.

CONTINUATIO. *Comparatio sanctorum regum et nostri temporis sacerdotum.*

Comparison between royal saints, such as Æthelbert, and the corrupt priests of the author's age.

COMPAREMUS, si placet, talibus regibus, dilectissimi, nostri temporis sacerdotes, qui in sacrario Domini die noctuque deservire videntur, et valde imperfecti in eorum æstimatione invenientur. Qui enim deberent reges esse et sacerdotes,—reges videlicet subiectos sibi in sanctitate vitæ protegendo, sacerdotes autem seipsos Dei laudis sacrificium[2] offerendo,—ipsi talentum a Domino acceptum[3] in terra defodiunt et pecuniam eius districte cum venerit requirendam ad usuram non extendunt, in torporis sui negligentiis dissoluti iacent, vixque de lecto ægritudinis suæ aliquando exurgere valent; sicque solliciti terrenis cupiditatibus inhiant, ut ad spiritualia lucra sanctarum animarum non intendant; fitque cum pastores supra custodiendos greges non exerceantur, ut oves Christi per incuriam corruptæ fame moriantur. Unde per prophetam[4] dicitur:

---

[1] Ps. cxi. 4.
[2] *sacrificium*] saficium, MS.
[3] *acceptum*] accertum, MS.
[4] Hos. iv. 9.

"Erit sicut populus, sic et sacerdos." Quod utique verum est: Nam et sacerdotes ad prædicandum sunt desides, et populi ad audiendum negligentes. "Omnes declinaverunt; simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum."[1] Si assit etiam qui verbum Dei audiendum requirat, raro aut nunquam aliquis invenitur qui populum ad amorem vitæ cœlestis accendat. Impleri quippe cotidie videamus quod Jeremias[2] ait: "Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis." Subiecti cum cordis contritione misere mendicant, et dispensatores in superbia obstinati non ministrant. Sed ecce temporalis princeps iste beatus Æthelbertus et rex fuit et sacerdos Domini, quia ad fidem et amorem Dei inflammavit corda populi sui. Cuius caro nivea quia inviolata fuit et tota sine macula, non inmerito subsequta sunt Divina miracula, patuitque in fine gloriosæ orationis suæ, quanta ei[3] cœlestis lucis magnitudo fulsit in mente. Circumveniant igitur sacerdotes Dei universa opera sua, ut, cum Unigenitus Filius Patris iudex advenerit in maiestate sua, ne tunc pro iniquitate eorum a sanctis cogantur regibus iudicari, quorum dextera plena fuit iustitia in principatu temporali. De quibus sanctis regibus et sacerdotibus beatus Petrus[4] apostolus ait: "Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis, ut virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum." Eduxit Dominus Deus noster de tenebris beatum regem Æthelbertum et vocavit in admirabile lumen suum, quando corporalibus eius oculis diem caligine tenebrarum temporaliter involvit, et postmodum orantem eum splendore suæ claritatis illustravit.

---

[1] Ps. lii. 4.
[2] Lam. iv. 4.
[3] *ei*] eis, MS.
[4] Ep. i. c. ii. v. 9.

CONTINUATIO. *Quid*[1] *terræmotus et sol absconditus significaverit.*

Interpretation of the earthquake and eclipse.

IN hoc miraculo diligenter libet intueri mirabilia Dei, quoniam qui in morte Redemptoris nostri a sexta hora usque in horam nonam lucem omnem effugavit diei, quando sol obscuratus est et velum templi scissum est, ipse ostendere voluit quod tanta cæcitate corda Judæorum caligaverunt, qui sub Pontio Pilato præside[2] Dominum maiestatis crucifixerunt. Impletum videmus in corpore, quod præcessit in capite: prius in rege, postea in milite. Obscuratus est sol in morte Domini: obtenebratus est et ante mortem servi. Terra mota est in passione Salvatoris; tremuit et ipsa ante mortem principis temporalis. Duo signa terribilia quæ inter plurima operatus est Deus in passione Unigeniti sui, legimus per eum declarata[3] ante necem beati regis Æthelberti: terræ motus factus est et sol obscuratus est. Per terræ motum dedit intelligi desolationem regni, quæ statim subsequta est post interfectionem beati viri, quando de loco stabilitatis suæ commota sunt corda subiectorum populorum, cum eos affligeret gravis exterminatio persequentium barbarorum. Hoc eidem regno novimus accidisse, quod per annos plusquam sexaginta, usque ad tempus quo regnare sanctus Edmundus incepit, sine regibus instabile per subregulos fuit. Et iccirco durus eos terræ motus perculit, quoniam in incerto pervagantes post se sine principio et rege reliquit. Per obscuritatem quoque solis conicere possumus cæcitatem cordis quam Offa in se princeps

---

[1] *quid*] quod, MS.
[2] *præside*] præsidie, MS.
[3] *declarata*] declarat, MS.

impiissimus habuit, cuius nefanda factione beatus rex et martyr Æthelbertus occubuit. Et vere in tenebris cæcus erravit, qui diem Domini præ oculis habere recusavit. In illa die stabunt iusti in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt.[1] Tunc erunt accusatores, qui nunc fuerunt accusati: tunc erunt damnatores, qui nunc fuerunt damnati.

CONTINUATIO. *Invectio in Offam et male agendi correctio.*

QUID facies, Offa, quid facies, quando videbis Æthelbertum iudicem venire cum Christo et recepta carne gloriosa quam punisti per sæcula sæculorum regnare cum illo? Tunc illuminabuntur abscondita tenebrarum et manifestabuntur consilia cordium. Fugere non poteris: latere nequibis. Si in vita tua dignam exegisti pænitentiam, veram a Deo recipies indulgentiam: si autem non pænituisti in sæculo, pænitentia tua erit remedio. Quare, fratres mei, verum est quod quidam philosophus ait, in hac vita delinquentes similes esse super æquale solum cadentibus, quibus denuo præsto sit surgere sine difficultate: animas vero ex hac vita cum delictorum sordibus recedentes æquandas his qui abruptum ex alto præcipitique delapsi sunt, unde facultas nunquam sit resurgendi. Ideo ergo utendum concessis vitæ spatiis, ut perfectæ purgationis sit maior facultas. Utamur et nos, dilectissimi, temporis spatio nobis a Domino Deo nostro concesso, et quod Salomon[2] ait unusquisque nostrum retinere operando studeat in corde suo. "In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis." Et alibi nos

Invective against Offa.

[1] Wisd. v. 1.

[2] Ecclus. vii. 40.

ab iniquitate revocare volens, "Quodcunque" inquit,[1] "potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec scientia, nec ratio erunt apud inferos, quo tu properas." Studeamus itaque hanc ammonitionem diligenter attendere, et intellectam bonis operibus adimplere, ne, cum venerit incarnata Dei Sapientia in igne sæculum iudicare, nobis improperando incipiat dicere:[2] "En proferam vobis Spiritum meum, et ostendam verba mea. Vocavi vos, et renuistis; extendi manum meam, et non erat qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo cum vobis quod non timebatis advenerit."

Quoniam tantisper de his ex quibus certi sumus ad ædificationem vestram aliquam digressionem fecimus, hæc vobis modo dicta sufficiant; ceterum ad narrationis nostræ propositum cœpto ordine redeamus.

CONTINUATIO. *De eo quod Æthelbertus Merciam ingrediens tyranno munera præmisit.*

Æthelbert sends presents to Offa.

SANCTUS igitur Æthelbertus veniens in regno Merciorum ad quendam vicum regium, qui Villa Australis a populo patriæ dicebatur, in quadam ibi campestri planitie tentorium suum fixit, et maximo honoris gloriæque tripudio in eodem territorio pernoctavit. Plurima autem regalium ornamentorum insignia infausto tyranno præmisit, quæ idem princeps in præcipua veneratione cum gratiarum actione suscepit. Verumtamen[3] in corde suo adversus sanctum Dei fraudulenter egit, sicuti postea rei eventus approbavit.

[1] Eccles. ix. 10.
[2] Prov. i. 23.
[3] *Verumtamen*] verumptamen, MS.

CONTINUATIO. *De visione quæ ei nocte cœlitus apparuit.*

Cf. Capgrave ap. Acta Sanct. Maii 20 (vol. v. p. 243*). Æthelbert's vision.

EADEM vero nocte cum beatus vir sua membra sopori dedisset et intempestæ noctis silentio in circuitu eius militia tota quiesceret, visio pulcra sibi a Deo semivigilanti apparuit, quam expergefactus a somno supra memorato familiari suo Oswaldo his verbis referre curavit. "Videbatur," inquit, "mihi, dilecte mi, me in regno meo fore, consulesque ac tribunos regni mei pariter assistere. Ubi de nostra publica re multa percuntatus, multisque sermonibus cum meis ultro citroque habitis, ruit a summo culmine totum fastigium regiæ domus meæ, cornua quoque thalami mei, in quo recumbere soleo, micantibus hinc inde parietibus evulsa aforis excelsa cecidere. Mater mea præsens hæc contemplabatur et lamentans lacrimabatur. Lacrimæ vero eius cadentes super sindonem suam erant quasi guttæ sanguinis decurrentes in terram. Deinde aspiciebam arborem pulcherrimam in domicilio meo quandam excrescere, qua nulla procerior erat altera, foliorum viridantibus[1] comis in superficie latitudinis extensa, frondibus in gyrum apporrectis valde decora, nullius arboris similitudini pulcritudine comparanda. Cuius ad radices quidam ultro insistebant, qui hanc toto conamine suæ feritatis incidebant. Ex qua succisione quidam torrens sanguinis effluxit, qui contra orientem magno impetu cursum suum extendere festinavit. In contemplatione vero eiusdem visionis eximiæ columnam lucis ab austro sole splendidiorem videbam exurgere, et mirantibus qui aderant atque stupentibus universis ad

---

[1] *viridantibus*] viridentibus, MS.

cœlum usque flammivomis radiis sequentibus ascendere. Ego autem eram singularis avis in terra, totaque extremitas alarum mearum erat aurea: æstimabamque me illam arborem leviter posse circumplecti, si fortitudini meæ vel potentiæ aliqua occasio pateret amplectendi. Demum pennarum remige temperato celeri volatu superiora columnæ lucis ascendo. Cum autem in supremo culmine illius consedissem, et claris luminaribus, quæ[1] summus ille omnium Princeps Deus in firmamento collocavit, toto oculorum aspectu sedulus inhiarem, audivi voces in sublime cœlestis harmoniæ miscere concentus, cuius nectarea suavitate delectatus, sive ad dulcedinem melodiæ magis magisque intentus, somno solutus sum."

CONTINUATIO. *De eo quod Oswaldus falso somnium interpretatus sit.*

Oswald's false interpretation of Æthelbert's vision.

OSWALDUS ad hæc hilaris et gaudens verba gratanter regis excepit, eique hac voce interpretationem somnii patefacere attemptavit; sed se res eadem longe aliter habuit, quam Oswaldo interpretanti visum fuit. "Cum itaque in petitione tua, rex bone, frustratus non fueris, petitionis effectum optinueris, triumphum victor egeris, et reversus Orientalem visitaveris Angliam, iterum absens princeps deligere, defunctoque tyranno prœlium conficies maximum, Merciam, Bretoniam, septemque provincias exscindes[2]: tribus victis hostibus subiugabis. Sed hac prius eadem die temporis cum maximo tripudio in triclinium invitatus[3] et regis amicitiis familiariter illectus per filiam principis legali tibi fœdere

[1] *luminaribus, quæ*] limiaribus quem, MS.

[2] *exscindes*] excindes, MS.

[3] *invitatus*] inventus MS.

copulatam[1]; in te unum se tota provincia convertet, probitatem magnanimitatis tuæ strenui quique loquentur, nomen tuum et famam omnes boni dilatabunt, te urbes et oppida ad sua præsidia vocabunt, civitates et suburbia te patricio exultabunt, seditionem patriæ inferentes tantum vindicem formidabunt. Rempublicam per veteres constitutam, per te vero in melius provectam et sublimius[2] auctam tuearis oportet, et diem exultationis et lætitiæ tanto principe victoriæ de prœlio redeunte finibus tuæ nativitatis inducas. Talis erit expressio somnii, quam a me, invincibilis heros, audisti." Reliqua his similia cum vir ingenuus cum suo principe contulisset, et cœlestis contemplator visionis vehementer ingemisceret, leniter, "Quæso, vir egregie," inquit, "ne me hac oppressione studeas efficere certum, quoniam revelatio alterius interpretationis requirit effectum. Sed ades adhuc animo, taliterque disserere visionem omitte, et quæ tibi edicam commenda memoriæ. Fides enim revelationis aliud habebit experimentum, et maioris interpretationis longe altiorem pertinget ad actum. Facilis fortasse nobis hodie ad tyrannum patebit ingressus; verum ignoratur, utrum optio proponatur libera revertendi. Sententiam, quæ super me præfinita est a Deo, animo non infrunito patienter expecto." Cf. Capgrave ap. Acta Sanctorum, l. c.

CONTINUATIO. *Interpretatio somnii beati martyris pro consideratione veritatis.*

HÆC athleta Domini Æthelbertus de se. Nos autem, adiuvante Spiritu veritatis, quantumcunque de somnii veritate poterimus conicere, huic operi interpretando The author proposes another interpretation.

---

[1] *copulatam*] copulam, MS. | [2] *sublimius*] sablimus, MS.

Cf. Capgrave, ap. Acta Sanctorum, l. c.

non pigebit inserere. Videtur itaque casus ille domus a summo fastigio corruentis desolationem regni significare, unde ruina gravis exorta est Orientalibus Anglis, tantæ innocentiæ viro apud nefandas nationes fraudulenter extincto. Cornua vero thalami cadendo ad terram confracta, fortitudo est principatus eorum, per mortem principis sui conculcata ab inimicis et ad nihilum redacta. Unde per Abacuc[1] prophetam de prœliatore nostro dictum est[2]: "Cornua in manibus eius; ibi abscondita est fortitudo eius." Sanguinolentæ lacrimæ, quas beati Æthelberti mater eiulans effundebat,[3] dolores cordis sunt et passiones intrinsecus, quos pro amissione filii sui sine intermissione perferebat. Unde senex ille Simeon, qui in ulnis suis Dominum portavit infantem, "Ecce," ait, "positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur." "In ruinam," videlicet infidelibus, et "in resurrectionem" credentibus. Credere enim debemus quæcunque de eodem Deo et Domino nostro in evangelio scripta sunt, et catholice atque orthodoxe prædicare quæ per eum in sanctis eius mirabiliter gesta sunt. "Et in signum cui contradicetur." Cui signo contradictum est? Resurgentis gloriæ duntaxat a mortuis et multa secum corpora mortuorum resuscitantis. Ad beatam vero Mariam, "Et tuam," inquit, "ipsius animam pertransibit gladius." Gladius iste dolor est passionis Christi, qui in illa cotidie penetravit usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, quo cordi eius infixo fons effluxit lacrimarum, donec mirantibus cunctis curiæ cœlestis præelectis ordinibus, gloriosa et felix æternæ maiestatis Dei thalamum introivit, ubi super omnes angelorum dignitates assumpta, singulare

---

[1] *Abacuc*] Abacum, MS.
[2] Hab. iii. 4.
[3] *effundebat*] effudebat, MS.

miserorum solamen, Filium pro nobis interpellare non desinit. Ne contradicamus, dilectissimi, operibus sanctorum, quæ in eis operatus est Christus Deus eorum. Arbor vero[1] illa procera et longa regis mihi videtur significare personam, cuius summitas foliis et frondibus densa et in latum hinc inde circumquaque extensa latitudinem sanctarum portendit virtutum, per quam vita sanctorum adornatur virorum. Viri autem illi qui arborem succidebant, occisores beati martyris et gloriosi regis erant. Torrens quoque sanguinis de succisa arbore fluctuatim egredientis, sanguinis esse creditur Christi gloriosi militis, qui ad Orientem cursum suum direxit, quando innocentia mortis eius ad Deum in cœlo ut vindictam acciperet clamavit. Testatur beatus Johannes quod sub throno Dei sancti eius clamant: "Vindica sanguinem nostrum, Deus noster." Et David: "Vindica sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est." Nam et sanguis protomartyris Abel, qui innocenter occisus est, legitur ad Deum clamasse de terra: "Ecce," inquit Dominus ad Cain, "vox sanguinis fratris tui Abel de terra clamat ad me." Ad illum videlicet Orientem cursum suum dirigebat, de quo propheta[2] ait, "Ecce vir, cuius est oriens nomen eius." Columna lucis, quæ in cœlum usque tendebatur, claritas bonorum operum illius exprimitur. Quod videbat se esse avem pulcritudine singularem, cuius alæ in extremitate erant aureæ, significat spiritum eius geminis alis[3] virtutum, dilectione videlicet Dei et proximi, circumdatum, splendentem fulgore et luce bonorum operum, quibus in summo culmine lucidæ columnæ sublevari et pertingere posset ad gloriosam visionem æternæ maiestatis Dei. Audivit etiam voces in cœlo gloriæ cœlestis ad gaudia festivitatis angelorum specialiter invitantes.[4]

---

[1] *vero*] vera, MS.
[2] Zech. vi. 12.
[3] *geminis alis*] gemini salis, MS.
[4] *invitantes*] imitantes, MS.

Hæc de beati viri visione significata considero: ceterum qui melius novit exponere, exponentis arbitrio interpretanda relinquo.

CONTINUATIO. *Quod Æthelbertus ab Altrida laudatur.*

Feelings of Alfrida (Altrida) daughter of Offa, at the sight of Æthelbert.

AD narrationis itaque nostræ seriem revertamur, et qualiter beatus martyr ad Deum suum gloriosus ascenderit, simplici relatu veraciter exequamur. Collectis demum tentoriis et apparatibus eorum generaliter expeditis, mane valde diluculo suis ad se diligenter evocatis huiusmodi verba rex effudit coram eis. "Obsecro vos, consortes et complices meæ quoque dignitatis et gloriæ, ut cum principis huius aulam ingressi fuerimus, prudentiæ semitis iugiter innitamur,[1] ne fatuitatis et insipientiæ stupidi sectatores esse merito arguamur. Tyrannus enim superbus est, et populi patriæ contumaces valde. Facite quod postulo, nec a bono proposito desistatis." Promiserunt se duces et tribuni rectoris sui edictum excipere et voluntatem eius, prout possent, in omnibus specialiter adimplere. Sanctus igitur amicus Domini Æthelbertus de mansionis eiusdem loco profectus venit ad curiam supra memorati tyranni, ut rex cum rege loqueretur, et uterque ab alterutro gratanter exciperetur. In die illa stabat Alfrida Deo dilecta virgo nobilis et gloriosa in excelso solio patris sui, consideransque principem Orientalium Anglorum advenientem cum populo exercitus sui, admirata est pulcritudinem illius et gloriam, tantæque novitatis antea incognitam vehementer gavisa est contemplari militiam. "Papæ!" inquit, "genetrix mea, cuius est ista familia? Cui

---

[1] *innitamur*] imitamur, MS.

ascribuntur clipei et enses? Cuius sunt armis instructæ tantæ phalanges? Cuius sunt equi tam velociter præcurrentes? Cui obsequntur tot et tanti præcursores? Sicine, mater, incedit ornatus rex Æthelbertus, tantæ nobilitatis splendore refertus? Tantane est gloria militiæ cum eo ut merito præferri iudicetur patri meo? Videsne quanta iuventutis elegantia? Cernisne colla eius tanto candore vernantia? Nonne aspicis tam rubicundas genas tota benignitate et dilectione plenas, faciem vero tam iocundam, gracilem manum, carnem autem mundam? Totus enim aureus vestibus incedit auratis, nec rex usquam maioris videbitur auctoritatis: auctoritatis dicam, an potestatis? sed ut melius concludam, et auctoritatis et potestatis. Offa, Merciorum inclementissimus rex, merito eum[1] revereri ut dominum et per omnia ipsius exequi deberet imperium. Nullus ita placuit in oculis meis, nullus ei similis invenitur in nationibus universis. Neminem vidi quem adeo diligam, nullum præter eum amatorem admittam. Quis enim tam pulcræ iuventutis et gloriæ, aut quis princeps tam electæ extitit militiæ? Neque fas fuit quandoque speculari tantæ industriæ et feritatis exercitum, militaribus rebus et earum[2] instrumentis potenter suffultum. Intueor eos esse animis validos et exemplo antiquorum terribiliter armis instructos. Recognoscat rex Offa sese tanto viro iure fore subditum, dominumque sibi regem faciat Æthelbertum."

CONTINUATIO. *Ubi Æthelbertus a regina ad Offam tyrannum accusatur.*

UT autem regina huiusmodi verba ex ore virginis processisse cognovit, statim irreverenter in animo suo *Offa's queen calumniates Æthelbert.*

[1] *eum*] cum, MS.

[2] *earum*] eorum, MS.

deliberavit sanctum regem et amicum Dei Æthelbertum velocius morti tradere, et regnum Orientalis Angliæ tanti regis interitu viduare. Quæ invidiæ stimulis agitata ad regem Offam introivit, et procidens in terram ante conspectum eius ingemuit suspirans et ait: "Adquiesce, princeps insignis, consiliis meis, et ne tradas regnum tuum gentibus alienis, qui super populum tuum constituent prœlium et contra filios tuos suscitabunt bellum. Heredes tui laqueis eorum capientur, et captivi in maxima miseria interficientur. Ad patres tuos cum appositus fueris, si advenam nobis dominari permiseris, absque liberis erunt uxores et viduæ, et viri earum morientur morte. Ecce Æthelbertus Orientalibus Anglis princeps prælatus, Tyrio[1] ostro et sericis atque cycladibus circumdatus, argento et auro et lapidibus pretiosis oneratus, petiturus hodie filiam tuam, superbam facturus per te gentem suam, si stabili conubio regi adolescenti coniunxeris eam; fietque per eam rex idem semper ditior, tu vero ad omnia explenda pauperior; Æthelbertus fortior, Offa inpotentior; ille superior, tu inferior; ille robustior, tu deterior. Et quia provecta est ætas tua et iam vertitur ad senium, illum autem in iuventutis gloria quasi leonem sciunt esse magnanimum, huic duces tui et consules familiariter obsequentur, ut ab amore et timore imperii tui sua fortitudine roborentur. Fac ergo ut eius gloria fiat in ignominiam, et superbia hominis vertatur in ruinam. Morte turpissima præcipe ut moriatur, et e medio obprobrium nostræ gentis auferatur. Audistis, mi rex, quæ tibi sunt necessaria: tu autem prævide quæ nobis et populo tuo sunt profutura." Ecce, dilectissimi, inpudens et inproba mulier illa Jezabel antiqua sanctis prophetis Dei vehementer inimica! ecce in furore nimio suæ impietatis iterum exardescit, quæ beatum Heliam a finibus Israel exter-

---

[1] *Tyrio*] tyro, MS.

minare præcepit! ecce altera Herodias in spiritu nequam item revixit, quæ caput Johannis Baptistæ Herode imperante in disco accepit! ecce Jezabel et ecce Herodias, per utramque enim operatus est Sathanas! Jezabel sanctum persequta est Heliam, Herodias morti destinavit Johannem Baptistam. Et ecce tertia in numero earum accrevit, quæ in morte beati Æthelberti fraudulenter desævit! Quid, inquam, vates uterque commisit? aut in quo mortem rex gloriosus promeruit? Helias, quoniam Acab et Jezabel reprehendebat, passus est exterminium; Johannes capite plexus est, quia Herodis et Herodiadis prohibebat incestum. Nec hoc dicimus, ut aliquem inter natos mulierum beato velimus coæquare Johanni, sed ut in beato martyre Æthelberto laudemus et glorificemus mirabilia Dei. Nec eum beato Heliæ conamur præferre, quem in igne Deus legitur de mundo rapuisse, sed ut ostendamus quoniam [qui] Heliam adhuc in carne viventem tanto dignatus est circumvenire splendore, ipse sanctum hodie Æthelbertum ad gaudia duxit festivitatis æternæ.

CONTINUATIO. *Quod Offa suggerente Gwinbertus facit homicidium.*

OFFA vero omnibus consulibus, tribunis, ducibus et optimatibus populi sui ad se evocatis, "Num," inquit, "mea detrimenta et damna non consideratis? Nonne videtis gentes advenas regis adolescentis insipienter huc advenisse, iam iamque super nos exercere dominium firmo animo decrevisse? Qui huc usque mea magna potentia fuistis fortes et liberi, sicine nationibus alienis tolerabitis[1] esse subiecti? Ne

Gwinbert offers to kill Æthelbert.

[1] *tolerabitis*] tolerabilius, MS.

patiamini, viri fortes, hanc vobis illatam contumeliose iniuriam: opprobrio deputabitur æterno, extraneæ gentis in vos excipere disciplinam. Qui vult, vindicaturus omne genus nostrum accedat, meque larga manu pecunias infinitas erogante præmia meritis condigna, quæ ad sua secum reportet, accipiat. In tantum enim per manum apprehendat, et prudenter in triclinium meum regem inprudentem ut amicus inducat; ingressusque cum fuerit domicilium, mortis ex abrupto patietur supplicium." Prosilit statim e medio Gwinbertus, homo malignitatis spiritu inflammatus, urgentibusque ardentis avaritiæ stimulis agitatus, "Assum," inquit, "gloriose rex, si vis, facturus quod præcipis, accepturus autem quod promittis, quoniam in populo totius regni tui neminem poteris reperire, quem ad hoc exequendum negotium liberius ad te queas arcessere. In domo etenim patris sui per quindecim annorum tempora altus atque educatus moraliter extiti, et post mortem Æthelredi filio eius Æthelberto obsequio strenuæ probitatis adhæsi. Nemo umquam ei familiarior, nemo amicior fuit, solusque ego maxime votis illius concordavi. Quo maioris erant pretii regalium donorum insignia, quo præclariora videbantur consularis gloriæ ornamenta, quanto magis appretiabantur cuiuscunque generis munera meliora, anuli, armillæ, lapides pretiosi, sericæ vestes, auro et argento radiantes enses et clipei et pleraque instrumenta militaris negotii, tanto mihi instantius ab illo erant oblata, tametsi animo plura appetentis recusata. Postremo factis et seditione et homicidio in patria aufugi ad te in terra aliena; et ecce, quia magis confidit in me quam in ceteris fortibus viris potentiæ tuæ, propter aurum per te mihi copiosa manu recompensatum caput eius tibi cedet in præmium." Accepta autem pecunia proditor infaustus exivit, et iniquitatem quam conceperat expeditius egit.

CONTINUATIO. *Ubi Æthelbertus ad regis thalamum invitatur.*

Gwinbert summons Æthelbert into Offa's presence.

UT enim tuba vocis eius ad eum pertingere potuit, Gwinbertus regem Æthelbertum clamore huiusmodi appellavit. "Optime advenisti, princeps desiderabilis; prospera tibi cuncta sint, adolescens spectabilis. Quicquid petiturus accessisti, nequaquam difficulter obtinebis, et quod animo deliberasti ad votum gratanter explebis. Ea loquitur dominus meus; hoc pollicetur rex meus; eadem tibi delegari imperat princeps meus. In accubitu quippe suo regem Offam invenies, et cum resideris coram eo, quælibet postulata cum amore percipies. Perendie enim minuit sanguinem nec audet diei admittere claritatem. Introeamus proinde ambo pariter ad aspectum tyranni, adventus tui causam illi quantocius expondituri; sitque procul a nobis quæque frequentia." [Fecit vir] Dei secundum consilium viri sanguinis et dolosi, atque equo desiliens proditorem suum bracchiis et manibus festinavit amplecti. E converso ille pacis ei osculum familiarius tradidit, sed cordis perfidiam, quæ post patuit, non ostendit. Traditor autem ille ocius præcessit, traditus vero subsequi properavit, et post eos obseratur ianua, quæ ceteris advenientibus esse solet aperta. Cum ad ostium thalami in quo rex erat cum maxima congratulatione accederent, et uterque introire iam iamque alter alterum prævenire studerent, proditor animi simplicitatem, qua carebat, sola linguæ blanditia simulans,[1] et iniquitatem cordis dolosi nulla nota malignitatis ostentans, "Depone," inquit, "quæso, rex Æthelberte, balteum militiæ et gladium suspen-

[1] *simulans*] similans, MS.

sum[1] lateri quolibet in loco reconde, quoniam ad tyrannum nemo intrare valet armatus, nisi velit ut hoc idem rex ulciscatur iratus." Fecit velociter amicus Dei quod inimicus eius consuluit ei. Ingressus est enim rex sanctus cum proditore suo; proditor vero deliberabat in animo suo innocentem virum nocenter damnare, et se in loco Judæ Scariotis infeliciter subrogare.

CONTINUATIO. *Ubi Æthelbertus captus ligatur.*

Æthelbert is pinioned.

UT autem vir Domini Æthelbertus thalamum intravit, statim captus præcipitur ligari et ante conspectum infausti principis sine mora præsentari. Ostia et ianuæ omnia recluduntur, duces eius et consules intro non admittuntur. Sola caro beati viri ibi sine adiutorio morietur, sed beata anima Christo adiutore ad cœlestia subvehetur. Stat beatus Æthelbertus quasi agnus mansuetus ad victimam veram, habens in humilitate patientiam. Commendat Domino Deo suo animam suam, ut in misericordia sua suscipiat eam, et per temporales pœnas præsentis vitæ dolores queat evadere infelicitatis æternæ. Deinde vero palam omnibus ingemuit, et huiusmodi verba cum inmensa utique pietate profudit. "Non est in homine via eius, multaque ei ex insperato possunt accidere, quæ sibi accidentia nequaquam frequenter solet æstimare. Heri et nudiustertius eram securus et liber, nec thalamus adhuc regius erat mihi carcer; necdum eram manicis ferreis oneratus. Nunc sto miserabiliter catenis vinculatus: tenebræ, quæ me tanta[2] caligine involverunt, hanc mihi mortis horam Deo terminante prodiderunt:

---

[1] *suspensum*] supremum, MS. | [2] *tanta*] tanto, MS.

sol dum suos radios retraxit, huius vitæ lucem mihi subtractam esse signavit. Sperabam petitionis meæ bonum præstolari eventum, et ecce! in compedibus diris meipsum considero crudeliter astrictum. Tanquam latro ac prædator alicuius pecuniæ expecto sententiam damnationis meæ." Dum hæc et huiusmodi plura vir Domini intermisceret, tyrannus non ferens diutius vivere quem vellet iam olim in morte dormire, "Quid, ministri mei," inquit, "expectatis? quid opus desideratum non acceleratis? Irruite velociter in eum et crudeliter perficite imperium meum." Cum hæc sanctus martyr audiret, intimo cordis affectu cum magna devotione oravit ad Deum, et se ante iustitiam eius peccatorem esse cognovit et reum. Et quod ore et labiis minus personare potuit, defæcatæ mentis pura intentione supplevit.

CONTINUATIO. *Ubi Æthelbertus a Gwinberto decollatur.*

ACCURRENS interdum Gwinbertus diabolico spiritu exacerbatus et avaritiæ funibus totus circumligatus, cum furentis ardoris impetu in sanctum Dei irruit, et suo ipsius gladio gloriosum caput amputavit. Sed benedictus Deus, qui non derelinquit sperantes in se, qui in sanctis suis semper est mirabilis et in universis operibus suis gloriosus atque laudabilis, innocentem animam per sanctos angelos suos ad gaudia sempiterna subvexit, et inter innocentes innocentiæ veste in regno protexit. Tali enim modo rex et martyr Æthelbertus innocenter extinctus accepit coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Hoc tandem detestabile factum cum ad commilitones occisi regis pervenisset, ante lucem recesserunt ab aula, ne de ipsis simile iudicium fieret metuentes. Offa quoque rex Merciorum

Gwinbert beheads Æthelbert.

de commisso facinore lugens in cœnaculo sese reclusit, ac per tres dies cibum non gustavit. Missa tamen expeditione non modica regnum Orientalium Anglorum suo imperio copulavit. Sanctus autem Æthelbertus diu inhoneste tumulatus omnibus latebat incognitus, donec corpus eius cœlesti lumine declaratum a fidelibus inventum et apud Herefordensem delatum civitatem nunc sedem episcopalem miraculis exornat et virtutibus illustrat. Caput vero beati regis et martyris Æthelberti solidum ac cerebro incorrupto plenum in ecclesia beati Petri Westmonasterii prope Londoniam in quodam pretioso scrinio argenteo et deaurato ac beryllis et aliis diversis lapidibus pretiosis operose insertis usque in hodiernum diem honorifice conservatur.

Æthelbert's shrine in St. Peter's, Westminster.

Cap. LXV.

De Egfrido et Kenulpho regibus Merciorum.

Rog. Wend. i. p. 262; Matth. West. A.D. 797, p. 291.

Egfrid, Offa's son and successor, confirms the grants to St. Alban's.

Offa Merciorum rege mortuo successit ei in regnum Merciorum filius eius Egfridus, iuvenis egregius et animi nobilitate præditus. Protinus cum fuisset in regno confirmatus, pia patris imitatus vestigia ecclesiæ beati Albani protomartyris Anglorum terras multas et possessiones devotus contulit, illasque cum omnibus aliis quas pater eius ecclesiæ præfatæ contulerat cum omnibus libertatibus regiis, quas liberiores habet vel alicui ecclesiæ conferre potest, suo privilegio confirmavit. Et eius donatio ut perpetuæ firmitatis robur optineret iuxta morem ecclesiæ Romanæ omnium episcoporum comitum et baronum totius imperii sui subscriptionem[1] et signum crucis apposuit. Et præterea in omnibus patris cupiditatem declinans, quæcunque ille ad exaltationem regni sui ex diversorum possessionibus

[1] *subscriptionem*] subscriptione, MS.

monasteriorum attenuaverat, ille prona devotione restituit et sub privilegio cunctis id petentibus roboravit. Ad petitionem quoque Adhelardi Cantuariensis archiepiscopi emollitus, dignitates ab archiepiscopo Lambritho, ut prædictum est, amissas libenter restituisset, nisi mors inmatura illum de medio sustulisset. Nam centesima et quadragesima prima die post exitum patris sui defunctus omnibus regni sui nationibus causam præbuit magni doloris. Unde nec arbitrandum reor quod iuvenis adeo nobilis mortuus sit propter peccata sua, sed quia pater eius pro regni sui confirmatione sanguinem multum effudit.

Egfrid dies 141 days after his father.

CONTINUATIO. *De Kenulpho rege Merciorum.*

EGFRIDO autem Merciorum regi defuncto successit in regnum Merciorum Kenulfus, vir magnificus, Cuthberti filius et trinepos Wibbæ regis, qui regnavit viginti quattuor annis. Huic regina sua Alfritha genuit Kenelmum postea sanctum et filias Quendritham et Burgenildam. Iste Kenulphus nulli ante se regi potentia vel religione impar, in primis magnus vir et virtutibus famam supergrediens, nihil quod livor digne carperet umquam admisit. Domi religiosus, in bello victoriosus; vir cuius laudes merito nitentur in altum, quamdiu æquus arbiter in Anglia invenietur; laudandus tum regni sublimitate, tum mentis humilitate qua enituit amplissime; parum faciens rex mundanum in sua provincia supercilium, dum modo antiquitus statutum non transgrederetur tramitem canonum. Nam accedentes ad eum Æthelardus Cantuariensis et Eanbaldus Eboracensis archiepiscopi super amissam Cantuariensis ecclesiæ dignitatem regem convenerunt. Qui ab ipsis quantum nefas in mutilatione Cantuariensis

Kenulph 24 years king of Mercia.

Rog. Wend. i. p. 263; Matth. Westm. A.D. 797, p. 291. Will. Malm. i. 87, p. 119 fin., and 95, p. 130.

Rog. Wend.; Matth. Westm. ll. cc.

He restores the see of Canterbury

to its old dignity.

diocesis antecessor eius Offa rex commisisset edoctus,[1] antiquitatis morem devotissime reparavit. Missis igitur ad Leonem papam Adriani successorem sua et omnium Anglorum pontificum epistolis, ipso archiepiscopo Æthelardo legationem gnaviter fungente, quod petiit impetravit. Regalis vero epistolæ partem, simul et pontificalis, apponere dignum reor. "Domino beatissimo et vere amantissimo Leoni, sanctæ et apostolicæ sedis Romanæ pontifici, Kenulphus Dei gratia rex Merciorum cum episcopis et ducibus et omni sub nostra dicione dignitatis gradu, sincerissimæ dilectionis in Christo salutem. Gratias omnipotenti Deo semper agimus, qui ecclesiam suo pretioso sanguine adquisitam inter diversas mundi huius procellas novis semper, prioribus ad vitam sumptis, suescit ducibus ad portum salutis adtrahere eamque nova luce infundere, quatinus nullo sit tenebrarum errore fuscata, sed viam veritatis inoffenso pede gradiatur. Unde merito omnis per orbem exultat ecclesia, quia cum omnium verus Remunerator bonorum gloriosissimum gregis sui pastorem Adrianum perpetuo remunerandum super æthera duxisset, suis tamen ovibus pia erexit providentia prævium qui scit ovile Dominicum ad caulas non inferius vitæ agitare. Nos quoque merito, quos extremitas orbis tenet, eodem modo præ ceteris gloriamur, quia illius sublimitas nostra salus est, illius proceritas nobis perennis exultatio; quia unde tibi apostolica dignitas, inde nobis fidei veritas innotuit. Quapropter opportunum arbitror tuis sanctis iussionibus aurem obedientiæ nostræ humiliter inclinari, et quæ tuæ pietati rite nobis sequenda videantur toto nisu implenda, quæ vero rationi contraria deprehensa fuerint citius declinanda ac interim a nobis omnimodis resecanda. Sed modo ego Kenulphus gratia Dei rex excellentiam tuam hu-

Will. Malm. i.87, 88, p. 120, seq.

Kenulph's letter to pope Leo.

[1] *edoctus*] eo doctus, MS.

milis exoro, ut te sine offensione animi vestri de profectu nostro, ut optamus, liceat alloqui, quatinus in gremium me pietatis tuæ tranquilla pace percipias, et quem meritorum nulla facultas erigit, larga benedictionis tuæ ubertas ad plebem suam regendam locupletet, ut una mecum gentem quam vestra apostolica auctoritas fidei rudimentis imbuit, per intercessionem tuam contra impetus exterorum Omnipotens erigat, et per se regnum, quod ipse Deus dedit nobis, dilatare dignetur. Hanc benedictionem omnes qui ante me sceptro præfuere Merciorum meruerunt ab antecessoribus tuis adipisci; hanc ipse humilis peto et a vobis, o sanctissimi, impetrare cupio, quatinus in primis adoptionis sorte me tibi filium suscipias, sicuti te in patris persona diligo et totis obedientiæ viribus semper amplector. Decet enim inter tantas personas fides sancta servari, inviolata caritas custodiri, quia paterna pietas filiorum felicitas in Deo esse credenda est secundum illud Ezechiæ:[1] 'Pater filiis notam faciet veritatem tuam, Domine.' In quibus verbis te, amande genitor, imploro ut filio tuo tam si indigno veritatem Domini tuis verbis sacrosanctis notam facere non deneges, ut per tuam sanam eruditionem Deo adiuvante ad melioris vitæ propositum merear pervenire. Quinetiam, dulcissime, cum omnibus episcopis nostris et cuiuscunque apud nos dignitatis persona deprecor, uti nobis de multimodis inquisitionibus, super quis maximam subtilitatem vestram dignum duximus perquirere, benigne respondeas, ne sanctorum traditio patrum et ab illis tradita nobis regula quasi incognita per aliquid vitietur in nobis; sed sermo tuus directus nobis in caritate et mansuetudine veniat, ut per Dei misericordiam profuturum in nobis percipiat fructum. Primum namque est quod pontifices nostri ac peritissimi quique in nobis

[1] Is. xxxviii. 19.

dicunt, quod contra canones et apostolica statuta quæ nobis a patre beatissimo Gregorio dirigente statuta sunt, sicut vos scitis, auctoritas Doruernensis metropolitani in duas scinditur parochias; cuius, eodem patre mandante, dicioni subiacere debent episcopi duodecim, sicut per ecclesias nostras legitur in epistola, quam fratri et coepiscopo Augustino direxit de duobus Londoniæ et Eboracæ metropolis episcopis, quam etiam apud vos haberi non dubitamus. Sed ipse primum pontificalis apex, qui tunc Londoniæ sub honore et ornamento pallii fuerat conscriptus, pro eo Dorovernensi[1] oblatus est atque concessus. Nam quia beatæ recordationis Augustinus, qui verbum Dei imperante Gregorio ministrabat et gloriosissime ecclesiis præfuit Saxoniæ, in eadem civitate diem obiit, et corpus illius in basilica beati Petri apostolorum principis, quam successor eius Laurentius sacravit, conditum fuisset, visum est cunctis gentis nostræ sapientibus, quatinus in illa civitate metropolitanus honor haberetur, ubi corpus pausat, qui his partibus fidei veritatem inseruit. Cuius itaque, sicut vos scitis, dignitatis honorem primum rex Offa propter inimicitiam cum venerabili Lambrighto et gente Cantuariorum acceptam avertere et in duas parochias dissipare nisus, et piissimus coepiscopus et antecessor vester Adrianus rogatu prædicti regis facere cœpit, quod prius nemo præsumpsit, et Merciorum præsulem pallio extulit. Neutrum tamen ex his culpamus, quos Christus, ut credimus, æterna victoria triumphat. Sed tamen excellentiam vestram humiles exoramus, quibus a Deo merito sapientiæ clavis collata est, ut super hac causa cum sapientibus quæratis, et quicquid vobis videatur, nobis postea servandum rescribere dignemini, ne tunica Christi inconsutilis alicuius inter nos dissensionis schisma patiatur,

---

[1] *Dorovernensi*] Doroversi, MS.

sed per vestram sanam doctrinam, ut desideramus, ad veræ pacis unitatem dirigatur. Magna enim humilitate simul et dilectione hæc tibi scripsimus, papa beatissime, clementiam tuam profusius precantes, quatinus ad ea quæ a nobis necessario explicita sunt, benigne et iuste respondeas; sed et illam epistolam, quam Æthelardus archiepiscopus coram cunctis provincialibus episcopis nostris multiplicius de suis ac totius Britanniæ causis et necessitatibus tibi scripsit, pio amore perscrutari digneris, et quicquid de rebus quæ in ea scripta sunt fidei normula poscat, pagina nobis veritatis patefacere memineris. Ergo præterito anno legationem meam etiam et episcoporum per Wadan abbatem misimus. At ille accipiens illam legationem, segniter, immo insipienter, deduxit. Sed modo tibi modicum amoris gratia munus per Brine presbyterum et Fildas et Ceolberht ministros meos, pater amande, mitto, quod est, centum viginti manculas cum litteris, precans te ut benigne suscipias, et benedictionem tuam nobis donare digneris. Omnipotens Deus te longævo tempore ad laudem suæ ecclesiæ custodiat incolumem."

CONTINUATIO. *Epistola Leonis papæ directa Kenulpho regi Merciorum.*

"DOMINO excellentissimo, filio Kenulpho, regi Merciorum provinciæ Saxonicæ, Leo papa. Veniens ad sacratissima limina beatorum apostolorum Petri et Pauli, tam orationis vota fideliter solvens, quamque nostræ apostolicæ sedi causam sui sacerdotii suggerens, reverentissimus et sanctissimus frater Æthelardus archiepiscopus Doruernensis ecclesiæ obtulit nobis vestræ regalis excellentiæ syllabas, quibus in duabus epistolis a vobis directis plenis fidei rectæ magnam humilitatem

Pope Leo's reply to Kenulph. Will. Malm. i. 89, p. 124.

vestram reperientes, omnipotenti Deo referimus grates, qui vestram prudentissimam excellentiam in omnibus ornavit ac decoravit erga beatum Petrum apostolorum principem et nobiscum habere dilectionem et in omnibus apostolicis humiliter consentire censuris. Porro in una ex illis epistolis reperimus, qualiter gratia nostræ apostolicæ functionis, si iuxta fuissetis, animam vestram pro nobis posuissetis benigne; immo et nostræ prosperitati multum in Domino congaudeatis, et quando nostræ dulcissimæ admonitionis litteræ ad vestræ unanimitatis perveniunt aures, cum omni suavitate cordis et gaudio spiritali quasi filii paternum munus suscipere fatemini. Fatebatur et hoc, quod aliquantulam ex vestra facultate benedictionem nobis offerri demandastis, id est, centum viginti manculas, quas cum amore pro animæ vestræ salute suscepimus. Et prædictus archiepiscopus cum sociis suis honorifice ac benigne a nobis susceptus est, et adiuvari eum in suis necessitatibus libenter fecimus. Interea credentes vestræ prudentissimæ excellentiæ, ubi ferebatur in ipsis tuis regalibus apicibus, quod nostris apostolicis sanctionibus nullus Christianus contra ire præsumit, ideo totis nisibus nostris ea quæ tuo regno expediunt emittere atque prædicare conamur, ut ea quæ nobis prælatus frater noster Æthelardus archiepiscopus, seu tota synodus evangelicæ atque apostolicæ doctrinæ sanctorumque patrum necnon prædecessorum nostrorum pontificum canonica censura prædicante vestræ regali excellentiæ, seu cunctis principibus gentis vestræ et universo populo Dei, edisserit, nequaquam in orthodoxa eorum doctrina quippiam resistere debeatis, Domino ac Redemptore nostro in evangelio dicente, ubi ait:[1] 'Qui vos recipit, me recipit: et qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.'

---

[1] S. Matt. x. 40, 41.

Quanto magis pro ipso sæpe dicto archiepiscopo, quem nobis valde nimisque collaudastis, sicuti et est videlicet clarissimus, dignissimus, carissimus, atque peritissimus, et quia illum scitis prudentem, bonis ornatum moribus, Deoque et hominibus dignum. Ecce, fili dulcissime et amantissime atque præstantissime, rex bone, in his tuis assertionibus collaudamus Deum omnipotentem, qui talem vobis demonstravit antistitem, qui, sicut verus pastor, indicere verbis secundum doctrinam sanctarum scripturarum dignam pænitentiam valet, et eruere qui sub dicione sacerdotali eius existunt, animas eorum ex inferno inferiori et ab igne inextinguibili. deducens eos et infra deducens in portum salutis, et offerre pro illis hostiam dignam et immaculatam in conspectu Divinæ maiestatis omnipotenti Deo. Et quia multum nobis prænominatus archiepiscopus in omni sanctitate sua et vitæ conversatione ultro citroque placuit, valde nimis ei credentes ex auctoritate ei beati Petri apostolorum principis, cuius vel inmeriti vices gerimus, talem præbuimus præsulatum, ut si quispiam ex subiectis suis tam regibus et principibus, quamque universo populo transgressus fuerit dominica mandata, excommunicet eum usque pæniteat; et si impænitens fuerit, sit vobis sicut ethnicus et publicanus. De vero Æthelardo iam facto archiepiscopo Doruernensis ecclesiæ, sicut nobis poposcit vestrorum præsulum excellentia, ut ei iustitiam faceremus, de diocesibus suis tam episcoporum quamque monasteriorum, quibus illicite, ut cognovistis, expoliatus est, et a venerabili sede eius, quas dudum tenuit, ablatæ sunt, nos per omnia enucleatius trutinantes in sacro scrinio nostro repperimus sanctum Gregorium prædecessorem nostrum in ipsa sancta sede omnia in integro, ipsam parochiam numero duodecim Augustino syncello suo archiepiscopo tradidisse et confirmasse episcopos consecrandi. Unde et nos veritate ipsa reperta, ordinatione seu confirmatione nostra, apostolica auctoritate eas illi

in integro, sicut antiquitus fuerunt, constituentes reddidimus, et privilegium confirmationis secundum sacrorum canonum censuram ecclesiæ suæ observandum tradidimus."

CONTINUATIO. *De munificentia regis Kenulphi.*

Will. Malm. i. 95, p. 131. Matth. Westm. A.D. 798, pp. 292.

Kenulph takes captive and afterwards sets free Eadbert king of Kent.

MEMORATUS rex Merciorum Kenulphus contra Cantuaritas successivum ab Offa rege antecessore suo suscipiens odium regionem illam valde afflixit, eamque hostiliter perlustrans prædatus est, regemque eorum Eadbertum cognomine Wren sive Spren viribus sibi imparem comprehendit, et vinctum secum cum victoria abduxit. Sed non multo post humana miseratione mollitus solvendum curavit. Nam non multo post apud Wynchescumbam, ubi ecclesiam Deo ædificaverat,[1] quam etiam sollemniter fecerat dedicari, ipsa die dedicationis et consecrationis ecclesiæ prædictæ regem captivum ad altare manumittens libertate donavit, memorabile clementiæ suæ spectaculum exhibens. Aderat ibidem munificentiæ regiæ applausor Cuthredus, quem prædictus Kenulphus rex in regem præfecerat Cantuaritis loco Eadberti regis supradicti. In sollemnitate vero præfatæ dedicationis ac propter dicti regis Kenulfi munificentiam basilica plausibus resonabat, platea discursibus fremebat, quod ibi in conventu tredecim episcoporum et decem ducum, nullus largitatis passus est repulsam, dum singuli refectis marsupiis hinc abibant. Nam præter illa exennia quæ optimates susceperant, inæstimabilis scilicet pretii et numeri, in utensilibus, vestibus, equis electissimis, omnibus qui agros non habebant libram argenti, presbyteris marcam auri, monachis

Kenulph's generosity.

---

[1] *ædificaverat*] edicaverat, MS.

solidum unum, et postremo multa universo populo erogavit. Monasterium quoque præfatum tam magnis et tantis ampliavit redditibus, quod hoc tempore incredibile videatur.

CONTINUATIO.

PRÆDICTUS etiam rex magnificus Kenulphus erga beatissimum Petrum principem apostolorum specialem gerens devotionem, ecclesiam regalem eiusdem beati apostoli in loco qui Westmonasterium nuncupatur in occidentali parte Londoniæ sitam, quam idem apostolus in sui ipsius proprium in Spiritu dedicavit honorem, multis ampliavit possessionibus ac honoribus et privilegiis extulit diversis. Kenulphus igitur post plura gesta præclara ab eodem facta anno regni sui vicesimo quarto, anno Dominicæ incarnationis octingentesimo vicesimo primo obiit, corpusque eius apud Winchecombe in monasterio quod ipse a fundamentis construxerat, sicut prædictum est, accepit honorabilem sepulturam tanti principis meritis condignam. Successit ei in regnum Merciorum Kenelmus filius eius, sicut suo loco inferius dicetur.

Kenulph's liberality to St. Peter's, Westminster.

Death of Kenulph, A.D. 821, anno regni 24.

CONTINUATIO. *De Eardulpho rege Northumbrorum.*

Sim. Dunelm. an. 798. p. 669 e. Matth. Westm. p. 292.

PER idem tempus rex Northumbrorum Eardulphus in loco qui Billingho dicitur prœlium commisit contra Wade ducem et alios quosdam conspiratores suos; sed demum multis hinc inde interfectis rex regaliter victoriam optinuit ex hostibus supradictis.

Eardulph, king of Northumbria, defeats Wade.

Matth. Westm. A.D. 830, p. 294.

CONTINUATIO. *De persequtione Danorum.*

A.D. 830. Invasion of the Danes. Death of Alhmund.

ANNO Domini octingentesimo tricesimo exercitus Danorum paganorum nefandissimus ecclesias de Hercenes et de Tynemuth crudeliter spoliavit et cum spoliis ad naves recurrit. Eodem anno Alhmundus filius Alcredi regis a tutoribus Eardulphi regis Northumbrorum apprehensus est, eiusque iussione cum suis profugis interfectus.

CAP. LXVI.

Will. Malm. ii. 106, p. 145.

De Egbrighto Westsaxonum rege.

Egbert, king of Wessex. At Offa's court.

BRIHTRICO Occidentalium Saxonum rege defuncto, Egbrightus sive Egbertus, regis Inæ de fratre Inegildo abnepos, amplo apud suos loco natus et ingenue educatus a pueritia inter Westsaxones emicuit. Continuatio virtutum incendit invidiam, et quod[1] fere a natura comparatum est ut[2] reges iniquo intuitu aspiciant, siquos in spem regni adolescere videant, Brithricus, ut prædictum est, suspectum habens memorandæ indolis iuvenem, e medio tollere cogitabat. Quod Egbrightus præsentiens ad Offam regem Merciorum fuga lapsus est. Quem dum ille sedula diligentia obumbraret, consequti sunt Brihtrici nuntii qui perfugam ad supplicium repeterent, habentes in manibus traditionis pretium. Accedebat quod suo regi filiæ ipsius postulabant nuptias, ut genialis tori fœdus perpetuas inter eos con-

---

[1] *quod*] quo, MS. | [2] *ut*] et, MS.

tineret amicitias. Ita Offa, qui bellicis minis non cederet, ad blanditias conivente, Egbrihtus transnavigato mari Franciam venit. Quod Dei consilio factum intelligo, ut vir ille ad tantum regnum electus regnandi disciplinam a Francis acciperet. Est enim gens illa et exercitatione virium et comitate morum cunctarum occidentalium facile princeps. Hac igitur contumacia Egbertus usus est, qua detrita inertiæ rubigine aciem mentis expediret, et mores longe a gentilicia barbarie alienos indueret. Itaque defuncto Brithrico frequentibus suorum nuntiis Britanniam reversus, moxque imperare iussus, patriæ desideriis satisfecit anno Dominicæ incarnationis octingentesimo. Confirmatus igitur in regnum Westsaxonum Egbrihtus, quod de re militari in Galliis didicerat, suis subditis tam plebanis quam liberis infudit, fortes et agiles ordinavit milites, ac tempore pacis arma portari fecit. Interea Egbrihtus, cum clementia et mansuetudine subiectorum amorem redemisset, prima virium documenta in Britones, qui eam insulæ partem quæ Cornubia dicitur inhabitant, viriliter exercuit, eosque subiugavit et dictam provinciam suo adiecit regno, multis hinc inde interfectis. Quibus subiugatis Aquilonales Britannos, qui a prædictis bracchio maris dividuntur, tributarios fecit. Deindo vero rex Egbrihtus sive Egbertus omnes Britannorum fines pervagando penetrans ab Aquilone usque in meridiem igne accumulato spoliavit, et eos sibi faciens tributarios ad propria remeavit. Cumque rex Egbertus prædictus vidisset sibi prospera cuncta succedere, misit Æthelwlfum filium suum cum Æthelstano Scireburnensi episcopo et consule Wihardo cum electa manu pugnatorum in Cantiam, qui regem Ealdredum ultra flumen Tamense fugantes regnum Kantiæ cum Southsexia Egberto regi subdiderunt. Quo etiam tempore Orientales Angli regem Egbertum in patronum et dominum susceperunt. Provincia etiam Southreiæ

Egbert in France.

Recalled and raised to the throne, A.D. 800.

Matt. Westm. A. D. 809 etc. p. 296.

Subdues Cornwall, and Wales.

Will. Malmesb. II. 106. p. 147.

Subjugation of Kent and Sussex.

Matt. Westm. A.D. 827. p. 299.

Submission of East

Anglia and Surrey. Bernulph, king of Mercia, defeated at Helleldone. Will. Malmesb. ii. 106. p. 147. Matt. Westm. A.D. 825. Egbert subdues Northumbria.

Egberto regi sese dedit. Harum victoriarum fama cum reliquos territaret, Bernulphus rex Merciorum, tumidum quid spirans gloriosumque arbitratus, si audacia sua ceterorum metum demeret, studiaque Egberti deridens bellum indixit, rigideque Egberto imperat, ut sibi faciat homagium. Egbertus vero damnum ducens si cederet, denegato homagio alacriter cucurrit ad bellum; consertaque pugna fugit Bernulphus miserabiliter victus. Factum est hoc bellum apud Helleldone, iuxta Wintoniam. Cumque rex Occidentalium Saxonum Egbertus sive Egbrihtus omnia australia Angliæ regna optinuisset, exercitum grandem in Northumbriam ducens provinciam illam gravi depopulatione contrivit, regemque Eandredum statuit sub tributo.

Death of Bernulph. Will. Malm. ii. 107. p. 148. Rog. Wend. A.D. 826. p. 275. Rog. Wend. A.D. 828. p. 276.

Nec multo post Orientales Angli auxilio Egberti regis animati Bernulphum regem Merciorum trucidarunt, eo quod regnum illud ut suum a tempore Offæ regis invadere et sibi vendicare temptaret. Ludecanius etiam, Bernulphi successor, eadem sorte vitam finivit, ab Orientalibus Anglis pro causa, qua et suus prædecessor Bernulphus, modo consimili interfectus. Withlawius, Ludecanii successor, a rege Egberto expulsus annis tribus exulavit, ac postea in fidem tributariam acceptus principatum Westsaxonum ampliavit.

Reduction of Essex.

Eodem quoque tempore prædictus rex Egbertus Swithedum, regem Orientalium Saxonum, debellavit et a regno fugavit. Swithedo quoque rege fugato regnum Orientalium Saxonum reges Westsaxonum tenuerunt.

Of Wales. Rog. Wend. A.D. 830. p. 271. Egbert's conquests.

His ita gestis Egbertus, rex potentissimus, exercitum ducens in Walliam copiosum Walenses omnes cum regibus suis dicioni suæ spontanea voluntate subiecit. Tantis et talibus victoriis Egbertus insignitus regna Merciorum, Cantuariorum, Northumbrorum, ceteraque Anglorum regna quæ in octo extiterant divisa in unum compingens Westsaxonum regno univit, cepitque Legecestriam, quæ est Urbs Legionum, super Britones usque tunc a Britoni-

Ra. Higden. Polychr. p. 252.

bus possessam. Deinde convocatis proceribus suis apud Wintoniam coronatus est rex totius Britanniæ, ubi edictum fecit, ut ab illo die omnes Saxones et Juti vocarentur Angli, et insula vocaretur Anglia. Egbertus denique unus ex octo regibus fuit, qui totam insulam usque ad mare Gallicum subiugatam possedit. Ita tota Britannia potitus reliquum vitæ per annos novem tranquille cucurrit, nisi quod extremis fere diebus manus Danorum piratica littoribus eius appulsa otium regni fœdavit. Ita versatur humanarum rerum alea, ut primus omnibus Anglis imperitans cognatorum obsequium posset parvi pendere, dum externus hostis se suosque non sineretur incessere. Exercitus enim Danorum piraticus[1], postquam apud Dunemutham victi et fugati fuerunt, Schepeiam, id est, Ovium Insulam, deprædati sunt. Applicuerunt enim ibidem pagani illi cum navibus triginta quinque, et spoliata insula illa navigaverunt et applicuerunt[2] in loco qui Carrum nuncupatur; prædis ibidem et spoliis vacantes, nulli sexui pepercerunt. Unde rex Egbertus ingenti exercitu congregato contra prædictos paganos vexilla direxit et arma. Sed Dani post nimiam hinc inde illatam stragem alea belli prævaluerunt. Ceciderunt itaque inter ceteros Herefridus Wintoniensis et Sigelmus Schireburnensis episcopi cum ducibus Duda et Esmundo. Quo facto Walenses cum Danis iunctis viribus igne et ferro regnum Egberti invadentes castella eius et municipia diruere satagebant. Quo audito, rex Egbertus cum exercitu copioso hostibus occurrens maximam ex obstantibus stragem fecit, et tandem Danos cum Walensibus damnosam inire fugam coegit, patriamque ab hostium irruptione liberavit. Ac non multo post idem rex Egbertus novum Danorum adventantem exercitum contritione gravi conterens

His coronation.

Anglia.

Will. Malm. ibid.

Danish invasions.

Rog. Wend. and Matt. Westm. A. D. 833 and 834.

Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 835 and 836.

[1] *piraticus*] piraticū, MS. | [2] *applicuerunt*] applicunt, MS.

Death of Egbert.

Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 837.

Will. Malmesb. ibid. p. 149.

in fugam convertit. Postremo rex Occidentalium Saxonum Egbertus, expletis in regno annis triginta septem et mensibus septem, ex hoc sæculo transiens apud Wintoniam sepulturam accepit, magnas laudum occasiones heredibus relinquens, felicesque fore pronuntians, si regnum quod multa texuerat industria ipsi consueta genti illi non interrumperent ignavia. Successit autem Egberto regi Æthelwlfus filius eius, quem quidam Aldulphum appellant, viginti annis et quinque mensibus, de quo suo in loco inferius plura dicemus.

Cap. LXVII.

De sancto Kenelmo rege Merciorum.

Cf. Acta Sanctorum Jul. 17 (Vol. iv. p. 297, seq).*

Death of Kenulph, king of the Mercians, A.D. 819, anno regni 24.

His son Kenelm succeeds to the throne. an. æt. 7.

Kenulphus, rex Merciorum piissimus, anno Domini octingentesimo nonodecimo, imperii vero sui vicesimo quarto, migrans ad sidereum regnum, et, sicut præmisimus, apud Winchecombam sepultus, Kenelmum filium puerum septennem paterno affectu reliquit heredem. Erant autem Kenelmo regiæ germanæ duæ, Quendritha quæ postea fraternum sanguinem hausit, et Burgenhilda quæ fratrem sororia affectione dilexit. Puer Kenelmus inter candida Anglorum pignora speciosus forma et illustrante superna gratia amabilis Deo et hominibus florebat ætatula: præventus a Deo spiritu dilectionis ac benignitatis multis charismatibus gratiarum apparebat filius divinæ adoptionis. Hunc ævo parvulum sed animo ac pietate magnificum in regem elegerat amor populi sui iuxta natalicium privilegium et testa-

* This account is fuller than that given from Capgrave by the Bollandists, but agrees with it in substance.

mentum patris Kenulphi. At Quendritha, sævo livore et regnandi ambitione stimulata, insidiabatur illi ut Herodias Johanni, ut Heliæ Jezabel, ut Caim Abel. Quem cum veneno non posset extinguere, eius nutricium et procuratorem intimum, nomine Askebertum, quia non est perniciosior[1] pestis quam familiaris amicus, ingentibus præmiis et spe consortis imperii armat in fraternum iugulum. Tali modo invicem consiliati absconderunt laqueos, intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectum corde. Quendritha, Kenelm's sister, plots against his life.

CONTINUATIO. *De visione quam vidit in somnis beatus Kenelmus.*

Ea tempestate vidit per somnum claram visionem Dei hostia Kenelmus, quam cum suspirio retulit nutrici suæ degenti Winchescombæ, habenti gratiam interpretationis et intelligentiæ, nomine Wlwenne. "Visum est," inquit, "mihi, o mater carissima, quod ante cubiculum meum arbor staret altissima usque ad sidera. Me vero videbam stare in eius arduo vertice, unde late poteram omnia aspicere. Erat autem pulcherrima et late effusis ramis spatiosa, ab imo ad summum omnibus floribus refertissima. Videbam quoque innumeris luminaribus et lampadibus totum ardere, mihi vero tres partes huius terræ prona curvari devotione. Cumque de tanta specula mirarer visionem, quidam meorum subter irruentes succiderunt arborem et illa cecidit ingenti ruina. Ego vero protinus efficiebar avicula candida et libero volatu penetravi æthera." Vix eloqutus erat alter Josephus visionem, cum nutrix pectus tundens talem erupit in vocem. "Heu me!" inquit, Kenelm's vision.

[1] *perniciosior*] pernicior, MS.

fili mi dulcissime, heu lactatio et nutrimentum meum suave! ergone insidiæ tuorum, ergone maligna consilia sororis et nutricii tui prævalebunt adversum te? Heu, quam timeo arborem illam succisam indolis tuæ præsignare iacturam, cum tribus partibus regni subiectis partem [cum] sorore habeas adversam! Verum tamen in avicula, qua penetrabas æthera, intelligitur ascensuræ animæ tuæ gloria." Non hæc terrebant infantem, quia, ut scriptum est,[1] "Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter." Tandem Askebertus, ut ille alter Scarioth, proditor domini sui, rapta occasione sceleris maturandi, Kenelmum adducit in silvam gratia venandi, quasi oblectandum amore studii paterni. Ille imitator Domini sui, ut agnus ductus ad victimam, præsaga mente cruentum hostem comitabatur ad coronæ gloriam. Septem circiter annorum tunc puer fuisse describitur. Ubi vero silvæ appropinquabant, tenellus pusio somno prægravante equo delabitur, ibique recubans securus malorum totus soporatur. Tunc cruentissimus nutricius pro cunis et lectulo fossam parat, in qua eum citius obruat. Verum ubi puer expergiscens consilium prævenit lanistæ, fertur prophetica mente sapientiam parvulis præstante Domino dixisse: "Frustra hanc molitus es mihi speluncam: non enim hic, ut cogitas, sed remotiori loco, ubi Deus providit, occumbam. Unde tibi certum dabit signum hæc virga" (nam virgam manu gestabat et terræ affixerat), "si modo plantata frondeat." Hæc eo pronuntiante statim radicata virga cœpit frondescere. Unde adhuc ingens fraxinus ostenditur, quæ in memoriam beati Kenelmi celebris habetur. Hinc sævissimus carnifex percussus et voce veridica et dira conscientia longius puerum abducit obturata fovea. Est profunda vallis inter duos montes abdita in ipsa silva Clentho dicta. Jam hærentem hostem et diversa

Askebert leads Kenelm into a wood.

Kenelm's prophecy.

Miracle.

Clentho vale.

[1] Prov. x. 9.

petentem secreta mente furiata sic increpare videbatur martyr voce Dominica: "Quod facis, fac citius." Ibi igitur sub arbore spinea caput Kenelmi lacteum septennis, ut dictum est, parvuli absciditur, quod ipse protinus extensis palmulis excepisse memoratur, quo velut lilium aut demessa rosa gratificatur, ut in conspectu Domini mors pretiosa sancti sui commendetur. Hinc et lactea columba aureis pennis transvolasse æthera merito creditur, qualis ipse sibi avicula in superiori visione videbatur. Asseritur etiam quod iam decollandus sacrum hymnum "Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur," inceperit, atque in illo versu, "Te martyrum candidatus laudat exercitus," iugulatus occubuerit. Ilico autem impius percussor cæsum innocentem terra obruit, nequiquam[1] ratus quod illa deserti vastitas scelus suum absconderet, cum Veritas clamet, "Nihil opertum, quod non reveletur." Denique qui cœlo teste erat martyrizatus, cœlo teste est declaratus: quatinus fulgida lucis columna ab æthereis arcibus sæpe videretur super eum effusa. Quem etiam ab humana notitia abscidere nitebatur inhumanitas beluina, illum prodebat hominibus peculialis diligentia. Nam candida bos cuiusdam, ut fertur, viduæ relicta publica pascua ab alto monte ad infimum sepulti monumentum decurrit, ibique inseparabilis adhæsit, mira videlicet oblectatione divinitus attracta et allecta, ut nullius inde avelli posset instantia sive inventa, sive ignota. Quotiens vero nota stabula domi repetisset plena, totum armentum duplo lactis superabat copia: tam salubri circa sanctam glebam pascebatur herba et gratia. Miroque modo quod vesperi detonsum erat, recrescente virore mane abundantius inveniebat. Hic autem locus idem Vaccæ Vallis appellari assuevit.

Kenelm is beheaded. **A pillar of light on his grave.** **A cow discovers the grave.** **Vaccæ Vallis.**

At Quendritha empto per fratricidium regno potita, tali edicto omnes terruit, ut siquis Kenelmum requi-

Quendritha forbids search for Kenelm.

[1] *nequiquam*] ne quisquam, MS.

reret vel indicaret vel etiam nomen loqueretur, sine dilatione capite plecteretur. Hinc de cœlo indicabant clara luminaria et in terris quodammodo muta loquebantur animalia, nec muttire audebat humana ignavia, et gemitum extincti domini premebant ab indictione terrifica. Verum præfulgida lucerna, quæ obfuscatur in Anglica patria, clarius emicuit in arce mundi Roma, quatinus latius diffunderet illa excellentia quod claudebat angusta invidia. Nam cum Silvester papa missarum sollemnia innumerabili populo astante celebraret, ecce columba super nivem candida desuper palam omnibus apparuit, quæ niveam membranam aureis litteris Anglice inscriptam blando rostro ferens, super altare beati Petri deposuit, sicque in altum sublata disparuit. At sacer apostolicus cum tremore respiciens novam schedulam ignotis verbis ac litteris editam, populum diversarum nationum ad beatum Petrum confluum obtestatur, quatinus indicarent, si quis inter eos aliquid huius epistolaris relationis cognovisset. Intererant tot terrarum conventibus plerique Angli, sive Mercii sive in Anglica[1] schola a superioribus Anglorum regibus Romæ ordinata constituti, sive ab ipsa Anglia recenter adventicii. Ab his recitatur sacra epistola, cuius interpretatio est ista. "In Clentho Vaccævalli "Kenelmus regius natus iacet sub pino capite truncatus." Tum vero obnixius papa insistente, postposita feminearum minarum terrore, Angligenæ cives omnia suo ordine et signa super eum visa exposuere. Dehinc memoratus papa mittit cum Anglis fidelibus legatos cardinales cum litteris et potestate apostolica ad archipræsulem Doroberniæ ceterosque pontifices Anglorum. Ipsum quoque cœlitus allatæ epistolæ mittit indicium, quatinus de indigno latibulo in ecclesiam Deo placitam probabilem Dei martyrem transfer-

A dove deposits on the altar of St. Peter's at Rome a scroll, bearing in English an account of Kenelm's murder.

Cf. Ra. Higden Polychron. p. 253. Matt. Westm. and Rog. Wend. A.D. 821.

[1] *Anglica*] Anglia, MS.

rent Kenelmum in patrocinium multorum venerandum. Itaque ad auctoritatem apostolicam et archipræsulis potentem gratiam tota plebe Merciorum conspirante, excipitur sacrum corpus Kenelmi martyris cum superna laude, quatinus transferretur ad beatum genitorem suum Winchecomb, ubi idem Deo amabilis rex requiescit in templo quod ipse Dei genetrici regaliter condidit ac regiis opibus extulit, cum ibi firmaverit oppidum muro cinctum. In assumptione autem almifluæ glebæ ab ipsa eius spelunca a repente fons sacer emersit, qui hactenus in rivum effluit et multis inde gustantibus salutem impendit. Cum ergo efferretur e silva, confluente cum patribus maxima multitudine, detentus est in itinere, ubi plurima turba cæcorum, surdorum, claudorum, diversorumque languorum undique annitens curata est. Cum autem asportaretur a populo provinciæ Gloucestriæ, occurrit armatus populus Wygornensis provinciæ, obstititque ad vadum Piriford, quatinus illum pretiosissimum thesaurum a Glauestrensibus, nisi ultro cederent, in castrum Wigornense auferrent. Altercantibus autem utrisque partibus, sicut quondam Turonicis et Pictavis pro beati Martini corpore, complacuit tandem ut populus [qui] in crepusculo sequentis diei prior evigilasset, sacratissimum Kenelmum quasi divinitus datum sibi auferret. Itaque Glauestrenses vigilantiores iam quinque miliariis cum sacra gleba evasere, antequam Wigornenses possent expergiscere. Tunc vero accensi ira et rubore insequntur tota animi celeritate. Quos ubi eminus respexere fugitivi, invocato suffragio ducis Kenelmi per angustam semitam inter frutecta protegentia excurrere anheli. Iamque in conspectu monasterii Winchecombensis fuga, labore, sitique gravissima defessi subsederunt cum sancta gleba respiraturi. Nec prodire ausi, poscebant se tanti patroni præsentia remediari. Continuo vero fons erupit sub quadam petra; qua ablata totus cœtus salutem bibit et processit. Fons autem hactenus in amnem decurrit.

Kenelm's body is disinterred.

The men of Gloucester and Worcester contend for the relic.

Quendritha's eyes fall out.

Stabat tunc Quendritha in solario occidentalis ecclesiæ beati Petri, quam viæ spatium dirimit ab atrio monasterii. Quæ respiciens a monte decurrentem multitudinem cum triumpho fraternæ gloriæ, ira et indignatione felle cœpit tabescere. Acceptoque psalterio quodam præstigio studuit non cantare pro illo sed incantare contra illum centesimum octavum psalmum, quatinus a fine ad caput, ab ultimo versu ad primum, pervertendo eum fraternæ felicitati efficeret perniciosum. Verum in ipsam redundavit maledictum suum. Cum enim a a fine ascendendo hunc versum ore volverit venefico: "Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum, "et qui loquuntur mala adversus animam meam;" continuo sibi utrique oculi suis sedibus extirpati decidere super ipsam quam legebat paginam. Adhuc autem ipsum psalterium argento paratum huius correptionis præbet indicium in eadem serie lapsorum orbium cruore maculatum. Ipsa vero infelix post paululum interiit, quam ferunt nec in ecclesia, nec in atrio, nec in campo sepultam posse teneri, sed quendam infantem lucidissimum apparentem cuidam iussisseque in quodam profundo semoto proici. Regius vero martyr Kenelmus paterno monasterio Winchecoumbe cum altisonis laudibus infertur, ubi ipsum patris monumentum sancta memoria celebratur, et ipse filius innumeris ibi signis tunc et deinceps exhibitis hostia cognoscitur sanctitatis. Quibus ab antiquitate cœlo reconsignatis, exequamur pauca ex multis.

Kenelm is buried at Winchecoumbe.

CONTINUATIO. *De miraculis post l. mortem beati martyris Kenelmi ipsius meritis a Deo factis.*

SUB rege Cnuto vir prædives Esgotus, nomine Digera, Danus natione, partem terræ adiacentem ruri beati Kenelmi in Neventuna suæ possessioni ad Cudintone moliebatur adiungere, ubi collecto provincialium

placito Godwinus tunc abbas beatum Kenelmum medium intulit iudicio. Judicatur ergo ut ille præpotens cum triginta quattuor paribus optimatibus suum ius probet sacramento super sanctum præsentis Kenelmi corpus iurando. Cumque ille in abbatem probrosus ad iusiurandum sese proriperet, subito clara Dei virtute repulsus retrogradus abscessit, et quasi vasto ictu obrutus supinus concidit. Tunc omnis ille conventus coram sacro feretro humi affusus veniam flagitavit, ipsique suam partem incunctanter adiudicavit. Adversarius vero ut amens domum deductus non diu supervixit, et qui unam sancti possessiunculam inique auferre temptavit, omnia possessa cum sæculo iure perdidit. Miracle.

CONTINUATIO. *Item aliud miraculum.*

ITEM quidam notissimus nomine Godwinus, cum de collecto censu plebis calumniaretur in placito provinciali habito, iuravit per sanctum Kenelmum se nunquam inde quicquam vel ad quattuor nummos defraudasse; statimque mutus factus reatum suum tacendo prodidit, quem loquendo defenderat, totaque plebs silentio cognitum fraudatorem corripuit. Another miracle.

CONTINUATIO.

EA tempestate iusserat ex more sacerdos in Pelintona festum beati Kenelmi intermissis operibus celebrari. Quod cum audisset eidem villæ præsidens matrona, uti recumbebat ad prandium in ipso die festo, typho superbiæ refutavit, atque indignantia verba in sanctum retorsit, nec quicquam operis intermitti tumido fastu imperavit. "Pro Kenelmo," inquit, "nescio quo fructum diei perderemus?" Vix eloquta erat, et utrique oculi super mensam cecidere Another miracle.

excussi, ut supra indignæ martyris sorori. Tum vero sera pænitentia cum luctu et ululatu inclamat sanctum Kenelmum, eiusque cum omni reverentia feriari rogavit diem festivum. Merito autem omnium dierum respectum perdidit, quæ unum diem Dei dilecti despexit. Porro boves ipsius, qui eodem die iugabantur ad vehicula, omnia lora et iuga excutientes ita dispersi sunt ut deinceps inveniri non possent.

CONTINUATIO.

Another miracle.

CELEBERRIMUM quoque est in Herforda quomodo fabro in eiusdem sollemnio proterve operanti inhæserit malleus dextræ et forceps sinistræ palmæ, vel molam rotanti ministro ad acuendam falcem ita ligno incluso manus coaluerit, ut solvi cuneis et malleis impellentibus nequierit, magisque teneretur quam teneret. Votis vero factis requirendo sancto retinacula quidem cessisse, sed clausos pugnos artius impressis ungulis palmæ, donec ad sanctum medicum veniretur, perdurasse. Conspexere inde præsentes fratres impactis digitis manum contractam, iamque luminaribus oblatis sancto Kenelmo integre reparatam.

CONTINUATIO. *Item in ipsius natalicio.*

Another miracle.

CUM ex tota Anglia ad eius festa annuo usu confluerent, cæcus natus, Leoflius nomine, ibidem sancti martyris suffragia postulabat, cum ecce! raptus in ecstasi coram ipso corruit, totoque volutabatur et impingebatur vestibulo, anhelis vocibus clamitando, "Sancte Kenelme, parce mihi! quid me sic crucias?" Interea contemplatur puerum, ut postea referebat, speciosissimum ac splendidissimum sibi assistere duo sidera præfulgida manu gestantem et ea oculorum

sedibus sibi imprimentem. Nec mora: reversus ad se reseratis oculis profluente sanguine hausit diem; mirabatur ignotas rerum species, mundi amplitudinem, lucis nitorem. Pro quo abbas Godwinus cum fratribus grates Deo immolat excelsis laudibus.

CONTINUATIO.

SIMILITER alius advenerat mutus a nativitate altor canum et assecla venationum Alfrici viri clarissimi, qui in vico Adstretel mansitabat. Hic quoque eodem die decidens in excessum mentis vidit fulgido decore parvulum cum cereo flagrante sibi advenire, atque ita ardentem in os sibi patulum impingere, sicque exiliens loquebatur recte, quæque prius tantum poterat audire, iam valebat referre. Testabatur autem dominus suus, qui a parvulo norat, quod nunquam antea loqutus sit, et quod canes in venando ad sui oris sonitum licet inconditum assuefecerit. Another miracle.

CONTINUATIO.

ALIUS nihilominus mutus ad gradum presbyterii velut amens hac illac iactabatur, et miserabiliter sanctum Kenelmum inclamabat ut sibi misereretur. Isque redditus loquelæ coram prædicto abbate et fratribus turbisque frequentibus in laudem Dei omnes compulit, qui in sanctis suis gloriosus existit. Interrogatus autem ab ipso monasterii patre, quid angustiæ sibi fuisset, cur ita volutatus succlamasset, iurabat se nihil sensisse, nihil prorsus scire, nisi quod excitatus a quiete redditus sit facundiæ. Another miracle.

CONTINUATIO.

DEBILEM quoque repentem per humum canatis truncis [quos] alligaverat genibus pro cothurnis pedalibus, Another miracle.

(et calceatis ligno poplitibus nitebatur pro gressibus. Scabellula pro bacillis suppeditabant manibus, et ægre sustentabant labile corpus) videres hominem ad cœlestia contemplanda sublimatum peccati condicione in reptile conversum. Igitur coram beato Kenelmo tota die uniformiter genuflexus aut genu progressus implorabat multis comptum salutis munus. Verum transacta sollemni die, cum iam sequenti diluculo pararet discedere desperando, subito corripitur miraculo. Rumpuntur fortia lora lignorum, excutiuntur hinc inde ligneæ conchæ genuum, surgit de trunco vir procerus in statum suum. Unde omnes cantant Domino in sancto suo laudis hymnum.

Continuatio.

Another miracle.

Alio quoque tempore venerat illuc quidam Saxonicus ferro ventrem accinctus, per visum de tam longinquo in Angliam ad beatum Kenelmum, ut ipse referebat, venire iussus, nimirum apud ipsum solvendus. Quindecim autem diebus anticipaverat eius nataliciam sollemnitatem, postulans speratam ipsius absolutionem. Jam vero instantem celebritatem attentioribus vigiliis et orationibus exercebat, utpote qui hanc sibi maxime remediabilem expectabat. Sed expectandus est Dominus donec misereatur, qui non nostro, sed suo qui nos fecit, arbitrio nobis salutem operatur. Itaque finita illa luce sollemni, obtenebrescere cœpit in advena lux præsumptæ fidei. Mane, cum discedere salute iam desperata pararet, valedicens sancto cum alto clamabat suspirio, "O beate Kenelme, cœlitus mihi revelate et in liberationem promissam de tam longinquo quæsite, quomodo mihi tandem lente et expectate, derelinquis me, ut sine spe remedii cogar abscedere?" Tali modo eo conquerente statim ferreus nexus eius confractus dissiliit, et absolutus reus

cum venia peccatorum in gratiarum actionem se salvatori prostravit. Cui exesum et liventem uterum molli cera abbatis refovit benignitas, donec rediret sanitas. Excusso etiam ferro ab alterius bracchio medietas circuli supra chorum fratrum evolavit, reliqua vero medietas inveniri non potuit.

CONTINUATIO.

SED quia lux tanto clarius, quanto vicinius conspicitur, oculis et manu fidei proximius[1] attrectentur nuper patrata miracula. De proxima villa Suderham ante altare beati Kenelmi pater illatum filium proiecit ita contractum, ut calcanei natibus infixi et manus hinc inde hærerent lateri, nec poterant nisi portando moveri loco. Is ergo, abbate Godrico vespertinam antiphonam in evangelio incipiente, absolutus subita virtute cunctis aspicientibus supra pedes stetit, et manus in gratiarum actione Deo extendit. Another miracle.

CONTINUATIO.

QUODAM autem tempore placuit patri monasterii et fratribus quatinus ad antiquum suæ passionis locum revisendum deferretur beatus Kenelmus. Cum hospitarentur in oppido Wik, illustrissimi viri Osberti filius sursum versis oculorum pupillis visibusque latentibus sub palpebris velut in nube stellis cæcus aderat. Qui orans ibi ad sanctum Kenelmum utraque acie in rectum conversa protinus attigit lucis gaudia. Another miracle.

CONTINUATIO.

IPSA vero nocte omnibus somno oppressis, candela ardens super altare coram apposito sancti corpore de Another miracle.

[1] *proximius*] proximus, MS.

candelabro cecidit, diuque super pallia et linteamina altaris ac si super siccum lapidem arsit. Cumque monachi ceterique ministri expergefacti ad tantam negligentiam suam exilissent, invenerunt candelam ad mensuram ulnæ favilla signante conflagratam, raptimque levantes candelam excussa favilla viderunt omnia illæsa, nullam prorsus incendii vel cerei fluoris maculam habentia. Quis tunc in tanto populo tacere Dei præconia poterat in martyre suo?

CONTINUATIO.

Another miracle.

IN Clentum vero delatus locum monumenti sui tertio miraculo celebrat. Nam ibi puellam terræ tenus inclinatam gratia Salvatoris erexit, secundum illam videlicet curvam in evangelio restitutam.

CONTINUATIO.

Another miracle.

QUIDAM miserabiliter a nativitate contractus erat, talos videlicet natibus impressos manusque retortas adeo ut digiti retrorsum bracchiis inhærerent. Hunc frater suus carnalis sanitatis gratia per plerasque deportaverat ecclesias, sanctorum requirens suffragia. Summo tandem cum labore pervenit Romam, sancti Petri cum lacrimis expetens beneficia. Nec cessit ei in vacuum tanti itineris perrexisse spatium. Edocetur enim per somnium ut in patriam cito redeat, locum vocabulo Winchecoumba adeat, et a sancto martyre Kenelmo fratris sui salutem obtineat. Quod gratanter accipiens, laboremque spe salutis parvi pendens, debilem fratrem illuc a Roma detulit et ante altare deposuit. Cumque summa cordis intentione sanctum martyrem uterque depoposcerat, debilis sopore depressus puerum speciosissimum de altari vidit descendere, aureaque

virga quam manu gestabat se tangere, et ut surgeret imperare. Ilico mirum in modum qui nisi alienis nunquam loco motus est, supra pedes suos stetit cursuque veloci bracchiis extentis altari superincumbens infantem prædictum sanatorem suum, ut ipse postea retulit, visus est apprehendere. Postquam enim virga salutis eum tetigerit, visus est illi velociter altare conscendere, scriniumque quo sacra eius ossa requiescunt intrare. Qua de re valde lætantes qui aderant, Deum in sanctis suis mirabilem collaudabant. Vir autem ille omnium membrorum plenissime vigore percepto plurimis postea mansit annis, habens semper cicatrices patulas in natibus ubi calcaneos infixos habuerat.

CONTINUATIO.

Ra. Higden Polychr. A.D. 820. p. 253.

Successors of Kenelm.

SUCCESSIT autem sancto Kenelmo in regno Merciorum Colwlphus patruus suus, duobus annis. Qui postea de regno Merciorum expulsus Bernulphum habuit successorem quattuor annis. Quo Bernulpho ab Orientalibus Anglis, sicut præmisimus, interfecto, Ludecanius eidem successit eadem sorte qua et suus prædecessor interfectus, prout superius prælibavimus. Cui successit Whitlawius, qui continuo a rege Egberto expulsus annis tribus exulavit. At postea Withlawius in gratiam Egberti receptus suscepit ab Egberto regnum Merciorum, ut illud de eo teneret sub tributo.

Matt. Westm. and Rog. Wend. A.D. 828 and 830.

CAP. LXVIII.

De causa Danicæ afflictionis.

Rog. Wend. p. 280. Matt. Westm. p. 301.

The Danish invasion provoked

NUNC igitur ad plagam maximam et horribilem pervenimus, ut peccatis exigentibus per Danos Angligenis

by the sins of the nation. nationibus illata est. Libet eiusdem cladis causam ad cautelam futurorum breviter legentibus intimare. In Hen. Hunt. v. Prol. p. 736. b. Anglorum quidem ecclesia primitiva religio clarissime resplenduit, ita ut reges et reginæ, principes ac duces, consules et barones ecclesiarumque rectores cœlestis regni desiderio succensi monachatum, spontaneum exilium, vitam solitariam certatim appetentes, relictis omnibus Dominum sequerentur. Processu vero temporis adeo in eis omnis virtus emarcuit, ut nulla gens proditione vel fraude eis consimilis videretur. Nec erat eis invisum aliquid nisi pietas et iustitia, nec honor nisi bella plusquam civilia,[1] et sanguinis effusio innocentum. Misit ergo eis Deus omnipotens gentes paganas et crudelissimas, velut apum examina, quæ ne quidem sexui muliebri aut parvulorum parcerent ætati, Danos scilicet et Norwegenses, Gothos et Swathedos, Wandalos et Fresos, quis ab exordio regis Ethelwlfi, de quo nunc in proximo dicemus, usque ad Normannorum adventum, per annos ferme ducentos triginta terram hanc peccatricem a mare usque ad mare et ab homine usque ad pecus deleverunt. Siquidem Angliam crebro et undique invadentes, non eam subiugare ac possidere, sed prædari et perdere satagebant. Ibid. p. 736. a. Qui si aliquando vincerentur, non proficiebant Angli, cum alibi classis maior et exercitus ex inproviso et subito adveniret. Nimirum dum modo reges Anglorum in plagam regni orientalem contra illos tenderent pugnaturi, antequam turmis appropinquassent hostibus, dicens nuntius advolabat: "Quonam, rex, iter sumis? Ecce nunc classis paganorum innumerabilis ex australi parte regni littora occupans, urbes et villas prædans ferro quæque sibi obvia et incendio conflagravit." Nec minus ideo rumor huiusmodi ab oriente vel occidente aut aquilone superveniens omnem indigenis

---

[1] Lucan. i. 1.

spem salutis ademit. Sicque tot malis ac rumoribus sinistris reges cum subiectis cordibus dissecantes contra hostiles incursiones dubium certamen inibant. Unde contigit ut quandoque cives, quandoque vincerentur et hostes.

CAP. LXIX.

De Ethelwlfo sive Adulfo rege Westsaxonum.

REX Occidentalium Saxonum Egbertus sive Egbrihitus expletis in regno annis triginta septem et mensibus septem, ex hoc sæculo transiens, apud Wintoniam, sicut prædiximus, sepulturam accepit. Cui succedens Æthelwlfus, quem quidam Adulphum vocant, viginti annis et quinque mensibus imperavit. Hic Æthelwlfus aliquando beato Helwistano Wentano præsuli tradebatur educandus, a quo et diaconus effectus est; tandem iubente papa ad regnum Westsaxonum assumptus est. Qui ex regina sua, nomine Osburga, quattuor filios inclitos generavit, quorum primus dictus est Eadbaldus, secundus Ethelbertus, tertius Ethelredus, quartus Alfredus sive Aluredus, qui omnes post patrem per ordinem regnaverunt. Quintum habuit filium, nomine Ethelstanum, non de matrimonio generatum, cui pater Æthelwlphus omnia regna quæ eius genitor Egbertus potenter adquisierat contulit, Occidentalium Saxonum solummodo ipse contentus regno. Nam natura erat lenis, et qui sub quiete degere, quam multis provinciis imperitare mallet. Buredum regem Merciorum, Bertulphi successorem, contra Britones iuvit. Nam dictus Buredus, Merciorum rex, filiam regis Occidentalium Saxonum Æthelwlphi uxorem accipiens in regno confirmatus est. Celebratæ sunt quoque nuptiæ in villa regia quæ Chippenham appellatur, ubi puella Ethelwitha reginæ nomen promeruit.

Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 837.

Æthelwlf or Adulph, Egbert's son and successor. Ra. Higden, p. 253.

His sons.

Æthelwlf resigns all his dominions, except Wessex, to Ethelstan.

Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 852.

Bured, king of Mercia, Æthelwlf's son-in-law.

Will. Malmesb. ii. 108. p. 150.

Piratas vero Danorum per totam insulam vagantes et inopinatis appulsionibus littora omnia infestantes, non semel per se et duces suos contudit; quamvis, ut est fortuna bellorum, ipse in eisdem frequentes et insignes calamitates acciperet, Londonia et omni pæne Kantia vastata, obsistebat tamen semper ærumnis consiliatorum regis vivacitas, qui nihil umquam hostes inpune delinquere paterentur, quin communi umbone in eos ulciscerentur. Habebat enim duos suo tempore præcellentes præsules, beatum Swithinum dico Wintoniæ, et Alelstanum Schirebourniæ. Hi videntes regem crassioris et hebetis ingenii, admonitionibus ad scientiam regnandi stimulabant. Swithinus nauseans[1] dominum ad cœlestia informabat: Alestanus, forensia quoque non negligenda ratus, eundem contra Danos animabat, ipse pecunias fisco sufficiens, ipse exercitum componens. Multa per illum in talibus et inchoata constanter et terminata feliciter, qui annales legerint, invenient.

Incursions of the Danes.

Matt. Westm. Rog. Wend. A.D. 839.

Sævientibus igitur in Anglorum exitium Danis paganis, Herebertus comes apud Marsmiarum contra dictos paganos pugnavit. Ubi Danis vincentibus et suis bellatoribus fugientibus, idem comes occubuit. Deinde paganorum exercitus per Orientales Angliæ partes, id est, per Kantiam et Estangliam, hostiliter perrexit, ubi turbam innumerabilem interfecit. Eodem quoque tempore et idem pagani Lindissæ depopulati sunt regionem. Quo facto Danorum nefandissimus exercitus terram Angliæ profundius ingredientes circa Doroberniam et Rofecestriam ac Londoniarum civitatem multitudinem hominum maximam utriusque sexus peremerunt. Eodem tempore rex Westsaxonum Æthelwlfus apud Carrum contra gentem Danicam pugnavit, sed Dani victoriam sunt adepti. Dux vero Cianulphus[2] cum Sumersetensibus et dux Osricus cum Dorsetensibus et Alstano Schireburnensi episcopo apud Petheredes-

Matt. Westm. Rog. Wend. A.D. 841.

Matt. Westm. Rog. Wend. A.D. 842.

Matt. Westm. Rog. Wend. A.D. 844, 845.

[1] *nauseans*] in terrenis n. Will. Malmesb.

[2] *Cianulphus*] Earnulphus, Matt. Westm., Rog. Wend., etc.

muth contra Danos pugnantes maxima ex hostibus strage facta victoria potiti sunt. Athelstanus etiam episcopus et consul Altherus apud Sanwicum contra paganorum invisum exercitum prœlium conferentes, novem puppes maximas occupantes ceteras compulerunt in fugam. Matt. Westm. Rog. Wend. A.D. 846.

CONTINUATIO. Asser. de reb. gestis Ælfr. p. 469 a. Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 849.

ANNO Domini octingentesimo quadragesimo nono natus est Æthelwlpho regi Occidentalium Saxonum filius in provincia Bercensi, in villa regia quæ Wanetinge appellatur, quem in sacra baptismatis regeneratione vocavit Alfredum. Mater vero eius, sicut prædiximus, Osburga dicebatur, femina satis religiosa, nobilis genere et ingenio, quæ filia erat Aslaci, famosi pincernæ regis Æthelwlphi. Ortus enim erat ex Gothis et Juthis de semine duorum fratrum, Stuphi scilicet et Withgari. Hi potestate accepta ab avunculo suo rege Westsaxonum primo Wectæ insulæ et Kenerico consobrino eorum paucos Britones, quos eiusdem accolas invenerunt, in loco qui Wihtgaresburih, id est, Burgum Withgari, dicitur, peremerunt, atque deinceps insulam illam, ut supra dictum est, occupatam possederunt. Birth of Alfred. A.D. 849.

CONTINUATIO. Asser. p. 469. b. Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 851.

MAGNUS paganorum acervus cum navibus trecentis quinquaginta in ostium Thamensis fluminis veniens, Doroberniam, id est Cantuariam, depopulatus est, et regem Merciorum Bernulphum, qui contra paganos ad pugnam venerat, propulerunt in fugam. Post hæc autem audaciores effecti cum omni multitudine sua in Suthreia convenerunt. Quod a rege Westsaxonum Invasion of Kent and Surrey by the Danes.

Their defeat at Acle. Rog. Wend. and Matt. A.D. 853. Æthelwlf and Burehd subdue the Welsh.

Æthelwlpho cum fuisset compertum, magno exercitu congregato cum filio suo Ethelbaldo in loco qui Acle dicitur conserto prœlio paganos fugavit et superavit, ac eos inaudita cæde maceravit. Deinde rex Westsaxonum Æthelwlfus et rex Merciorum Burehdus, qui filiam regis Æthelwlfi nomine Ethelfwitham, sicut prædiximus, accepit uxorem, mediterraneos Britones bello vicerunt et suæ dicioni sumpserunt.[1]

CONTINUATIO.

Generosity of Æthelwlf.

REX vero Æthelwlfus futuri certe generis sui splendidissimum caput et de qua sanctissimi fructus orirentur et pretiosissima radix fuit. Hic in regno terreno semper meditabatur cœleste, ut manifeste daretur intelligi, eum non victum cupiditate, sed caritate provocatum, alienæ necessitati regnando consulere, non suæ voluntati dominando satisfacere. Erat enim pater orphanorum et iudex viduarum, ecclesiarum defensor, propagator monasteriorum. Eleemosynæ sane sic operam dabat, ut totam terram suam pro Christo decimaret, et partem decimam per ecclesias monasteriaque divideret.

CONTINUATIO.

Æthelwlph and Alfred visit Rome.

PRÆDICTUS autem rex Æthelwlphus post triumphatos hostes regnumque compositum cum honore maximo multoque apparatu Romam profectus, duxit secum Alfredum sive Aluredum filium suum iuniorem, quem ceteris omnibus plus dilexit, ut a papa Leone quarto moribus pariter et religione informaretur ibidem. Qui etiam optulit sancto Petro tributum quod Anglia

[1] *sumpserant*] submiserunt. Matt. Westm. Rog. Wend.

pensitat in hodiernum diem. Perendinansque ibidem anno integro loca sancta frequentabat, vigiliis et orationibus vacans, eleemosynas multas erogans; sed et ecclesiis beatissimorum apostolorum Petri et Pauli ipsique summo pontifici pro regia munificentia plurima largitus est dona, scholamque Anglorum, quæ ab Offa rege Merciorum primitus fuerat instituta et proximo anno conflagraverat, egregie reparavit; fecitque magnificus Westsaxonum rex Æthelwlfus filium iuniorem Alfredum tunc a papa Leone in regem coronari. Atque post annuam peregrinationem ad patriam rediens, duxit Juditham filiam Caroli Calvi Francorum regis secum in Angliam sibi matrimonio copulatam. Sed interea, dum rex moram faceret in partibus transmarinis, exorta est contra regem prædictum magnatum quorundam conspiratio itaque facta coniuratione ab Ethelbaldo filio regis primogenito et Schireburnensi episcopo Alstano cum Eantulpho Sumersetensis pagi comite, quod a Roma repatrians nunquam reciperetur in regnum. Causa autem bifaria erat; una, quod filium iuniorem Alfredum, quasi aliis a sorte regni exclusis, in regem Romæ [coronaverat][1]; alia vero causa erat, quod spretis omnibus Angliæ mulieribus filiam regis Francorum alienigenam sibi per coniugium copulavit. Audierunt præterea coniuratores prædicti quod contra morem et statuta regum Westsaxonum Judetham Francorum regis filiam, quam nuper desponsaverat, reginam appellabat et in mensa ad latus suum convivari faciebat: gens vero Westsaxonum non permittit reginam iuxta regem sedere, nec etiam reginam sed regis coniugem nominare. Hæc autem infamia ab Eadburga Offæ regis filia, cuius supra meminimus, eiusdem gentis Westsaxonum regina exorta est, quæ virum suum Brithricum regem veneno perdidit, et iuxta regem sedens omnes regni nobiles accusare sole-

Restoration of the English school.

Pope Leo crowns Alfred.

Conspiracy against Æthelwlf.

Judith, daughter of Charles the Bald, queen of Wessex.

---

[1] *om.* MS.

bat, et, sicut alio in loco prædiximus, quos accusare non potuit, potu eos venenifero necare consuevit. Itaque pro reginæ maleficio, sicut superius prolixe tractatum est, omnes coniuraverant, quod nunquam regem super se regnare permitterent, qui in prædictis culpabilis inveniretur. Revertente autem a Roma Æthelwlfo rege pacifico, prædictus filius eius Ethelbaldus cum suis complicibus conceptam nequitiam ad effectum perducere attemptavit. Sed Deus omnipotens non permisit: nam ne forte plusquam civile bellum inter patrem et filium convalesceret, ineffabilis[1] regis clementia omnem conspirationem nobilium et episcoporum cassavit, dividens cum filio suo regnum Westsaxonum antea indivisum, ita ut pars regni orientalis in sortem filii cederet et occidentalis patri remaneret. Et cum tota regni nobilitas pro rege decertare et filium a iure regni depellere vellent, si pater id fieri permisisset, ipse mentis nobilitate ab avaritiæ sese vitio excludens filii sui concupiscentiæ satisfecit. Sicque pater iusto Dei iudicio regnare debuerat, illic filius pertinax et iniquus regnavit. Præterea piissimus rex Æthelwlfus quoddam scriptum libertatis pia ductus devotione universali ecclesiæ concessit Anglicanæ. Cuius tenor talis est: "Æthelwlfus, Dei gratia Westsaxonum rex, universis sub nostro regimine constitutis ad perpetuam rei memoriam, regnante Domino nostro in perpetuum: dum in nostris temporibus bellorum incendia et direptiones opum nostrarum, necnon et vastantium crudelissimas deprædationes hostium, barbararum paganarumque gentium multiplices tribulationes, [ad] adfligendum usque ad internicionem tempora cernimus incumbere periculosa. Quamobrem ego Æthelwlfus rex Occidentalium Saxonum cum consilio episcoporum ac principum meorum consilium atque uniforme remedium affirmavi, ut aliquam portionem terrarum hereditariam, antea possidentibus omnibus gradibus, sive famulis et famulabus Dei, Deo

Æthelwlf resigns the eastern portion of Wessex to his son Ethelbald.

Æthelwlf's charter, granting tithes to the church. Will. Malm. ii. 114. p. 170.

[1] *ineffabilis*] ineffabili, MS.

servientibus sive laicis, semper decimam mansionem, ubi minimum sit, tamen decimam partem in libertatem perpetuam perdonari diiudicavi, ut sit tuta atque munita ab omnibus sæcularibus servitutibus necnon regalibus tributis maioribus et minoribus sive taxationibus, quod nos decimus Witereden; sitque libera omnium rerum pro remissione animarum et peccatorum nostrorum Deo soli ad serviendum, sine expeditione et pontis instructione et arcis munitione, ut eo diligentius pro nobis ad Deum preces sine cessatione fundant, quo eorum servitutem in aliqua parte levigamus.

"Placuit autem tunc postea episcopis Alhstano Schireburnensis ecclesiæ et Swithino Wintancestrensis ecclesiæ cum suis abbatibus et servis Dei consilium inire ut omnes fratres et sorores nostræ ad unamquamque ecclesiam omni hebdomada die Mercurii, hoc est Wodensday, omnis congregatio cantet quinquaginta preces et unusquisque presbyter duas missas, unam pro rege Æthelwlfo, et aliam pro ducibus eius huic dono consentientibus pro mercede et refrigerio delictorum suorum: pro rege vivente, 'Deus qui iustificas'; pro ducibus viventibus, 'Prætende, Domine': postquam defuncti fuerint, pro rege defuncto singulariter, pro principibus defunctis communiter, et hoc sit tam firmiter constitutum omnibus Christianitatis diebus, sicut libertas illa constituta est, quamdiu fides crescit in gente Anglorum."

Masses to be said for Æthelwlf every Wednesday.

Scripta est autem hæc donationis cartula anno Dominicæ incarnationis octingentesimo quadragesimo quarto, indictione quarta, die quoque[1] nonas Novembris, in civitate Wentana in ecclesia sancti Petri ante altare capitale. Et hoc fecerunt pro honore sancti Michaelis archangeli et sanctæ Mariæ reginæ, gloriosæ Dei genetricis, simulque beati Petri apos-

A.D. 844.

---

[1] *quoque*] quinto, Will. Malm.

tolorum principis, necnon et sancti patris nostri Gregorii papæ atque omnium sanctorum. Et tunc ampliore firmitate rex Æthelwlfus posuit cartulam supra altare sancti Petri, et episcopi pro fide Dei acceperunt et postea per omnes ecclesias Angliæ transmiserunt in suis parochiis.

Rog. Wend. and Matt. Westm.

CONTINUATIO.

A.D. 857. ÆTHELWLFUS vero rex pacificus inter alia bona præsentis vitæ studia de suo transitu ad viam universitatis cogitans, ne filii eius post obitum suum inter se disceptarent, hereditariam scribere epistolam imperavit, in qua et regni inter filios Ethelbaldum et Ethelredum, et inter filiam et propinquos ac regni sui nobiles summæ[1] pecuniarum, quæ post se superesset, divisionem ordinabiliter mandare litteris procuravit. Pro utilitate animæ suæ et salute per omne regnum suum semper in decem hedis vel mansionibus pauperem unum indigenam vel peregrinum cibo potu et operimento successoribus suis usque in finem sæculi post se pascere præcepit; ita tamen, ut si terra illa pecoribus habitum daret et ab omnibus[2] coleretur. Romæ autem singulis annis trecentorum denariorum mancusas portari fecit, qui taliter dividerentur ibidem; centum mancusas scilicet in honorem sancti Petri apostolorum principis specialiter ad emendum oleum, quo implerentur omnia luminaria ecclesiæ apostolicæ in vespera Paschæ et tantundem in galli cantu; et centum ibidem mancusas in honore sancti Pauli eisdem de causis; centum præterea mancusas universali papæ præcepit exhiberi ad suas eleemosynas ampliandas. Iste autem rex Deo devotus ante obitum Egberti sive Egbrihti

Æthelwlf's will.

Will. Malm. ii. 113, p. 170. Bequest to the poor,

to the Church of Rome.

[1] *summæ*] summam, MS.

[2] *omnibus*] hominibus. Matt. Westm.

regis patris sui Wentanæ urbis fuerat episcopus ordinatus, sed patre defuncto, licet multum repugnans, rex creatus est, cum non esset alius de regio genere qui regnare debuisset. Tandem cum rex Æthelwlfus illustris regnum Westsaxonum annis septemdecim deligentissime gubernasset, in senectute bona collectus est ad patres suos, regnum certe non amittens sed mutans, temporale deserens et adipiscens æternum. Æthelberto autem filiorum secundo regnum Cantiæ cum Southsexe concessit, et filius eius primogenitus Æthelbaldus in Westsexe pro patre regnavit. Rex vero Æthelwlfus apud Wintoniam sepulturam cum honore regio in ecclesia cathedrali suscepit. De filiis vero et heredibus dicti regis Æthelwlfi suo in loco inferius dicemus.

Death of Æthelwlf, anno regni 17.

Æthelbert, king of Kent and Sussex; Æthelbald, king of Wessex.

Cap. LXX.

De sancto Eadmundo Rege et Martyre.[1]

Capgrave Nov. Leg. cvii. Rog. Wend. and Matt. Westm.

Gloriosissimus rex et martyr Edmundus ex nobili prosapia antiquorum Saxonum originem ducens provinciæ Orientalium Anglorum culmen regiminis suscepit anno ab incarnatione Domini octingentesimo quinquagesimo quinto, anno autem a nativitate sua tertio decimo, die Dominicæ nativitatis, octavo kalendas Januarias. Iste Edmundus atavis regibus editus, cum bonis polleret moribus, omnium comprovincialium un-

A.D. 855. St. Edmund accedes to the throne of East Anglia, Dec. 25. æt. 13. A.D. 855

MS. A, fol. 4.

[1] Compare Edmund's life by Abbo Floriacensis (MS. Cotton. Tib.B. II. fol. 1, seq., here cited as MS. A; also in Surius Act. Sanct. Nov. 20); another life by Osbert de Clare, prior of Westminster, A.D. 1136 (MS. Cotton. Titus A. VIII. fol. 67 seq. here cited as MS. B); a third life in French (MS. Cotton. Domit. XI. 1). His miracles by Archd. Hermann, Tib. B. II. fol. 19 seq.

animi favore, non tantum eligitur ex generis successione, quantum rapitur ut eis præesset sceptrigera potestate. Quem Humbertus antistes unxit oleo consecravitque cum magno gaudio et honore maximo in villa regia quæ Buren dicitur, in ipsa Dominicæ nativitatis die. Erat autem ei species digna imperio, quam serenissimi cordis iugiter venustabat tranquilla devotio. Erat omnibus blando eloquio affabilis, humilitatis gratia præcluis, et inter suos coævos mirabili mansuetudine residebat dominus absque ullo fastu superbiæ. Iamque vir sanctus præferebat in vultu quod postea manifestatum est divino nutu, quoniam puer toto conamine virtutis arripuit gradum, quem divina pietas præsciebat martyrio finiendum. Nactus vero culmen regiminis, quantæ fuerit in subiectos benignitatis, quantæ in perversos districtionis, non est nostræ facultatis evolvere, qui eius minima quo conveniret sermone non possumus expedire. Siquidem ita columbinæ simplicitatis mansuetudine temperavit serpentinæ calliditatis astutiam, ut nec antiqui hostis deciperetur simulatione fraudulenta, nec malignorum hominum reciperet contra iustitiam sententias, rem quam nesciebat diligentissime investigans: gradiensque via regia nec declinabat ad dexteram extollendo se de meritis, nec ad sinistram succumbendo vitiis humanæ fragilitatis. Erat quoque egentibus dapsilis liberaliter, pupillis et viduis clementissimus pater, semper habens præ oculis dictum illius sapientis.[1] "Principem te constituerunt, noli extolli; sed esto in illis quasi unus ex illis." Cumque tam conspicuis in Christo et ecclesia emineret bonorum actuum ornamentis, eius patientiam, sicut et sancti Job, aggressus est experiri humani generis inimicus, qui eo bonis[2] acrius invidet, quo appetitu bonæ voluntatis caret.

His character.

[1] Ecclus. xxxii. 1.

[2] *bonis*] bonis bonis, MS.

Nov. 20. Surius Vit. Sanct. vii. 465. Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 870. Cf. Bromton, col. 804. Causes of St. Edmund's martyrdom. Lothebroc the Dane entertained by St. Edmund.

CONTINUATIO. *De causa martyrii sancti Edmundi.*

QUONIAM in Danorum persequtione gloriosus rex et martyr Edmundus gladiis inimicorum Hinguar et Hubbæ fratrum interfectus occubuit, dignum est hoc in loco referre tanti causam martyrii et unde duces prædicti occasionem nacti fuerint regem piissimum nece adeo crudelissima condemnare. Erat igitur in diebus non longe præteritis in regno Danorum vir quidam de stirpe regia illius gentis progenitus, nomine Lothebrocus. Hic cum duos filios, Hingwar scilicet et Hubbam, ex uxore genuisset, quadam die cum accipitre solus brevem naviculam ingressus, ut in insulis [aucuparetur, in] maris latitudinem raptus diebus aliquot cum noctibus huc illucque deiectus graviter vexabatur. Qui tandem maris pericula perpessus, in Angliam proiectus est et in provincia Orientalium Anglorum, quæ Northfolk ab incolis dicitur, apud Bedham villam applicuit. Qui forte ab hominibus regionis cum accipitre solus inventus regi Estanglorum Edmundo pro miraculo præsentatur, et ab ipso rege propter elegantissimam corporis formam cum honore receptus aliquamdiu in curia eius remansit. Et quoniam lingua Danorum Anglicanæ loquelæ vicina est, Lothebrocus regi narrare cœpit, quo casu in Angliam proiectus fuisset. Placuerunt itaque Lothebroco in rege Edmundo morum plenitudo et militiæ disciplina quam plurimum, simul et curialitas astantium ministrorum, quos regalis industria in omni rerum ornatu et schemate verborum pleniter informavit. Ad hunc quoque Lothebrocus morum disciplinam provocatus rogabat regem propensius ut sibi liceret in eius curia demorari, ut regiis posset plenius instrui disciplinis. Cumque rex Edmundus petitionem eius clementer exaudisset, iunxit se Lothebrocus vena-

tori regis, nomine Berno, ut artem venatoriam in qua fuerat eruditus ad plenum cum ipso frequentaret. Erat enim tam in aucupatione quam in venatorio exercitio gratiosus; unde in avibus simul ac bestiis capiendis pro voto sibi omnia succedebant. Capiebat quicquid volebat, et mensam regis delicatissimis ferculis persæpe ditabat. Et cum fuisset a rege, prout eius gentilitas permisit, dilectus, cœpit venator regis ei graviter invidere, pro eo quod in artibus prædictis ipsum in omnibus superabat. Et mortali invidia contra Lothebrocum succensus, quadam die dum venatum pariter irent, ipsum nequiter interfecit et in densitate nemoris interfectum abscondit. Quo facto accessit venator nequissimus et canes cornicando ad se vocavit. Nutriverat autem Lothobrocus leporarium quendam in curia regis Edmundi, qui ipsum, ut fieri solet, multum dilexit, et venatore cum ceteris canibus recedente, ille solus cum corpore domini sui remansit. In crastino quoque, cum rex sederet ad mensam et inter ceteros commilitones Lothobrocum non vidisset, quæsivit propensius a ministris quid de illo actum fuisset. Cui respondens venator Bernus dixit quod hesterna die, cum de venatu domum rediret, ipse remansit in silva post eum et quod eum postea non viderit profitetur. Sed vix verba compleverat, et ecce leporarius quem nutriverat Lothebrocus domum regiam ingressus omnibus et maxime regi adulante cauda applaudere satagebat. Quem rex cum vidisset, astantibus dixit, "Ecce," inquit, "canis Lothobroci adveniens dominum venientem prævenit." Et præ gaudio rex canem diligenter pavit, sperans per eum eius dominum adventurum. Sed secus contigit quam sperabat: nam ilico[1] cum leporarius satiatus fuisset, reversus est ad dominum suum et iuxta corpus eius consuetas excubias celebravit.

Lothebroc's murder.

[1] *ilico*] iliquo, MS.

Qui iterum post triduum, fame illum compellente, ad mensam regis ingressus denuo reficiendus. Rex vehementer admirans iussit insequi vestigia canis, si recederet ab aula, et diligenter quo pergeret explorare. Factum est autem a ministris ut eis a rege fuerat imperatum: et canem recedentem subsequentes ad Lothobroci corpus exanime sunt perducti. Cumque hæc regi declarata fuissent, perturbatus est vehementer et iussit ut corpus sepulturæ honestius traderetur.

CONTINUATIO. *Ut depopulata Anglia strages hominum sit sequta.*

Surius, Rog. Wend., Matth. Westm., Bromton, ll. cc.

TUNC rex Edmundus diligenti de morte Lothobroci facta inquisitione Bernum venatorem de opere nefando convicit, et iussit a militibus de curia sua adiudicari ac legisperitis quid de homicida foret agendum.[1] At omnes in hoc pariter consenserunt, ut venator in illa navicula, in qua sæpe dictus Lothebrocus in Angliam applicuit, poneretur et in medio maris solus sine omni instrumento navali dimissus probetur, si illum Deus velit a periculo liberare. Itaque venator, iuxta sententiatum fuerat in profunditatem dimissus, post dies paucos in Daciam est proiectus. Qui cum a portuum custodibus inventus fuisset, cognoverunt naviculam Dani quod in illa dominus eorum Lothobrocus consueverat aucupari, et perduxerunt eum ad Hingwar et Hubbam filios Dani in Anglia interfecti, viros potentes et crudeles, qui continuo adhibitis tortoribus exegerunt a Berno quid de patre suo, qui in illa navicula ab eis fuerat subtractus, actum fuisset. Bernus quoque graviter et diu diversis afflictus tormentis, fingens mendacium dixit, quod pater eorum, cum casu appli-

Bern, the murderer of Lothebroc, is cast adrift on the sea,

and carried to Denmark.

He imputes the crime to St. Edmund.

---

[1] *agendum*] agenda, MS.

cuisset in Angliam, a rege Estanglorum Edmundo inventus et ipso iubente fuerat interfectus. At illi prorumpentes in fletum amarissimum, de morte patris sui inconsolabiliter perturbati iuraverunt per omnipotentes deos suos, quod mortem illam non relinquerent inpunitam. Bernum quoque venatorem, qui in navicula patris sui advenerat, constituerunt ductorem suum, ut se in regem Edmundum vindicarent. At deinde congregato exercitu copioso, cum viginti milibus armatorum mare ingressi, versus regionem Orientalium Anglorum vela direxerunt et arma, ut se in regem Edmundum de morte illa penitus insontem ultum irent. Verumtamen ventis[1] in contrarium classem impellentibus in Scotia apud Berewik super Twedam compulsi sunt applicare. Ubi præscriptam depopulationem inchoantes, sæviendo ubique tandem ad Estangliam pervenerunt, et apud villam quæ Thetford dicitur castra metati, quoscunque invenerunt ibi viros ac mulieres in ore gladii peremerunt. Denique cum ibi tyrannus Hingwar iniquissimus ex multitudine interfectorum suam aliquantulum rabiem exsaturasset, quosdam plebeios advocat, quos gladio suo iudicabat indignos, atque ubi rex eorum Edmundus tunc temporis vitam duceret sollicitus investigabat. Fama namque ad eum pervenerat, quod piissimus rex Edmundus viribus et armis esset strenuus, ac in omni corporis dimensione simul et prosperitate incomparabilis: quocirca festinabat quos circumquaque reperit neci tradere, ne multo stipatus militum agmine ad patriæ defensionem sufficere potuisset. Morabatur autem eo tempore gloriosus rex et futurus martyr Edmundus in villa regia quæ Heilesdonum dicebatur, a qua et silva quæ vicina est eodem nomine appellatur, ut a vulgo acceperat prædo nequissimus. Unde accito

[Margin: Lothebroc's sons invade England.]

[Margin: A, fol. 6 a.]

[Margin: Hægilisdun, A.]

[1] *ventis*] ventus, MS.

ad se dolose de commilitonibus uno, eum direxit ad regem mandans ut cum eo thesauros dividat et paternas divitias sub ipso regnaturus. Sed nimis fraudulenter Hingwar thesauros exigebat, qui clementissimi regis caput potius quam pecunias sitiebat. Miles igitur cum volatu citissimo ad regem Edmundum pervenisset, in hunc modum ora laxavit. A.D. 870.

CONTINUATIO. *De nuntio Hingwar ad regem Edmundum misso.*

Abbo Floriac. c. 7; MS. A, fol. 6 b.; MS. B, fol. 71 a.; Rog. Wend. p. 308; Matt. Westm. p. 317.

Hingwar's terms.

"DOMINUS meus ubique metuendus Hingwar rex Danorum invictissimus ad hanc patriam hiematurus advenit. Cuius potentiæ si aspernator extiteris, et vita indignus et regno iudicaberis. Et quis tu tantæ potentiæ insolenter audeas contradicere? Marinæ tempestatis procella nostris servit remigiis, nec removet a proposito directæ intentionis quibus nec ingens mugitus cœli nec crebri iactus fulminum unquam nocuerunt, favente gratia elementorum. Esto itaque cum tuis omnibus sub hoc imperatore maximo, cui famulantur elementa, pro sibi innata clementia quoniam novit piissimus in omni negotio parcere subiectis et debellare superbos."[1]

Abbo, c. 8; MS. A, fol. 7 a.

Edmund consults Bp. Humbert.

Quo audito rex Edmundus sanctissimus alto cordis dolore ingemuit, et advocato Humberto Helmanhensi episcopo, qui ei erat a secretis, quid super his respondere deberet, consulit, dicens: "O serve Dei vivi, Humberte, et dimidium animæ meæ, ecce adventus barbarorum imminet inimicorum, qui dulcem patriam cum suis habitatoribus iam pro parte desolatam, quod

[1] Virg. Aen. vi. 853.

A.D. 870. MS. A, fol. 7 b.; MS. B, fol. 72 a. residuum a nostrorum memoria successorum funditus delere conantur. Ecce barbarus advena districto ense veteribus regni nostri colonis imminet, et quondam felix indigena suspirando gemens tacet. Et utinam in præsentiarum quique vivendo gemerent, ne cruenta cæde perirent, quatinus patriæ dulcibus arvis etiam me occumbente superstites fierent, et ad pristinæ felicitatis gloriam post mortem meam redirent. O[1] utinam occumbente me subiectus mihi populus vivus evadere potuisset! Nam ego pro amore regni temporalis vel lucro vitæ præsentis non me subiciam tyranno gentili, cum pro gente moriens et patria miles possim effici signifer Regis æterni." Cui episcopus: "Quos, rex," inquit, "mihi dilectissime, optas esse superstites patriæ, cum iam hostilis gladius vix aliquem reliquerit in plena urbe? Hebetatis securibus tuorum cadaveribus te destitutum milite veniunt loris constringere. Quapropter, rex dimidium animæ meæ, nisi fugæ præsidio aut deditionis infausto patrocinio præcaveritis, hic statim aderunt proditores nefandi, quorum nefando obsequio pœnas lues, ac te cum tibi subiectis auferre de medio conabuntur." Ad hæc rex clementissimus: "Hoc est," inquit, "quod desidero, hoc omnibus votis antepono, ne supersim meis carissimis fidelibus, quos cum liberis et uxoribus in lecto eorum animas furando perdidit pirata truculentus. Et quid est quod suggeris, MS. A, fol. 8 a. ut in extremis vitæ, desolatus meo satellite, fugiendo gloriæ nostræ crimen inferam, qui nunquam militiæ probra hucusque sustinui, semper delatoriæ accusationis calumniam evitavi, nunquam extiti militiæ proditor aut ignaviæ seu formidinis merui subire flagitium? Et iccirco hoc in animo deliberans finaliter elegi, honeste potius pro patria mori quam pagano iniquissime subdi aut mortem timens ignave fugere, quia

[1] *O*] Oo, MS.

nunc mei proditor ero voluntarius, cui pro amissione A.D. 870.
carorum ipsa lux est fastidio. Est mihi omnipotens MS. B,
rerum arbiter Rex Coelestis, quod nullus me barbaro- fol. 72 b.
rum metus seu vivum seu mortuum separabit a caritate Christi, cuius in confessione baptismatis suscepi anulum fidei, abrenuntiato Sathana et omnibus pompis eius. Qua abrenuntiatione contigit, ut ad laudem et gloriam æternæ Trinitatis tertio mererer consecrari, delibutus ob compendium perennis vitæ sanctificati chrismatis perunctione: primo quidem accepta stola lavacri salutaris; secundo per confirmationem exhibitam maiusculo pontificali signaculo; tertio ubi vestra et totius populi communi acclamatione usus sum hac regni perfunctoria potestate. Sicque unguento mysticæ consecrationis MS. A,
tripliciter irroratus, Anglorum reipublicæ decrevi plus fol. 8 b.
prodesse quam præesse, aspernando subdere colla iugo, nisi Divino servitio. Nunc simulata benevolentia prætendit callidus suæ machinationis muscipulam, qua servum Christi irretiri deliberat, maxime cum promittit quod nobis largitas superna concessit. Vitam indulget, qua necdum careo; regnum promittit, quod habeo; opes conferre cupit, quibus non egeo. Pro his ergo nunc incipiam servire duobus dominis, qui me sub Christo solo vivere, sub Christo solo regnare, præsentibus palatinis devoverim?" Tunc conversus ad eum, Abbo, c. 9.
qui de condicione regni loquturus ab impiissimo Edmund's reply to
Hingwar fuerat missus, "Madefactus," inquit, "cruore Hingwar.
meorum mortis supplicio dignus extiteras. Sed plane Christi mei exemplum sequtus nolo puras commaculare manus, qui pro eius nomine, si ita contigerit, libenter paratus sum vestris telis occumbere. Rediens ergo ad MS. B,
dominum tuum festinus, hæc illi responsa perfer fol. 73 a.
quantocius. Bene filius diaboli patrem tuum imitaris, MS. A,
qui superbiendo intumescens cœlo corruit, et mendacio fol. 9 a.
suo humanum genus involvere gestiens plurimos suæ pœnæ obnoxios fecit. Cuius tu sectator præcipuus me nec minis terrere prævales, nec blandæ perditionis

A.D. 870. lenociniis illectum decipies, quem Christi gratia fulcitum[1] reperies. Thesauros et divitias, quas nobis hactenus contulit Divina providentia, sumat consumatque tua insatiabilis aviditas, quoniam etsi hoc corpus caducum, fragile, confringas velut vas futile, vera libertas animi [nunquam][2] tibi tuæque infidelitati vel ad momentum suberit. Honestum est enim perpetuam defendere libertatem simulque fidei puritatem, pro quibus etiamsi necesse est occumbere, non inutile reputamus, quoniam pro altero gloriosum est mori, pro altero vero opponitur contumacia servilis. Quippe servum, quascunque domini condiciones accepit, acceptas servare convenit: si eas quamlibet iniquas respuit, reus maiestatis adiudicatur

MS. A, fol. 9 b. servilibus suppliciis. Sed esto: gravis huius servitutis usus; at gravior exulceratio, quæ solet nasci huiusmodi infortunio. Siquidem, ut noverunt qui frequentius ratiocinando forensibus causis intersunt, ex repugnantibus facta complexionis consequentia certum est quia si[3] libertas petitur, procul dubio dominus suo contemptu læditur. Icciroo seu sponte seu invitus de carcere suo meus ad cœlum evolet liber spiritus, nulla emancipationis aut abalienationis specie contaminatus, quia regem diminutum capite nunquam Danus videbis ad triumphum supervivere. Sollicitas me spe regni, interfectis omnibus meis, ac si mihi tam dira sit cupido regnandi ut velim præesse domibus vacuis habitatore nobili et pretiosa supellectili; ut cœpit tua sæva feritas, post famulos regem solio diripiat,[4] trahat, expuat, colaphis cædat, ad ultimum iugulet. Rex regum ista miserans videbit, et secum, ut credo, regnaturum ad æternam vitam transferet. Unde no-

Bromton col. 805. veris quod pro amore vitæ temporalis Christianus rex

---

[1] *gratia fulcitum*] institutis inermem, A.

[2] *nunquam*] supplied from A.

[3] *si*] A; ei, MS.

[4] *diripiat*] diripat, MS.

Edmundus non se subdet pagano duci, nisi prius effectus fuerit compos nostræ religionis, malens esse signifer in castris æterni Regis."

CONTINUATIO. *De prœlio inter regem Edmundum et Hingwar commisso.* Rog. Wend. p. 310; Matt. Westm. p. 318.

Battle near Thetford between Edmund and Hingwar.

RECEDENTE itaque nuntio truculento rex Edmundus iussit commilitones ad arma convolare, asserens dignum pro fide pariter pugnare[1] et patria, ne desertores militiæ se esse et depopulatores probarentur. Igitur ad instantiam Humberti episcopi ac nobilium virorum animatus beatissimus rex Edmundus cum toto exercitu quem habere potuit audacter processit in hostes et non longe ab urbe quæ Thetford[2] appellatur contra adversarios sibi in obviam venientes grave certamen ac nimis utrobique damnosum commisit. Nempe cum a mane diei usque ad vesperam mutua se nece prostravissent, et pro nimia interfectorum multitudine ac sanguine loca certaminis rubuissent, piissimus rex Edmundus non solum ex strage commilitonum suorum, pro patria, gente, et fide Jesu Christi decertantium, quos iam martyrio coronatos agnovit, condolebat, verum etiam pro nece barborum infidelium ad inferni baratrum detrusorum nimis amare lugebat. Recedentibus itaque primitus de loco funeris paganis beatissimus confessor Christi, rex Edmundus, cum reliquiis commilitonum suorum, qui superstites erant, ad Hailesdunam villam regiam profectus immutabiliter statuit in animo suo se nunquam de cetero contra barbaros pugnaturum, sed hoc solummodo dixit sibi fore necessarium, ut solus moreretur pro populo et non tota gens periret.

---

[1] *pugnare*] pignare, MS. | [2] *Thetford*] Theford, MS.

Rog. Wend. p. 311; Matt. Westm. p. 319.

Passion of St. Edmund.

CONTINUATIO. *De passione Sancti Edmundi regis et martyris.*

HINGWAR igitur cum de strage suis illata inconsolabiliter anxiatur, venit ad eum apud Thetford[1] Hubba frater eius, qui iam Merciam totam depopulaverat cum decem milibus armatorum. Et sic iunctis viribus, ut se vindicarent in sanctum regem Edmundum castra moventes, ad Hailesduum villam, quo rex beatissimus Edmundus tunc erat, celeriter pervenerunt. Tunc tyrannus Hingwar iussit circumcingi regem cum turba, ne quidem unus ex omnibus evaderet vivus. Sanctissimus itaque rex Edmundus, cum se ab hostibus undique vallatum cognosceret, de consilio Humberti Helmahensis episcopi confugit ad ecclesiam, ut se membrum Christi ostenderet, et armis temporalibus proiectis cœlestia induit, humiliter Patrem et Filium cum Sancto Spiritu deprecans, ut sibi in passione constantiam largirentur. Igitur a ministris iniquitatis clementissimus rex Edmundus ab ecclesia truculenter extrahitur, loris durissimis coartatur, et sicut Christus ante Pilatum præsidem, ita ducitur Edmundus sanctissimus ante iniquissimum iudicem, cupiens eius sequi vestigia, qui pro nobis immolatus est hostia. Vinctus itaque multis modis illuditur, ac tandem fustigatus acri instantia producitur ad quandam arborem vicinam, ad quam religatus flagris durissimis diutissime vexatur; nec vincitur, semper Christum invocando flebilibus vocibus. Sicque athleta Dei Edmundus inter flagella Christum semper invocando tortores suos compulit in furorem. Qua de re adversarii in furorem versi, quasi ad signum ludendo eum toto corpore sagittarum telis confodiunt,[2] multiplicantes acerbitatem cruciatus crebris telorum iactibus, quoniam vulnera vulneribus imprime-

Abbo, c. 10.

MS. A, fol. 10 a; MS. B, fol. 73 b.

MS. A, fol. 10 a.

[1] *Thetford*] Thefbrd, MS. | [2] *confodiunt*] confodunt, MS.

bant, dum iacula iaculis locum dabant. Sicque factum est ut spiculorum terebratus aculeis, circumfossus, palpitans hæreret,[1] velut asper hericius aut spinis hirtus carduus, in passione similis Sebastiano egregio martyri. Cumque nec sic Hingwar carnifex truculentus sanctum martyrem Edmundum a fide Christi et confessione Trinitatis potuit separare, ut suis iniquis persuasionibus præberet assensum, protinus lictori[2] mandat ut ense cruento martyris caput præcidat. Cumque staret mitissimus rex tanquam aries de toto grege electus, volens felici commercio mutare vitam sæculo; divinis intentus beneficiis iam recreabatur visione internæ lucis, qua in agone positus satiari cupiebat attentius. Unde inter verba orationis et confessionem[3] Christi nominis, spiculator sanctum de stipite truculenter evulsum uno ictu decapitando hac luce privavit. Atque ita Deo gratissimum holocaustum beatus Edmundus igne passionis examinatus cum palma victoriæ et corona iustitiæ rex et martyr[4] intravit senatum curiæ cœlestis die duodecimo kalendarum Decembrium, secunda feria, anno ætatis suæ vicesimo nono, regni vero sui sexto decimo, anno ab incarnatione Domini octingentesimo septuagesimo, talique exitu crucis mortificationem, quam iugiter in suo corpore rex pertulit, Christi Domini sequtus vestigia consummavit. Ille quidem purus sceleris in columna, ad quam vinctus fudit[5] sanguinem, non pro se sed pro nobis flagellorum suorum signa reliquit: iste pro adipiscenda gloria inmarcescibili cruentato stipite similes pœnas dedit. Ille integer vitæ ob detergendam rubiginem nostrorum facinorum sustinuit benignissimus immanium clavorum acerbitatem in palmis et pedibus: iste propter amorem nominis

A.D. 870.

MS. B, fol. 74 a.

MS. A, fol. 11 a.

Death of Edmund, Nov. 20. A.D. 870

Abbo, c. 11.

[1] *hæreret*] horreret, A.
[2] *lictori*] licori, MS.
[3] *confessionem*] confessione, MS.
[4] *martyr*] iusticie, MS.; martyr, A.
[5] *fudit*] fuit, MS.

A.D. 870. Dei toto corpore gravibus sagittis horridus et medullitus MS. B, fol. 74 b. asperitate tormentorum dilaniatus, in confessione patienter perstitit, quam ad ultimum accepta capitali MS. A, fol. 11 b. sententia finivit. Cuius corpus ita truncum et aculeis hirsutum relinquentes, cum suo auctore Dani ministro diaboli illud caput sanctum, quod non impinguaverat peccatoris oleum sed certi mysterii sacramentum, in silvam cui vocabulum est Heglesdonne recedentes asportaverunt, ac inter densa veprium frutecta longius proiectum occuluerunt, id omni sagacitate elaborantes, ne a Christianis, quos vix paucos reliquerant, sacratissimum corpus martyris cum capite pro tumulantium modulo honestæ traderetur sepulturæ. Huic spectaculo tam horribili quidam nostræ religionis delitescendo interfuit, quem subtractum, ut credimus, paganorum gladiis Divina providentia ad manifestandum huius rei indaginem reservavit; licet omnino ignoraverit quid de capite factum esset, nisi quod cum eo carnifices Abbo, c. 12. Danos interiorem silvam petere conspexisset. Quamob- MS. B, fol. 75 a. rem quantulacunque reddita ecclesiæ pace, cœperunt Christiani de latibulis consurgere, diligenti inquisitione MS. A, fol. 12 a. satagentes ut caput sui regis et martyris inventum reliquo corpori unirent et iuxta suam facultatem condigno honore reconderent. Siquidem paganis abeuntibus et depopulationi locorum operam dantibus, illud corpus sanctissimum adhuc sub divo positum, facillime est repertum in eodem campo ubi rex occubuit completo cursu sui certaminis. Qua propter antiquam beneficiorum memoriam et ingenitam regis clementiam populi undique gratuito confluentes cœperunt mæsto animo graviter ferre, quod caruissent tanta corporis portione. Quorum animos superna inspiravit benignitas, postquam audierunt illius verba utilia, qui tantæ visionis, ut dictum est, particeps astiterat, ut collecta plurimorum multitudine quaquaversum per invia silvarum experirentur, si ad id loci devenire contingeret, quo viri sancti caput iaceret. Pro certo enim omnibus vere

sapientibus inerat, quod alienæ sectæ cultores invidendo nostræ fidei sustulissent caput martyris, quod non longius infra densitatem saltus abscondissent, aut vili cæspite obrutum, aut avibus et feris devorandum. Cumque inito consilio omnes pari affectu ad id concurrerent, decreverunt ut cornibus vel tubis ductilibus singuli contenti essent, quatinus circumcirca pervagantes vocibus aut tubarum strepitu sibi mutuo innuerent, ne aut lustrata repeterent aut non lustrata desererent. Quod ut factum est, res dictu mirabilis et sæculis inaudita contigit. Quippe caput sancti regis longius remotum a suo corpore prorupit in vocem absque fibrarum opitulatione aut arteriarum præcordiali munere. Vespillonum sane more pluribus pedetentim invia perlustrantibus, cum iam possit audiri loquens, ad voces se invicem cohortantium, et utpote socii ad socium alternatim clamantium, "Ubi es?" illud caput respondebat designando locum patria lingua dicens, *her*, *her*, *her*; quod interpretatum Latinus sermo exprimit, "hic, hic, hic." Nec umquam eadem repetendo clamare destitit, quoad omnes ad se perduxit. Palpitabat mortuæ linguæ plectrum infra meatus faucium, manifestans in se Verbigenæ magnalia, qui rudenti asellæ humana compegit verba, ut increparet prophetæ insipientiam. Cui miraculo rerum Conditor aliud annexuit, dum cœlesti thesauro insolitum custodem dedit. Quippe inmanis lupus eo loci Divina miseratione est repertus, qui illud sacrum caput inter bracchia complexus procumbebat humi, excubias inpendens martyri: nec sibi depositum permisit lædere quampiam bestiarum, quod inviolabile solo tenus prostratus oblita voracitate servabat attentius. Quod stupefacti videntes qui confluxerant beatissimum regem et martyrem Edmundum illi viro desideriorum[1] iudicaverunt meritis similem,

A.D. 870.
MS. A, fol. 12 b. MS. B, fol. 75 b.
MS. A, fol. 13 a.
MS. B, fol. 76 a.

---

[1] Dan. x. 19.

qui inter esurientium rictus leonum illæsus sprevit minas insidiantium. Assumentes ergo unanimi devotione quam invenerant inæstimabilis pretii margaritam, cum profusis præ gaudio lacrimarum imbribus retulerunt ad suum corpus, benedicentes Deum in hymnis et laudibus, prosequente usque locum sepulcri lupo earundem reliquiarum custode et baiulo. Qui eis a tergo imminens, et quasi pro perdito pignore relugens, cum neminem etiam irritatus læderet, nemini importunus existeret, nota dilectæ solitudinis secreta illæsus repetiit; nec ulterius in illis locis lupus specie tam terribilis apparuit. Quo tandem recedente, cum summa diligentia et omni sagacitatis studio aptantes, quibus creditum est, caput cum corpore sancto, pro tempore tradiderunt utrumque pariter iunctum competenti mausoleo. Qua etiam ædificata vili opere desuper basilica multis annis requievit humatus, donec sedatis omnimodo bellorum incendiis et valida tempestate persecutionis cœpit respirare religiosa pietas fidelium erepta de pressuris tribulationum. Quæ ubi tempus opportunum invenit, devotionem, quam erga beatissimum regem et martyrem Edmundum habuit, operum exhibitione multipliciter propalavit. Idem namque sanctus sub vili tugurio sanctificatæ domus, cuius esset apud Deum meriti, crebris manifestabat miraculorum signis. Quibus rebus permota eiusdem provinciæ multitudo, non solum vulgi sed etiam nobilium, in villa regia quæ lingua Anglorum Bedriceswrthe dicitur, Latina vero Bedrici curtis vocatur, construxit permaximam miro ligneo tabulatu ecclesiam, ad quam eum, ut decebat, transtulit cum magna gloria. Sed mirum dictu! cum illud pretiosum corpus martyris putrefactum putaretur ob diuturnum spatium transacti temporis, ita sanum et incolume est repertum, ut, non dicam caput redintegratum et compaginatum corpori, sed omnino in eo nihil vulneris, nihil cicatricis apparuerit. Sicque cum reverentia nominandus sanctus rex et martyr Edmundus integer

Abbo, c. 13. MS. A, fol. 13 b.

MS. B, fol. 76 b.

MS. A, fol. 14 a.

Bedricesgueord, MS. A. MS. B, fol. 77 a. Abbo, c. 14.

et viventi simillimus ad prædictum locum est translatus, ubi adhuc in eadem forma expectat beatæ resurrectionis gaudia repromissa. Tantum in eius collo ob signum martyrii rubet una tenuissima linea in modum fili coccinei, sicut testari erat solita quædam beatæ recordationis femina, Oswen vocabulo dicta, quæ[1] apud eius sacrosanctum tumulum ieiuniis et orationibus vacans multa transegit annorum curricula. Cui venerabili feminæ aut Divina revelatione aut nimia devotione mos inolevit, ut patefacto beati martyris sepulcro quotannis in Dominica cœna eius attondendo præcideret capillos et ungues: quæ omnia diligenter colligens et in capsella recondens, non neglexit quamdiu vixit excolere mira affectione, posita super altare eiusdem ecclesiæ, ubi adhuc reservantur debita veneratione.

MS. A, fol. 14 b.

MS. B, fol. 77 b.

CONTINUATIO.

Abbo, c. 15.

SED et beatæ memoriæ Theodredus, eiusdem provinciæ religiosus episcopus, qui propter meritorum prærogativam bonus appellabatur, quod de incorruptione sancti regis diximus tali ordine est expertus. Cum, ut narrare adorsi sumus, præfato loco martyris tumulationi congruo a quibusque religiosis multa conferrentur donaria et ornamenta in auro et argento pretiosissima, quidam malignæ mentis homines, omnis boni immemores, aggressi sunt sub nocturno silentio eandem infringere basilicam latrocinandi studio. Fuerunt autem octo qui absque ulla reverentia sancti decreverant satisfacere suæ vesanæ voluntati, rapiendo furtim omnia quæcunque invenissent sibi utilia infra eiusdem monasterii septa. Unde sumptis machinis et quibuslibet utensilibus, quibus ad id perficiendum

MS. A, fol. 15 a.

Miraculous detection of a robbery at St. Edmund's Church.

[1] *quæ*] 'paulo ante hæc nostra moderna tempora,' added in A.

MS. B, fol. 78 a.

MS. A, fol. 15 b.

habebant opus, quadam nocte aggrediuntur præmeditatum facinus, et stantes in atrio ecclesiæ diverso conatu unusquisque instat conceptæ nequitiæ. Quorum alius postibus scalam applicat, ut per insertam fenestram se ingerat, alius cum lima ac fabrili malleo instat seræ aut pessulo, alii cum vangis et ligonibus suffossionem[1] parietis machinantur. Sicque disposito opere cum singulis certatim insudant pro virium facultate, sanctus martyr eos ligat in ipso suo conamine, ut nec pedem loco possent movere, nec arreptum officium deserere, sed[2] alius cum sua scala penderet sublimis in aere, alius palam incurvus fossor fieret, qui ad id operis furtivus venisset. Interea quidam matriculariorum, qui infra basilicam iacebat, somno excitus lecto procumbebat invitus, quem martyris potentia suo conatu vinxerat, ne suis obvius factis[3] mirabilibus sonus fragoris creber custodis pulsaret aures interius. Sed quid dicam non posse surgere? quando nec in vocem poterat erumpere. Tandem mane adhuc persistentes fures incepto opere, comprehensi a pluribus traduntur vinculis artioribus, et tandem prædicti sancti episcopi Theodredi iudicio subduntur. Qui inpræmeditatus sententiam dedit, quam se dedisse postea omni tempore vitæ suæ pænituit. Nam omnes simul iussit affigi patibulis, eo quod ausi fuissent atrium sancti Edmundi martyris furtive ingredi, non reducens ad memoriam quod Dominus per prophetam admonet,[4] "Eos qui ducuntur ad mortem, eruere non cesses;" factum quoque Helisæi prophetæ, qui latrunculos de Samaria pastos pane et aqua remisit ad propria, dicens regi volenti percutere ilico, quod non eos cepisset in gladio et arcu suo; apostoli etiam præceptum quod dicit:[5]

Theodred (Bp. Elmham, A.D. 975) sentences the robbers to death.

MS. B, fol. 78 b.

MS. A, fol. 16 a.

---

[1] *suffossionem*] suffocionem, MS.
[2] *sed*] si, MS. sed, A.
[3] *factis*] A; factus, MS.
[4] Prov. xxiv. 11.
[5] 1 Cor. vi. 4.

"Sæcularia negotia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia," id est, viros sæculares, "constituite ad iudicandum." Unde canonum[1] auctoritas prohibet ne quis episcopus aut quilibet de clero delatoris fungatur officio, quoniam satis dedecet ministros vitæ cœlestis assensum præbere in mortem cuiuslibet hominis. Quamobrem prædictus episcopus in se reversus graviter indoluit, et sibi pænitentiam indicens diutius se in gravibus lamentis dedit. Qua tandem peracta pænitentia, populos suæ diocesis mandat, mandando convocat, convocando suppliciter persuadet, ut triduano ieiunio a se Divinæ indignationis iracundiam removeant, removendo avertant, quatinus sacrificio spiritus contribulati placatus Dominus illi suam gratiam concederet, qua corpus beati martyris tangere et lavare auderet, qui licet tantis virtutibus floreret in mundo, vili tamen et sibi incongruo continebatur mausoleo. Factumque est; et illud sacratissimi regis corpus ante[2] dilaceratum et truncum, ita [ut][3] iam retulimus, unitum et incorruptum repperit, lavit, et rursum novis et optimis vestibus indutum ligneo locello reposuit, benedicens Deum, qui mirabilis est in sanctis suis et gloriosus in omnibus operibus suis.

Circ. A.D. 975.

MS. A, fol. 16 b.

MS. B, fol. 79 a.

MS. A, fol. 17 a.

CONTINUATIO.

Abbo, c. 16.

Nec piget referre de quodam magnæ potentiæ viro, Leofstano vocabulo, qui iuvenilis ætatis impetum non refrenans, ad id flagitii lasciviendo prorupit, ut sibi quadam singularis potentiæ auctoritate præciperet ostendi corpus tanti martyris. Cumque inhiberetur

Leofstan punished for irreverence towards St. Edmund.

[1] Decret. Pars 2. Caus. 2. Qu. vii. c. 7, 38 and 39; Caus. 23. Qu. viii. c. 20. "In mortem cuiuslibet hominis episcopi se miscere formident."

[2] *ante*] A; aut, MS.

[3] *ut*] supplied from A.

a pluribus, maxime tamen a suis fidelibus, prævaluit eius imperium, quoniam propter arrogantiam suæ nobilitatis omnibus erat terrori. Reserato ergo locello, astitit, aspexit, et eodem momento in amentiam versum tradidit illum Deus[1] in reprobum sensum, ac pœna sua didicit, quia præsumpsisset quod non licuit. Quod audiens pater eius, vir religiosus ad- MS. B, fol. 79 b. modum cui erat Alfgarus vocabulum, exhorruit facinus flagitiosissimum, ac martyri gratias retulit, filiumque a se removit. Qui tandem ad summam inopiam perductus, iudicio Dei vitam finivit vermibus consumptus. Sic sanctus rex Edmundus omnibus innotuit non se esse inferiorem meritis Laurentii, beati Levitæ MS. A, fol. 17 b. et martyris, cuius corpus, ut refert beatus pater Greg. Mag. Lib. 3. epist. 30. Gregorius, cum quidam, seu digni, seu indigni, levare volentes conspicerent, contigit ut septem ex eis ibidem subita morte perirent. O quanta reverentia locus ille dignus existit, qui sub specie dormientis tantum Christi testem continet, et in quo tantæ virtutes fiunt et factæ esse referuntur, et quantas hac tempestate apud Anglos nusquam alibi audivimus, quas ego brevitatis studio prætereo, ne alicuius fastidiosi offensam incurrerem iusto prolixior, credens ista posse sufficere quæ dicta sunt ardenti desiderio eorum, qui præter Deum huius martyris patrocinio nil præferunt. De quo constat, sicut et de aliis sanctis omnibus iam MS. B, fol. 80 a. cum Christo regnantibus, quod licet eius anima sit in cœlesti gloria, non tamen per visitationem die noctuque longe est a corporis præsentia cum qua promeruit ea, quibus iam perfruitur, beatæ inmor- MS. A, fol. 18 a. talitatis gaudia. Nam dum in æterna patria ei iungitur qui ubique totus est, de eo habet posse quicquid habuerit et velle, præter id solum quod infatigabili desiderio concupiscit, ut per resurrectionem,

[1] *Deus*] Deum, MS.; Dn̄s, A.

circumdetur stola demutatæ carnis, quoniam tunc erit perfecta beatitudo sanctorum, cum ad id fuerit Christo largiente perventum. Sed de hoc sancto martyre æstimare licet, cuius sit sanctitatis in hac vita, cuius caro mortua præfert quoddam resurrectionis decus sine sui labe aliqua. Quandoquidem eos, qui huiuscemodi munere donati sunt, extollant catholici patres suæ relationis indiculo, de singulari virginitatis adepto privilegio dicentes, quod iusta remuneratione etiam hic gaudent præter mortem de carnis incorruptione, qui eam usque ad mortem servaverint non sine iugis martyrii valida persequtione. Quid enim maius sub caritate Christianæ fidei quam adipisci hominem cum gratia quod habet angelus ex natura? Unde divinum oraculum quasi singulari quodam dono repromittit, quod virgines sequntur Agnum quocunque ierit.[1] Considerandum igitur quis iste fuerit, qui in regni culmine intra tot divitias et luxus sæculi semetipsum calcata carnis petulantia vincere studuit, quod eius ostendit caro incorruptibilis. Cui humano obsequio famulantes satagant illi ea placere munditia, quam ei perpetuo placuisse manifestant membra incorrupta, etsi non possunt virgineo flore pudicitiæ, saltem ex parte, voluptatis iugi mortificatione. Quoniam si illa sanctæ animæ invisibilis et illocalis præsentia alicuius famulantium spurcitia offendatur, timendum est quod propheta terribiliter comminatur.[2] "In terra sanctorum iniqua gessit, et ideo gloriam Domini non videbit." Cuius terrore sententiæ permoti, huius sancti Edmundi regis et martyris imploremus patrocinium, ut nos cum sibi digne famulantibus expiet a peccatis quibus meremur supplicium, per eum qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Abbo, c. 17.

MS. A, fol. 18 b. MS. B, fol. 80 b.

---

[1] Apoc. xiv. 4.

[2] Isai. xxvi. 10.

MS. A, fol. 24 b. seq.; MS. B, fol. 86 b. Cf. Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 1104.

CONTINUATIO. *Quomodo beatus Edmundus populum Anglorum liberavit a tyrannide Swen regis Dacorum.*

Edmund delivers England from the tyranny of Swein.

MS. B, fol. 87 a.

IGITUR Ætheldredo regni Anglorum, de quo inferius suo loco plura dicemus, monarchiam modeste gubernante, periculosa pestis, quæ dudum extincta putabatur, rediviva denuo pullulare adoritur. Nam quos Anglia velut mortale virus iampridem evomuerat, rursus ad eandem tamquam ad hereditaria iura Daci reditum moliuntur. Ad quod effectui mancipandum quidam nomine Swein dux et princeps præficitur, bellis quidem aptus, sed superbia tumidus dominandique cupidus. Hic Angliæ libertatem Daciæ reputabat captivitatem. Ad huius igitur edictum copiosa classis instauratur, armata multitudo contrahitur. Sicque sulcantes æquora proris prospero cursu apud Genesburc portum sortiuntur. Quorum adventu cognito Æthelredus cum paucis in Normanniam salvandus transvehitur. Cuius hostes absentia fidentiores effecti miseram plebem absque ullo miserationis respectu nemine prorsus resistente prosternunt. Cumque igitur truculentus rex vix tandem animi ferocitatem mitigasset, instinctu diabolico provulgari mandat decretum, ut ex universa scilicet regione generale sibi persolvatur tributum: divulgatoque regis imperio lugubres insulani impositum iugum nullatenus refellere queunt. Parere durum est, reniti non est tutum. Inducias petunt; nemo exaudit. Sed cum nec sancta quidem loca fieri possent inmunia, contigit censores a sancti Edmundi contubernialibus instanter exposcere regis vectigalia. At illi legem inauditam exhorrent, insolentiam tyranni potius quam regis admirantur, et concepta fiducia[1] tributarii regis pervasoris

MS. B, fol. 87 b.

---

[1] *fiducia*] fudicia, MS.; fiducia pro peculiari circa martyrem cultu, B.

fieri respuunt. Pendentes autem nefarii regis ferocitatem necnon fautorum eius proterviam, non modo convicanei verum et accolæ adiacentis provinciæ cum luminaribus et pacificis oblationum votis ad basilicam sui regis et martyris Edmundi unanimi devotione vigiliis et orationibus insistentes catervatim se conferunt, Dominum, in cuius omnipotenti manu cor regis est, per eius præclara merita rogaturi, quatinus misericordiæ suæ rorem super eos instillando intolerabilem truculenti regis indignationem clementer averteret, atque iugum captivitatis quod sub eius imperio iam per decem circiter annos Anglia gemebunda contraxerat, potenti virtute vel sero contereret. Qua tempestate vir quidam venerabilis, vocabulo Ægelwinus, sæculari spreta conversatione, apud sanctum Edmundum suscepto habitu monachico religiosam actitavit vitam. Huic ob amorem, quo totus in sanctum flagrabat, quasi pro sæculari familiaritate mos inolevit, ut pia permotus audacia intemeratum corpus eius certis vicibus aqua dilueret, pectine cæsariem componeret, defluentes capillos diligenter ut vere pretiosas reliquias recondens; cum et idem vir ita a sancto fovebatur ut per nocturnam revelationem, pæne quotiens vellet, ei confabularetur, præsertim quando pro diversis calamitatibus eum interpellare soleret. Cum ergo salutares excubiæ gererentur, idem monachus quieti modicum indulserat mærore confectus. Cui subito beatus astitit Edmundus, nivea stola præfulgidus, vultu hilaris, sermone iocundus. Ac primo mæstitiam eius solito more blande consolans, deinde, "Vade," inquit, "ad regem Swein maturato, hæc illi ex ore meo mandata perferens. 'Utquid vexas pusillum gregem meum, inponendo iugum quod sub nullo traxere regum? Vectigales nunquam esse didicerunt, tributa nunquam pendere consueverunt. Quapropter dum licet, iniustam sententiam corrige, ne forte cum volueris minime liceat. Quodsi mea monita non revereris obstinatus, me provinciæ defensorem experieris

MS. B, fol. 88 a.

Cf. MS. A, fol. 26 a seq.

Cf. MS. A, fol. 27 a seq.

MS. B, fol. 88 b.

attrectatus.'" Igitur monachus divino oraculo admonitus, imperatis obsecundans laborem itineris aggreditur; ingressusque ad regem, ex parte sancti Edmundi humili præmissa salutatione, legationis causam prosequitur. Sed hæc rex ferocissimus nec attendere dignabatur nec respondere; servum quoque Dei multis lacessitum obprobriis a conspectu suo iubet arceri, iurando contestans, nisi celerius abscedat, ignominiæ nota fœdatum suus Edmundus eum reciperet, si tamen mortis discrimen evadat. Vir autem Domini ut iudicem iniquitatis animadvertit nec Deum timere nec hominem revereri, tristis admodum viam carpere cœpit domum revertens. Cum autem in territorio Lincolniensi humili satis hospitio frueretur, noctu pater Edmundus apparuit ei in somnis dicens: "Quid," inquit, "timore sollicitaris? Quid mærore tribularis? An verba mea oblitus periculum incidisti desperationis? Surge ergo festinus: aggredere[1] callem præmaturus; quia priusquam peracti metas itineris pertingas, de rege Swein celebris fama te et compatriotas tuos exhilarabit universos." Qui cum mane facto aggerem calcaret publicum, audivit post se quorundam murmur equitantium, a quibus brevi consequtus, more viantium mutuo salutati affatim colloquia miscent. Cui et unus illorum ait: "Heus," inquit, "sodes! tune es presbyter, quem nudiustertius apud regem conicio me vidisse cuiusdam Edmundi mandata perorantem?" Ad quem ille: "Ego sum." Tum ille, "Heu! heu!" inquit, "quam ponderosa fuit comminatio tua! quam verum vaticinium! Rex enim Swein morte sua lætificavit Angliam, mæstam ac luctuosam reliquit Daciam." Postquam igitur vir Dei hæc audivit, tam stupore quam gaudio perfusus narranti sibi ait: "Ista quidem contingi posse nequaquam dubito; sed veritatem audire desidero." Quem relator suspensum intuens: "Ut facilius," ait, "horum

MS. B, fol. 89 a.

MS. B, fol. 89 b.

MS. B, fol. 90 a.

---

[1] *aggredere*] B; egredere, MS.

tibi fidem persuadeam, ordinem rei gestæ pandam Cum igitur post recessum tuum sequenti nocte securus et gaudens nihilque adversi suspicans rex cubitum isset, ac per totum palatium familiæ strepitus conquievisset, intra cubiculum regi adhuc vigilanti subito miræ pulcritudinis miles astitit ignotus, vibrantibus armis ornatus, vocansque proprio nomine regem ait: 'Vis habere tributum, O rex, de terra sancti Edmundi? Surge, suscipe illud.' Qui consurgens in toro resedit; sed mox conspectis armis terribiliter vociferari cœpit. Quem continuo miles impetu facto lancea perfossum abiens reliquit. Ad cuius clamorem expergefacti concurrentes, invenimus eum cruore proprio fœdatum animam eructasse." Quod audiens venerandus monachus ad tam evidentem relationem ilico magna exultatione tripudiabat, Deumque ac sanctum suum Edmundum benedicebat: verum etiam citato gradu perveniens ad suos, secretum, quod solus multis arbitrabatur aperire, ab omnibus contigit eum primitus audire. Nam rumorem, cuius neminem suorum conscium æstimabat, iam nemo illum ignorabat. Siquidem in provincia quæ lingua Anglorum Estsexe dicitur, ægrotus quidam tanto languore percussus iacebat, ut nullo membrorum suorum officio, ne linguæ quidem, uteretur: triduoque in agonia protracto, morti finitimus cunctis spem vitæ denegabat. Cuius cum quadam nocte parentes et vicini circumstantes exitum præstolarentur, recuperata virtute in sessum se erigens, voce gratulabunda dixit: "Hac nocte et hac hora sancti Edmundi lancea transverberatus rex Swein occubuit." Quod cum dixisset, in lectulo recumbens ultimum flatum emisit, atque morte sua tyranni mortem indubitanter asseveravit. Quis igitur non obstupescit Dei magnalia? quis non pertimescit eius occulta iudicia? Encliticus iste mori differebat, quoniam Edmundus nondum[1] superbiam hostis

Cf. Flor. Vigorn. p. 589 b.

MS. B, fol. 90 b.

Cf. MS. A, fol. 29 b. Miracle.

[1] *nondum*] non eum, MS.

MS. B, fol. 91 a. Cf. MS. A, fol. 30 b.

conterebat. Porro Daci remordente conscientia de vita periclitantes, domini sui cadaver exanime copiose sale salitum a fœtoribus munierunt, secumque per inmensa æquora asportaverunt.

MS. B, fol. 82 b.

CONTINUATIO. *De cæco ad tumbam beati Edmundi illuminato.*

Cure of a blind man at St. Edmund's tomb.

IN primis cum adhuc athleta Dei Edmundus raro veneraretur habitatore, cæcus quidam cum puero, cui gressuum ducatum crediderat, viam carpens, cum ad decliva lux diurna festinaret, saltum quo martyr sanctus tumulabatur, utpote regionis ignarus, ingreditur; et modicam inibi invenientes cellulam, eam protinus ingressi tumulum beati martyris offendunt. Quem, ut erat, sepulturam hominis autumantes, primum horripilatione[1] percelluntur, deinde præsumpta securitate ianuam obicibus artant straveruntque sibi, tumba martyris vicem cervicalis ministrante. Necdum vero plane poterant obdormisse, cum subito flammifluæ columnæ splendor totius habitaculi[2] ambitum occupavit. Moxque discissa caligine, ubi oculi eiusdem cæci sunt illuminati, lux inmensa[3] redit, sed lucis signa sibi[4] reliquit.

MS. B, fol. 83 a.

Cf. MS. A, fol. 23 seq.

CONTINUATIO. *De præside qui de ecclesia beati Edmundi mulierem violenter extrahere voluit.*

Leofstan's contempt of St. Ed-

VIR quidam curialis quoque, nomine Leofstanus, præfectoria dignitate a rege sublimatus, erga sanctum

---

[1] *horripilatione*] ut humanitatis est, horrore, B.

[2] *splendor tot. hab.*] B; t. h. s., MS.

[3] *inmensa*] cœlitus emissa, B.

[4] *sibi*] cæco, B.

Edmundum non solum nullam devotionem gerebat, verum etiam audita eius miracula contracta nare subsannabat. Hic statuto die ad quendam locum martyri contiguum concionandi gratia devenit, ubi cum animadvertit quandam abesse mulierem iudiciariæ suæ potestati ream, atque eam timore perterritam ad sancti confugisse tumbam, præ nimio cordis tumore[1] statim totus infremuit missisque apparitoribus suis eam tribunalibus sub omni celeritate sisti præcepit. Quibus ut iussa compleant abeuntibus, ille non ferens tædium tarditatis, festinus viator suorum vestigiis imminet. Porro ubi apparitores mulierem trahentes sanctum iugiter exclamantem vix ab ecclesia pedem extulerant, ecce repente præses, qui iam infra atrium basilicæ ad condemnandum eam cum universa concione descenderat, possessus a dæmone diris cruciatibus vexabatur. Cumque diu torqueretur, inter tormenta miseram emittens vocem, animam exhalavit.

mund punished with death.

CONTINUATIO. *Quomodo beatus Edmundus Lundoniam fuerit delatus.*

MS. B, fol. 91 b. Cf. MS. A, fol. 32 a, seq.

Removal of St. Edmund's body to London. (A.D. 1010. Cf. Sax. Chron., Flor. Vigorn.)

COMES quidam nomine nobili Tuchilles, Dacus genere, apud Gippewicz cum magna classe appulit. Cum quo Angli tertio congressi, maxima strage profligati sunt Angli. Hæc ergo persequtio adeo fuit generalis, ut nec cœnobiis quidem nec sacris ædibus parceretur. Quod ut cubicularius beati martyris Edmundi, quidam monachus, animadvertit, atrocitatem indomitæ gentis pavitans, præsertim cum et[2] hoc sanctus hortaretur, impositum bigæ cum sanctissimi corporis gleba ligneum illud sarcofagum, latenter viam carpere cœpit,

MS. B, fol. 92 a.

---

[1] *tumore*] timore, MS. | [2] *et*] ad, B.

Londoniam tendens. Cum iter ageret, sole ruente diversorium subire nox vicina compellebat. Tunc prospecta cuiusdam presbyteri congrua mansione, illo deflectens aditum precabatur. Abnuit sacerdos, homines ignotos hospitio recipere detrectans. At ille domo seclusus, ne vel atrii sæptis arceatur supplex implorat. Quo vix impetrato, recubat monachus sub martyre, martyr vero sub divo luciflua columnæ. Quarta autem instante noctis vigilia cœperunt vehiculi rotæ velut ad gradiendum concitari. Quarum stridore præfatus vir expergefactus, mox iter quod cœperat aggreditur. MS. B, fol. 92 b. Iamque a loco longius processerat, et ecce respiciens intuetur eminus flammis ultricibus presbyteri casam conflagrari. Cumque inde monachus cœptum iter conficeret, Cf. Bromton, col. 806. Stratfordiæ vadum offendit, quod tribus a Londonia secretum milibus se viantibus offert. Cui brevis plurimisque in locis pons interruptus superiacebat, tutum nullius, præsertim militantium, vestigium sustinens. Quid ergo monachus ageret, quo se verteret, consilio pauper prorsus ignorabat. Dacus a tergo perurget; diverticula nulla patescunt; remorari non est consultum. In se vero tandem reversus, cum reda sua infidi ponticuli semitam auriga fidelis ingreditur, moxque altera rotarum superficie[1] pontis volvebatur, altera inter cœlum et fluidum elementum compari haut humilior aera sulcabat. Cum igitur gloriosus rex et martyr Edmundus Londoniam fuisset ingressus, MS. B, fol. 93 a. Miracles. ægroti variis vexati languoribus aggregantur; plateæ debilium multitudine constipantur; per cunctorum ora Edmundi nomen, Edmundi laus, Edmundi præconium reboat. At ille de sinu misericordiæ diversa profert curationum fomenta, notas exerit medicinas. Cæcis peregrina mundi species tunc primo formatur; claudis rudis incessus innovatur; paralyticis fluxa membrorum

---

[1] *superficie*] per superficiem, B.

officina restringitur; leprosis corporum munditia restituitur; fit diserta lingua mutorum; patescunt aures MS. B, fol. 93 b. surdorum. Sicque sub momento sola fides optinere promeruit, quod medicorum diuturna sedulitas conferre non valuit. Audito itaque vulgari plausu, quædam strato recubans contracta mulier, quam adeo nodositatis huius pernicies a lumbis talo tenus occupaverat, ut, non dicam incedere, sed nec grabato quidem extendere sufficeret pedem;—hæc mulier, audito clamore concurrentis populi, domesticis ait: "Quisnam hic est fragor multitudinis vociferantis?" Ad quam illi, "Beatus," inquiunt, "Edmundus, rex Orientalium Anglorum, hanc urbem ingressus plurimos languore depulso reddidit sospitati." Tunc illa, "Heu mihi!" ait "quam Deus non iudicavit dignam illius oblatam præsentiæ misericordiam promereri. Nam si vel feretri pallam attingerem, ab hoc incommodo confido me continuo per eius merita liberandam." Ex his dictis confestim marcidis membris vivax fimus[1] illabitur, stupentibus poplitum nervis flexibilis tepor infunditur, damnabili torpentibus otio plantis inexpertus incedendi MS. B, fol. 94 a. usus tribuitur, ac sic reliqua corporis fabrica stipitibus erectis attollitur. Postquam Divinæ largitionis miseratio famuli sui nomen Edmundi per miraculorum exhibitionem celebre reddidisset, (decem enim et novem a diversis incommodis ea die curati fuisse memorantur), in ecclesia beati Gregorii papæ, quæ sita est prope basilicam apostoli Pauli, (ibi etenim[2] sanctissimi martyris pretiosum corpus deponitur)—ubi dum Londonienses cum oblationibus beatum martyrem excolerent, Dacus quidam prædives explorare[3] satagens, quisnam esset, cuius fama tantam populi frequentiam invitaret, cum devotis ingreditur versipellis; et ceteris

---

[1] *fimus*] sucus, B.
[2] *ibi etenim*] om. B.
[3] *explorare*] B; explorari, MS.

MS. B, fol. 94 b.

orationi procumbentibus, ipse rigidus ac tumore vanitatis inflatus velo, quod coram sacrario oppansum erat, revulso, curiosis oculis perscrutari cœpit interiora. Quod cum impudens irreverenter ageret, utrorumque[1] luminum cæcitate multatur. Quam cladem temerarius ut persensit, mox solo tenus prostratus lacrimas uberes fundit, se peccasse, se errasse, se nequiter egisse, miserando clamore protestans. Basilicam mugitibus replet gemebundis, atque eiulatu diuturno circumstantium animos ad pietatem inflectit, se fidelem devotumque sancto deinceps sacramentis multis affirmans. Quid multa? Invitantur universi; oratio indicitur generalis; sanctus Edmundus invocatur; ut misero subveniat, imploratur. Quorum precibus tandem sanctus martyr Edmundus pulsatus et præsumtoris humili satisfactione complacatus optatæ lucis gratum indigenti munus detersa caligine rependit.

CONTINUATIO. *De reditu beati Edmundi ad Betricheworthe.*

St. Edmund's body is taken back to Bury.

COMMORANTE aliquandiu sancto martyre Edmundo apud Londonienses innumeras clades Orientales Angli se pertulisse deplorant. Unde crebris exhortationibus venerabilem monachum Ægelwinum implorant, quatinus patrem patriæ, spem vitæ suæ, Edmundum ad propria reducere non differat. Quorum miseriis venerabilis monachus condolens, ingressus ad urbis[2] episcopum facultatem postulat abeundi. Quod præsul ægre ferens et indies differens, tandem invitus annuit. Simulata tamen devotione fraudem adumbrans, religioso famulatu sanctum se prosecuturum pollicetur,

MS. B, fol. 95 a.

[1] *utrorumque*] B; utrumque, MS.

[2] *urbis*] Elfinum, B. Elfwin, bp. of London, A.D. 1004—1014.

parochiam convocat, causam palam eloquitur. Mærent universi, desolationem urbis recedente protectore mox affuturam conquerentes. Procedit interim dealbatus MS. B, antistite prævio clericorum cuneus, vulgus promiscuum fol. 95 b. lamentando subsequitur. Tunc secum ascitis tribus de clericis, etsi non simpliciter, tamen reverenter accedens, thecam cum thesauro subiectis humeris præsul conatur attollere. Ad quod dum enixus elaborat, sentit onus intolerabile. Alii quattuor adiunguntur; sed vires minime suppetunt. Admissi duodecim incassum fatigantur. Ad postremum viginti quattuor iunctis viribus circa lecticam disponuntur; sed et ipsi velut in agone desudantes inacti resiliunt. Inter hæc astans populus tali spectaculo delectabatur, Dei sanctique Edmundi suspicans esse voluntatem in posterum se non perdere, quod semel contigerat accepisse. At episcopus sua videns machinamenta nihil proficere, una cum populo et ipse pudore suffusus admirabatur. Siquidem domesticis suis et quibusdam civibus indixerat, ut cum ecclesia feretrum extulissent, concitato tumultu et elato clamore baiulos abire volentes ad ecclesiam beati Pauli gradum deflectere compellerent, contradictores, si quos forte paterentur, terrore minisque compescerent. Verum cum ab huiusmodi spe Dei nutu MS. B, præpeditus recidisset, contectalis martyris Ægelwinus fol. 96 a. præstolante multitudine domino suo procidit, propensius eum obsecrans, ne propriam deserat regionem, ne alumnos suos patris absentia pupillos diripientium ludibrio exponat, neve lupos in ovile Dominicum, ut pastor incuriosus, diutius desævire permittat. Et cum ab oratione luminum imbribus irroratus exurgeret, tribus ex comitibus suis sibi iunctis, tanta facilitate thecam eandem elevat, ut nil ponderis habuisse putaretur. Unde patuit universis antistites inposturæ zizanio nullatenus caruisse. Arrepta demum via, in magno mærore civitatem reliquit, plurima plebis frequentia sanctum procul ab urbe prosequente. Nec

iam, ut prius, latibula captat, nec celari satagens puplicos conventus devitat. Sed fama præconante de vicis quibusque per itineris tramitem se porrigentibus in occursum eius proruentes cum ingenti favore laudisque iubilo illum deducunt. Deinde pristino cum summa honorificentia reponitur in loco, ubi Deo propitio devote se petentibus hodieque non desistit suffragari.

MS. B, fol. 99 b.

CONTINUATIO. *De repræsentatione corporis sancti Edmundi.*

Miraculous virtues of St. Edmund's body.

OPERÆ pretium referendum esse videtur illud supereminens et insigne miraculum, quod de incorrupta corporis integritate incliti regis et victoriosi martyris Edmundi Divina propitiatio propalare dignata est, ut tortuosa eorum corda, qui vel simplicitate falluntur vel, quod periculosius est, fermento perfidiæ corrumpuntur, æquissimæ regulæ fidei colliniret, suæque virtutis magnificentiam eorum pectoribus altius intimaret. Igitur Vino ecclesiæ sancti Edmundi primo abbate rebus exempto, venerabilis vir Leofstanus ovilis Dominici curam unanimi fratrum voto suscepit agendam. Quo tempore mulier quædam a nativitate muta de pago Wintoniensi sanctum invisit Edmundum, ab eo proprii flagitatura remedium incommodi. Iam enim pene seniles annos apprehenderat, necdum tamen infantiæ primordia vocis indiga deseruerat. Hæc ergo, quia voce non poterat, intimo cordis affectu, qui multotiens maiorem auribus Divinæ pietatis ingerit strepitum, constanter Deum eiusque martyrem exorabat. Deinde perseverante illa iuxta sepulcrum martyris in gemitu et contritione cordis, solvuntur eius linguæ repagula, vocis organa formantur ad nova famina; post annosa demum silentia in aperta prorupit verba, cum omnibus qui aderant, Salvatoris virtu-

Cf. MS. A, fol. 42 a seq.

Leofstanus succeeds Vinus, first abbot of St. Edmund's.

Cure of a dumb woman.

tem laudantia. Quæ cum sibi loquelam pæne redditam[1] comperisset,[2] ilico patriam parentesque repudians, nunquam ab obsequela martyris vel ad modicum re- MS. B, fol. 100 a. cessuram se devotavit. Hæc postmodum in tantam sanctæ conversationis puritatem excrevit, ut sancti crebra visionis pariter et allocutionis mereretur revelatione confoveri. Quadam nocte solita præsentiæ suæ dulcedine permulcens talibus eam verbis affatur; "Vade," inquiens, "ne cuncteris; dic Leofstano abbati: 'Cur ita negligenter agis, ut nulla mea tuum compungat animum sollicitudo? Facies mea cassibus aranearum indecenter obducitur, omnis circa me venerationis cultura sopitur. Audita curiosius perscrutare; perscrutata satage cautius emendare.'" Mox illa parens imperatis nil intactum prætermisit. Abbas autem muliebria verba parvi pendens, velut aniles ineptias respuebat; quippe qui iamdudum in commune decreverant, a tanti contactu sanctimonii reverenter abstinere. Porro quod credebatur, pro negligentia imputabatur; et unde gratiores haberi confidebant, inde periculosius displicebant. Paucis admodum elapsis diebus, rursus illi suæ consecretali, MS. B, fol. 100 b. sicut prius, adest pater Edmundus. Iam dicta replicat, eademque[3] consignat. Illa geminat officium; nec sic ullus laboris fructus emergit. Tertio demum id ipsum repetens, austeritati verborum terrorem immiscet minarum. Quibus abbas auditis, magis perhorrescens vindictæ promissæ[4] severitatem quam reveritus fuerat admonitionis promissæ lenitatem, fratribus innotescit negotium. Res ventilatur in medium; flagitatur a Domino consilium. Tandem habita deliberatione, audita statuunt experiri. Ieiunia protelantur, vigiliæ et orationes continuantur, implo-

[1] *redditam*] reddita, MS.
[2] *comperisset*] comperissent, MS.
[3] *eadem*] eandem, MS.
[4] *promissæ*] om. B, which reads præmissæ below.

ratur Divinitas, fides fervet et sanctitas. Explicito tandem triduano ieiunio, quinta feria illuxit, in qua inmensa Christi gratia, quæ in sanctum Edmundum redundabat, mentibus humanis infulsit. Tunc abbas cum fratribus ad opus dispositum præelectis, quos et innocentis vitæ meritum et constantia commendabat animorum, cum summa venerationis humilitate celebrata sollemniter missa, procedit ad sacrosanctum locellum pretiosum pretiosi martyris Edmundi concludentem lipsanum, ceteris interim in claustro sedere, psalmis hymnisque instanter vacare iussis. Quo patefacto Agelwinus monachus, de quo supra multa narrata sunt, iam præ nimia senectute corporali privatus lumine, propius admovetur, ut palpando probet, an adhuc ita perseverat[1], quemadmodum se reliquisse meminisset. At ille nihil tricans, nihil hæsitans, ut puta quia[2] simile quid sæpius præsumpsisset, non modo integros sed et corpulentos domini sui contractat[3] artus. Vertit ac revertit; nil mutatum animadvertit. Tunc demum cæco ductoribus suis vicissim ducatum præbente, singuli manus inicere gaudent. Expositus autem super ligneam tabulam deponitur; mulieris attestatio veridica cognoscitur; pristinis induviis exuitur; interula illa, in qua miles Christi legitimus callidi tyrannidem hostis viriliter triumphavit, cum creberrimis telorum ictibus [perforata][4], cum infectione sacrati cruoris intertincta, alioquin autem reperitur penitus incorrupta. Pulvillus quoque ille, qualem pro loco et tempore parvæ fidelium reliquiæ in passione sancti Edmundi composuisse referuntur, non ex plumis vel bombyce alicuius generis, sed solummodo tenuissimis lignorum dolaturis, capiti regali, quod non impinguarat oleum peccatoris,[5]

Opening of the saint's coffin.

MS. B, fol. 101 a.

[1] *perseverat*] perseveret, B.
[2] *quia .... præsumpsisset*] qui exegisset, B.
[3] *contractat*] contrectat, B.
[4] *perforata*] from B.
[5] Ps. cxl. 5.

sed charisma sacrarat mysticæ unctionis, hucusque levamen præstiterat. O quam dulce spectaculum! quam evidens, quam stupendum miraculum! Illi funereas tractant exequias; ille vitalem eorum optutibus exhibet imaginem. Vultus severitate, membrorum formositate, quædam resurrectionis insignia præsentando nil distabat a vivente, si mobilis efficacia non defuisset. Inter hæc accidit quiddam beato martyri Edmundo, qui se ipsum Deo sacrificium in odorem suavitatis optulit, satis dignum, quique cum Paulo dicere potuit,[1] "Christi bonus odor sumus Deo in omni loco et in his qui salvi fiunt." Nam ex quo lignea illa elatus est theca, tanta inexperti et inusitati mox odoris fragrantia emanavit, adeo quoque[2] fratrum eorundem sensus occupavit, ut inter virentis amœna paradisi se crederent consisti. Et cum inæstimabilis dulcedinem suavitatis olfactu haurirent, nullatenus tamen discernere quibant quid sentirent; nec semel emissus ilico evanuit, verum totius diei spatium optinuit. Ad cuius gratiosum allapsum caterva fratrum in claustro psallentium subito stupefacta, psalmodiæ concentum interrumpens admiratione non modica tenebatur. Opinabantur tamen quod rei veritas approbabat, quod tanta scilicet de patroni sui lipsano gratiæ copia efferbuisset. Porro cum abbatis complices super his quæ intuebantur mente consternati sanctum pristino reponi locello persuaderent, sæpefatus abbas, nisi manus oculis attestantur[3], dubietatis caliginem nullatenus detersam fore fatetur. Quod olim perceperat auditu, iam nunc rimatur et visu; quod etiam tactus renuntiet, explorare non cunctatur. Legerat siquidem in ipsius passione caput corpori compaginatum cohæsisse. Proponit ergo sententiam, indicit

MS. B, fol. 101 b.

The abbot's incredulity punished.

[1] 2 Cor. ii. 15.
[2] *quoque*] que, B.
[3] *attestantur*] attestentur, B.

obedientiam, ut se manibus utrisque martyris caput complectente unus illorum arripiat plantas, quatinus, dum ad se quisque nititur, nil ulterius ambigui veritas examinata in cuiuslibet pectore residere patiatur. Ad hoc expavescunt singuli; nullus illicita præsumit, non rebellionis quidem protervia, sed timoris nimirum reverentia. Tandem abbas singulis circumspectis unum eorum, nomine Curstanum[1], quem a puero intra sacras monasterii disciplinas educaverat, taliter affatur; "Tu præ ceteris," inquiens, "mihi peculiarem debes obedientiam; tibi vel ad momentum meis reniti mandatis facultas nulla suppeditat. Accede ergo nil dubitans; animum vacillantem firmiore gradu consolida." Tum illo beati pedes martyris Edmundi annisu quo valebat astringente, sæpefatus abbas alteram cervici, alteram mento supponens manum, tanto traxit impetu, ut e diverso reluctantem post sacratissimum corpus inclinaret et monachum. Post hæc percutiens cor suum exhorruit ausum, extremuit factum. Non enim ad distrahenda vel divaricanda revelanda testis Christi membra, sed ad curanda honorifice atque condienda fuerat invitatus. Ideo statim punitur præsumptio debilitatis nota torquente: stupentibus etenim nervis manus utraque contrahitur, acies livosa obducitur, lingua torpescit, suoque docetur exemplo quantum fuerit dubitasse nefas. Ceterum sicut Thomæ infidelitas hodieque fidei catholicæ famulatur ecclesiæ, sic et huius ambiguitas multorum retundit perfidiam blasphemiæ. Dum enim audacter intulit ipse sibi perniciem, ceterorum de cordibus abstulit damnosam fidei segnitiem. Diutino igitur talis incommodi flagello correctus, eodem qui percusserat mediante linguam recepit et oculos, manuum ariditate ad testimonium præsumptionis permanente.

MS. B, fol. 102 a.

---

[1] *Curstanum*] Turstanum, B.

Cf. Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 1020.

CONTINUATIO.

CNUTHUS itaque regni sibi monarchiam a Deo perpendens attributam, primates regionis provectosque viros atque modestos convenire præcepit, ea scilicet de causa ut quæcunque iusta, quæcunque utilia pro libitu et arbitrio in commune ipsi decernerent, ipse decreta sanciret. Dixit et opere [dicta][1] complevit. Tunc accedens Elfwinus, præsul diocesanus, Eliensis autem monachus, vir totius amator sanctitatis, suggessit ei de clericis qui habitabant apud sanctum Edmundum, dicendo iustum et Deo bene placitum videri, quatinus illorum in loco, si rex iubeat et optimatum in id concurreret sententia, monasticus ordo succederet, ut scilicet peculiari famulatu ac honestiori cultu sanctus, ut dignus est, veneraretur. Laudantibus universis devotionem antistitis, ait rex: "Etiam Turchilli comitis, in cuius dicione locus idem fundatur, assensus in hac parte sciscitari debet." Qui confestim advocatus, audita regis et principum voluntate libens annuit. Denique [rex][2] omnium consilio et favore constantior episcopo præfato negotii perficiendi [summam][3] delegavit. Ipse quoque plurimis beato martyri Edmundo eiusque servitoribus collatis donariis, locum eundem cum appendiciis suis ab omni querela et consuetudinum exactione perpetua libertate sublimavit.[4] Ad postremum clericis eliminatis inthronizantur monachi auctoritate regali, consensu necnon universali. Quibus præficitur abbas Winus, vir prudens et honestus, quique super Dominicam constitui mereretur[5] familiam dignus, anno ab incarnatione Domini millesimo vicesimo, a passione sancti Edmundi centesimo quinquagesimo.

MS. A, fol. 88 a seq. MS. B, fol. 96 b.

Cnuth founds a monastery at Bury.

MS. B, fol. 97 a.

Winus first abbot. A.D. 1020.

---

[1] *dicta*] from B.
[2] *rex*] from B.
[3] *summam*] from B.
[4] *sublimavit*] donavit, B.
[5] *mereretur*] B; meretur, MS.

Cf. MS. A, fol. 38 b. seq. MS. B, fol. 97 b. Death of King Chnut.

Continuatio.

Cum igitur Chnutus Angliæ rem publicam per plurium annorum curricula strenue gubernasset, laudabilis vitæ tempore finito viam universæ carnis ingreditur. Certantibus autem Haraldo et Hardecnucto duobus filiis eius de prioratu, quicquid emolumenti sobrietas patris contulerat liberorum tempestate pessum ire visum est. Quibus tandem evangelica illa securi succisis, qui fractus putabatur, suæ rursus olivæ ramus inseritur. Egressus enim a Normannia Edwardus, Aethelredi regis generosa propago, domesticum pariter et stipendiarium secum habens exercitum copiosum, quippe qui fratris præmonitus exemplo similia perpeti metuebat, ius paternum reposcere non torpescit. Sed summo cum tripudio susceptus ab illis, quorum legatione fuerat invitatus, heres legitimus ad honoris insignia promovetur, regali diademate decoratus. Nec multo post sanctum martyrem Edmundum pro statu et prosperitate regni et, unde maior pendebat sollicitudo, pro delictorum impetrando levamine supplicaturus adiit, sed aliter quam illi qui fervente pompa sæculari, vecti faleratis equis, de vehiculo super limen ipsius basilicæ sæpius dilabuntur.[1] Cum enim procerum et aulicorum[2] stipatus frequentia memorato loco propinquasset itinere miliarii, ex equite mutatur in peditem. Quem putas comitum equo tunc redisse sublimem, cum cernerent dominum suum regem humilem pedibus ambulantem? Qui etsi se interea vocari regem [volebat][3] ac gaudebat, propriæ tamen memor condicionis suum et omnium in cœlo regem agnoscebat. Denique perveniens ad monasterium cum hilari gratulationis voto, propensiori fratrum excipitur obsequio. Ubi quanta Deo piæ confessionis holocausta, quanta puræ

Cf. Rog. Wend. p. 479. Edward, son of Æthelred, makes a pilgrimage to St. Edmund's.

MS. B, fol. 98 a.

---

[1] *dilabuntur*] delabuntur, B.
[2] *aulicorum*] B; Anglicorum, MS.
[3] *volebat*] om. MS.

orationis mediante sancto Edmundo profuderit Edwardus libamina, quis digne perfari[1] sufficiat? Gratiam devotionis exhibitio approbat operationis; quum ne infructuosus eius esset adventus, loco eidem dedit octo et semis centenaria, quæ iuxta linguæ idioma *hundret* indigenæ vocitare consueverunt. His gift of land to the abbey.

CONTINUATIO. *De ergumeno in præsentia præfati regis Edwardi sanato.* Cf. MS. A, fol. 45 b seq.

DIE quadam dominica contigit ut idem beatus rex et confessor Edwardus apud sanctum Edmundum, utputa vir totius religionis cultor et custos, fratrum subiret capitulum, aut eorum consulens utilitatibus aut eorum se commendans orationibus. Interea vero quidam Dacus, nomine Esgotus, auro textis induviis adornatus, aureis armillis decoratus, ac deaurata bipenne more Dacorum ab humero dependente, sancti martyris Edmundi ingreditur basilicam. Et introgressus dum in presbyterio sacrosancto subsistit, cum bipennem a collo deponere temptaret, ut super eam incumbens magis curiose quam devote quæ agebantur consideraret, ilico virtute Divina manibus eius divulsa in pavimentum procul detruditur. Ipse quoque correptus a dæmonio miseras emittens voces in terram eliditur. Fit clamor inconditus: ecclesia tota turbatur. Sed et rex in capitulo strepitu pulsatus insolito cognovit a narrante prædictum Danum in ecclesia pervasum a dæmone. Quo comperto, conversus rex ad abbatem[2] ait: "Tuum est," inquit, "pater, pro huius restituenda salute sanctum suppliciter Edmundum cum monachis tuis interpellare." Et surgens rex cum abbate energumenum ad tumbam sancti Edmundi curandum deferri faciunt. Quo allato omnibus in commune psalmis et letaniis incumbentibus, tandem ab imagine Dei nequam spiritus egredi conpulsus est. MS. B, fol. 102 a. A demoniac cured. Osgoth, B. MS. B, fol. 103 a.

[1] *perfari*] profari, B. | [2] *abbatem*] abbatem Leofstanum, B.

MS. B, fol. 98 a.

CONTINUATIO. *De muliere enclitica sanata.*

Miraculous cure of a cripple.

DEBILIS quædam mulier die noctuque recedentibus ceteris ipsa ab ecclesia non abscedebat; quippe quia nimirum manuum fulta remigio scabellulis rependo nitebatur, reliquam corporis partem[1] aridis cruribus trahens. Hanc in petitionis instantia perseverantem nocte quadam gratior solito somnus obrepserat. Accidit etiam tunc orationis gratia nobilem quandam matronam affuisse votivas cum accenso cereo excubias celebrantem. Cumque conticinium præoccupasset diei tempora, et illa pervigil noctem insomnem transigeret, vidit subito virum vultu et habitu venerandum de sacrario egredi, amplissimo fulgentem lumine. Qui deambulans per navem ecclesiæ, venit ubi enclitica prædicta iacebat, et stans super illam, salutifera dextra percurrente crucis super eam vexillum depingit. Quæ statim somno excitata salva facta est.

MS. B, fol. 98 b.

MS. B, fol. 105 b.

CONTINUATIO. *De milite ab ardoribus multigenarum febrium liberato.*

Miraculous cure of a soldier.

MS. B, fol. 106 a.

QUIDAM etiam miles[2] dolendo torquebatur incommodo, quoniam non unius tantum aut duarum sed omnigenarum urebatur ardoribus febrium. Qui tandem parata evectione ad monasterium sancti regis et martyris Edmundi pertrahitur, ubi facta oblatione necessitas deploratur, auxilium martyris Edmundi [imploratur. Hinc delatus ad hospitium lectulo reclinatur. Qui continuo velut in extasim raptus, sensibus alienis, ore supino, patulis luminibus ardua rimabatur. Cumque[4] paulisper sic attonitus quievisset, apparuit ei iam pæne defecto vir quidam ignotus, statura procerus, cuius

[1] *partem*] fabricam, B.

[2] *miles*] miles Willelmus nomine filius Asketilli de Herefordensi provincia, B.

[3] *imploratur*] from B.

[4] *Cumque*] Cum vero, B.

tunc primum faciem gratissimæ flos pubertatis vestiebat, quadam vultus et habitus prærogativa regiam præferens maiestatem. Qui propius admotus sic iacentem compellabat. "Quid hic agis, o homo? vel quare ita iaces?" Cui ille, "Febribus," inquit, "validis attritus sanctum Edmundum expetivi, sanitatem pristinam per eum recipere suspicatus." Ad quem rursus ait: "Credisne[1] illum tibi posse conferre quod postulas?" Ille inquit, "Credo." Et ille, "Surge ergo iam incolumis ad propria festinans regredi." At ille formam eius attentius intuens, percunctari cœpit quis esset. "Ego sum," ait, "Edmundus, Domini Iesu Christi servus. Sta, inquam, super pedes tuos, et assumptis comitibus domum revertens narra quanta tibi fecit Omnipotens." Qui statim sospitati redditus eadem hora iussit mensam apponi, cunctisque stupentibus ac præ gaudio Deum benedicentibus, una cum eis cibum et potum alacriter sumpsit, atque medico suo gratias agens cunctis quæ circa se gesta fuerint[2] innotuit. MS. B, fol. 106 b.

CONTINUATIO. *Quomodo salvati sunt tres viri in profundo maris.*

NAVIS quædam divitiis pluribus virisque multis onusta ex Norwegia veniens pontum versus Angliam flatu prospero sulcavit. Verum ex temporis perfidia orta subito tempestate gurges intumescit, fervet fretum, venti perurgent, dies tenebrescit; navis autem periculosa vertigine rotatur, huc atque illuc procella sæviente iactatur, nunc ad alta sustollitur, nunc ad ima demergitur. Tunc clamor inconditus ab omnibus erigitur, confusa vox omnium in cœlum attollitur. Iam etenim omni destituti solamine, ultimum quisque suum innuens inspicit periculum. Quid multa? Denique navis tempestate acerrime quassata maris Three men miraculously preserved in the depth of the sea.

[1] *Credisne*] B; Credis nō, MS. | [2] *fuerint*] fuerant, B.

fluctibus agentibus ad quendam sabuli acervum propellitur, ubi tabulati iunctura omnis disploditur, asser ab assere discissitur.[1] Confracta itaque nave perierunt singuli qui in ea erant præter tres, quos sæviens æquoris unda se retrahendo vivos reliquit. Illi autem sedentes super sabulum dixerunt ad invicem: "Fratres, deest nobis sacerdos, qui nobis in hoc confinio mortis positis consulat, qui de peccatis nostris pænitentiam iniungat, et iccirco confiteatur alter alteri peccata sua, dum adhuc anima est in nobis. Inundante enim mari sententiam, quam perpessi sunt socii nostri, nulla restat via per quam evadere possimus." His dictis, cum fletu et planctu valido confessi sunt alterutrum peccata sua. Deinde unus ex eis ait: "Fratres, nihil Deo difficile, nec est numerus bonitatis ipsius, et iccirco confidenter agentes invocemus eum spiritu humili et corde contrito gloriosumque martyrem eius Edmundum, ut per martyrium quod pro Dei amore sustinuit, ab hoc instanti periculo nos eruat. Si enim fides affuerit veraciter, sciatis, non deerit nobis gloriosi martyris Edmundi subsidium. Experimento namque multotiens didici, quantæ benignitatis sit his, qui invocant eum in veritate. In multis quippe periculis constitutus, eum invocando semper adiutorem inveni, nullusque in eo confidens deceptus est, nec in terra nec in mari." His auditis, qualecunque ex eius verbis conceperunt solacium, modicum tamen: præoccupaverat enim totum cor illorum timor mortis. Unde et aiunt: "Scimus quidem, quia amicus Dei est et magni meriti apud Deum beatus Edmundus, potens de hoc periculo eripere nos, si eius pietati placuerit. Sed in profundo maris constituti quod genus evasionis sperare poterimus?" "Nolite," inquit, "diffidere; sed prout moneo,

---

[1] Sic MS.

intimo affectu gloriosum martyrem Edmundum invocemus, et aderit nobis absque omni hæsitatione divinitus auxilium." Qui eius consilio adquiescentes, in huiusmodi vociferationem ora resolvunt: "Sancte Edmunde, adiuva nos; succurre nobis, pie pater Edmunde." Hæc autem illis sæpius replicantibus, turbidum mare crevit vehementer ascendens. Quo viso, commonitor eorum fide plenus et quasi Spiritu Divino edoctus, evaginato gladio, quem forte secum in naufragio retinuerat, circulum fecit in sabulo circa se et socios suos, dicens: "Adiuro te, aqua, per Deum Patrem Omnipotentem qui te creavit atque præclara regis et martyris Edmundi merita, ne hunc circulum intrare præsumas." Mira res et valde stupenda! Adveniens quippe unda maris ad circulum, ilico restitit, et ibi se in sublime erigens altissime supra stetit, nullatenus circulum transiens. Illi vero sedebant super sabulum in imo quasi in puteo, et aqua erat eis ex omni parte quasi murus, nihilque videre poterant præter aquam et cœlum. Sub undis itaque maris latitantes, læti ad invicem dixerunt: "O quam prædicabilis et veneranda, quam admirabilis et magnificanda Dei nostri pietas et potentia, quæ in ipso naufragio nobis portum largitur, quæ et in profundo istius maris per merita gloriosi martyris Edmundi tam mirabiliter nos protegit et custodit." Dum autem hæc loquerentur, iam mari se aliquantulum retrahente, quidam ex eis a longe aspiciens vidit velum navis æquora sulcantis, et avem esse æstimans ait: "Ecce, fratres, ut mihi videtur, avem a longe volantem prospicio." Illi autem diligenti intuitu hoc considerantes animadverterunt non avem esse, sed carbasum cuiusdam carinæ illuc advenientis. Et facto temporis intervallo, omnis hæsitatio a mentibus eorum evanuit. Unde gavisi sunt gaudio magno, intelligentes preces suas a Deo exauditas fuisse. Appropinquante vero navi ad eundem locum, elevaverunt

voces suas et cum clamore valido dixerunt: "Amici Dei, qui ibi prospere navigatis, quos Deus ad nostram salvationem huc destinavit, pro amore eius qui homines salvat in terra et in mari, ne nos pertranseatis, sed misereminis nobis miseris, qui in huius pelagi profundo periclitamur. Misereminis, quæsumus; ne sinatis nos perire, quos ineffabilis bonitas voluit salvari." Illi autem humanam vocem esse intelligentes, supra modum admirati sunt, quomodo homines sub undis maris vivere possent, submissoque velo emiserunt cum celeritate scapham de navi, ut ad eundem locum remigarent. Quo pervenientes, viderunt tres prædictos viros sedentes in imo quasi in puteo, nec aquam ex aliqua parte eos posse contingere. Hæc autem intuentes, vehementiori stupore quam antea fuerat, perculsa est mens eorum; et inmisso fune traxerunt eos in scapham, ducentes secum ad navem. Ubi audito ex ordine salvationis suæ modo, omnes qui in nave erant glorificaverunt Deum, dicentes: "Vere mirabilis est Deus in omnibus operibus suis, et vere magni meriti apud Deum gloriosus martyr Edmundus." Salvati vero ut portum contigerant, concito gradu beati martyris Edmundi basilicam, ubi corpus eius cum integritate quiescit, expetierunt, ibique pro sua salvatione gratias Deo sanctoque Edmundo devota mente referentes, monachis populoque tanti miraculi seriem diligenti relatione exposuerunt. Quo audito, omnes voce publica Deum benedixerunt, qui illud stupendum miraculum, quod quondam operatus est in apostolo Paulo, qui die ac nocte in profundo maris fuit, dignatus est moderno tempore meritis martyris sui Edmundi in peccatoribus operari. Viri autem prædicti in memoriam tanti miraculi gladium, quo circulus in profundo maris foratus fuerat, monacho sancti Edmundi feretrum custodienti tradiderunt. Redeuntes cum gaudio ad propria, beati Edmundi merita ubique magnificaverunt.

CONTINUATIO.

Cf. MS. A, fol. 63 a seq. MS. B, fol. 104 b.

A storm laid by a relic of St. Edmund's.

COMMORANTE aliquandiu abbate sancti Edmundi Baldewino in partibus transmarinis cum rege Willelmo, [cum] ex mora diuturna quædam usualia[1] consumpta deficerent, ex[2] domesticis suis [unum][3] Normannum nomine domum destinavit ut quæ minus forte suppetebant, rediens ipse suppleret. Insinuavit etiam abeunti de quodam phylacterio martyris Edmundi pretiosa pignora concludente, quatinus illo secum assumpto quantocius repedaret.[4] Ille parens imperanti, transito mari calle citato properat ad cœnobium; et assumptis quæ iussus fuerat, phylacterium quoque collo suspendens præpeti gressu redeundo iter suum tetendit ad mare. Ubi cum ratem prægrandem hominibus et animalibus sarcinisque negotiatorum quam plurimis onustam repperisset prosperos flatus operientem, dato naulo, licet ægre, ingressum eius optinuit. Deinde dantes vela ventis, proram fluctibus, infido pelago fidem accommodant; abstractique a littore placidum æquor sulcante carina in altum porriguntur. Tum repente exorta tempestate gurges intumescit, undarum fluida moles montium instar tumida terga sustollit, fervet fretum, procella desævit, salo turbato navis inpulsa quassatur. Nunc ad alta subrigitur, nunc ad ima relabitur. Exonerata tandem animalibus levius quidem, sed pæne periculosius ferebatur. Ad postremum ventorum vehementiam minime ferentes, origone summisso remigando furentibus elementis aliquatenus reluctari nitebantur. Verum flabris stimulantibus cedit virtus victa nautarum: proreta tamen, etsi languentibus lacertis, gubernaculum retendebat. Sed cum nec sic in ventum posset conari, data nave flatibus omnipotentiæ Divinæ maiestatis causam

MS. B, fol. 105

[1] *usualia*] victualia, B.
[2] *ex*] et, MS.
[3] *unum*] from B.
[4] *repedaret*] remearet, B.

suam committunt. Verumtamen in hoc laborabant, ut non modo sentina, sed et irruentibus undis puppim certatim exportarent. Quo per biduum iactati infortunio: spes omnis evadendi perierat. Iam tertiæ noctis labentibus umbris lux optata successerat, et ecce præmissus Normannus labore pariter defectus et horrore paululum dormitare cœperat. Cui elegans persona claro aspectu et iocundo affatu confestim astitit, arreptumque humerum eius blande concutiens ait: "Cur inerti, Normanne, deprimeris somno, tam horrendo vallatus periculo? Expergiscere: fidei torporem excute. Tolle quod collo inhæret phylacterium: invoca illum cuius insignitur nomine tibi sociisque
MS. B, fol. 105 b. tuis tranquillitatem optenturus ipsius iuvamine." Qui statim exiliens, et utraque manu phylacterium collo avulsum in sublime porrigens, his verbis comites hortabatur: "O viri, animæquiores estote! Propior est enim nostra salus quam sperabamus." Et exponens eis seriatim modum visionis, taliter conclusit: "Erectis igitur manibus in cœlum intimo [cordis][1] affectu sanctum exoremus Edmundum, ut ab imminenti discrimine nos potenter dignetur eripere." Cuius sermonibus animati per multam horam consona voce, consimili devotione nomen martyris Edmundi concrepabant. Nec mora: venti mitigantur, aura serenatur, mare sedatur; itaque timor in securitatem, desperatio in consolationem, mæror in gaudium, lamenta mutantur in iubilum. Flocci pendunt iacturam rerum, lucrifacta salute corporum. Igitur Edmundum in Deum, Deumque glorificantes per Edmundum, sese mutuis exhortationibus ad eius amorem et obsequium pariter accendebant. Interim famulantibus ad votum elementis, lenibus acta flabris gratam per æquoris planitiem carina velificabat; immensisque decursis oceani spatiis optati stationem littoris brevi nanciscuntur. Inde

[1] *cordis*] from B.

divertentibus singulis in sua, miraculi seminarium procul dispersum est.

Rer. Angl. Scr. post Bedam, Franc. 1601, pp. 250, 251; Ra. Higd. p. 255. Cf. Bromton, col. 807.

CONTINUATIO.

Edwold, brother of St. Edmund, becomes a monk.

OCCISO Estanglorum rege sancto Edmundo, frater suus Edwoldus exhorrens mundi delicias, eo quod se et fratrem suum durior fortuna exceperit, apud Carneliense cœnobium in Dorsetania iuxta fontem perlucidum, quem sanctus Augustinus ad baptizandum populum precibus produxerat, vitam eremiticam solo pane et aqua protrivit. Fit enim plerumque ut adversitatibus sæculi admonitus animus generosus ad Deum se convertat attentius, qui nec falli nec fallere novit. Ibi postmodum constructum est monasterium satis locuples, si illi quorum interest non nebulonibus sed Dei servis ea impertirent. Sed omnia nostro sub tempore ita in Anglia mutavit ambitio, ut res, quas antiqui liberaliter contulerunt monasteriis, magis dispergantur possessorum ingluvie, quam indigentium hospitum famulentur vitæ. Sed certe datores non fraudantur mercede, quorum intentiones librantur divina lance.

CAP. LXXI.

De successione filiorum Æthelwlphi regis Westsaxonum.

Asser. A.D. 858, p. 472. Sim. Dun. A.D. 855, p. 676A.

Sons of Æthelwlph, Æthelbert, king of Kent, Sussex, and Essex; Æthelbald, king of Wessex.

DEFUNCTO inclito Westsaxonum rege Æthelwlpho Æthelbertus, filius secundus dicti Æthelwlphi regis, regnum Cantiæ cum Southsexe et Estsexe gubernandum suscepit; et filius dicti Æthelwlphi regis primogenitus Æthelbaldus in Westsexe pro patre regnavit. Æthelbaldus protinus cum fuisset in regem promotus, contra Dei præceptum et Christiani nominis dignitatem,

Angl. Sacr. i. 204. necnon et contra omnium paganorum morem, torum patris defuncti ascendens Judithan, Caroli regis Francorum filiam, in matrimonio ducens, effrenis duobus ac dimidio post patrem annis Occidentalium [Saxonum] apicem crudeliter gubernavit. Tandem Æthelbaldus rex ab errore supradicto resipiscens, dimissa Judithan noverca sua, cuius torum fœdaverat, peracta pænitentia tempore quo postea supervixit regnum cum pace et iustitia tractavit. Sed post quinquennium in regno peractum Æthelbaldus morte est inmatura præreptus et apud Schireburnam regio schemate est sepultus.

Death of Æthelbald. Asser, A.D. 860. Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 861.

Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 861.

CONTINUATIO.

SUCCESSIT autem Æthelbaldo in regnum Westsaxonum frater eius Ethelbertus qui Westsaxoniam, Cantiam, Æstsexiam et Suthsexiam sub suo dominio mancipavit. In diebus autem illius magna Danorum multitudo per oceanum adveniens Wentanam civitatem populosam hostiliter spoliavit. Quibus cum ingenti præda ad naves revertentibus, comes Hamptunensis Osricus et Bericensis comes Athulpus illis viriliter occurrentes multos ex eis trucidabant, ceteris per fugam elapsis. Prædicti vero Dani in insula Tanet hiemaverunt, firmumque pacis fœdus cum Cantuaritis pepigerunt. Sed more vulpino rupto fœdere de nocte ex castris erumpentes totam orientalem Cantiæ plagam depopulati sunt, et ad naves cum spoliis revertuntur. Ethelbertus vero rex strenue dulciterque regnum moderatus naturæ debitum solvit post regni quinquennium, Schireburnæ sepultus.

Ethelbert succeeds his brother Æthelbald in Wessex. Danish invasions.

Asser, A.D. 864; Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 863. Death of Ethelbert. Will. Malm. ii. 117, p. 175.

Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 866. W. Malm. ii. 118. (A.D. 867.)

CONTINUATIO.

Anno Dominicæ incarnationis octingentesimo sexagesimo septimo frater eius Ethelredus successit ei in

Ethelred succeeds his brother Ethelbert.

regnum quinque annis, eodem scilicet annorum numero, quo et fratres sui supradicti, miserabili et prorsus dolenda sorte, ut inmatura omnes occumberent morte, nisi quod tantis malis obstrepentibus regii pueri magis optarent honestum exitum quam acerbum imperium. Adeo animose pro patria se certamini dabant, ut non illis imputari debeat, si minus cedebat ex sententia quod intendebat audacia. Denique memoriæ proditum quod iste rex novies anno uno collatis et infestis signis contra hostes conflixerit, varia licet fortuna, sæpius tamen victor, præter subitos excursus, quibus bellicæ artis gnarus populatores palantes crebro afflixit. Interfecti enim sunt a parte Danorum rex unus, comites novem populusque de Danis sine numero. Mirabilis præ ceteris pugna fuit, quam apud Aschendon fecit. Congregato[1] namque eo loci Danorum exercitu et in partes diviso, hinc duobus regibus illinc omnibus ducibus, rex cum fratre Alfredo sive Aluredo adventavit. Itaque sortito par pari retulere, ut Ethelredus contra reges, Alfredus sive Aluredus contra duces consisteret. Utrorumque[2] exercituum animis erectis, vesper iam occiduus bellum in crastinum protelavit. Vix ergo repente diluculo Alfredus sive Aluredus paratus aderat; frater vero eius rex Ethelredus divino intentus officio remanserat in tentorio: stimulatusque nuntio paganos efferatis mentibus irruere, negavit rex se quoquam progredi, quoad esset finis officii. Quæ fides[3] regis multum fratrem adiuvit inmaturitate iuventæ præproperum et iam progressum. Namque iam acies Anglorum declinabant, et urgentibus ex alto adversariis fugam meditabantur, quod iniquo Christianis loco pugnaretur; cum ille Dei cruce consignatus ex insperato advolat, hostem proturbans, civem in arma acuens.

A.D. 867.

Battle of Aschendon.

Will. Malm. ii. 119, p. 176.

Infr., p. 385.

[1] *congregato*] congregata, MS.
[2] *utrorumque*] Will. Malm.; utroque, MS.
[3] *fides*] fidei, MS.

Cuius virtute simul et Dei miraculo Dani territi, pedibus salutem committentes fugerunt. Cæsus ibi fuit rex Oseg, comites quinque, vulgus innumerum.

Will. Malm. ii. 120, p. 177.

Danish successes in Mercia and East Anglia.

CONTINUATIO.

MEMINERIT interea lector, quod interni reges Merciorum et Northumbrorum captata occasione adventus Danorum, quorum bellis rex Ethelredus insudabat, a servitio Westsaxonum respirantes dominationem pæne suam asseruerant. Ardebant ergo cunctæ sævis populatibus provinciæ. Unusquisque regum inimicos magis in suis sedibus sustinere, quam compatriotis laborantibus opem porrigere curabat. Ita dum malunt vindicare quam prævenire iniuriam, socordia sua exanguem reddidere patriam. Dani sine obstaculo succrescere, dum et provincialibus timor increscerct, et proxima quæque victoria per additamentum captivorum instrumentum sequentis fieret. Orientalium [Anglorum] pagi cum urbibus et vicis a prædonibus sunt possessi. Rex eorum sanctus Edmundus, sicut præfati sumus, ab eisdem prædonibus interemptus temporaneæ mortis compendio regnum emit æternum. Mercii non semel obtriti obsidatu miserias suas levaverunt. Northumbri iam dudum civilibus[1] dissensionibus fluctuantes, adventante hoste correxerunt discordiam. Itaque Osbrihtum regem quem expulerant in solium reformantes, magnosque moliti paratus, obviam prodeunt. Sed facile pulsi intra urbem Eboracum se includunt. Qua mox a victoribus succensa, cum laxos crines effusior flamma produceret, tota depascens mœnia, ipsi quoque conflagrati patriam ossibus texere suis. Sic Northumbria bellico iure obtenta barbarorum dominium multo post tempore conscientia libertatis ingemuit.

Reduction of Northumbria.

[1] *civilibus*] Will. Malm.; anilibus, MS.

CONTINUATIO. *Quod Alfredus sive Aluredus uxorem duxit.*

Asser, Rog. Wend., and Matt. Westm. A.D. 868.

ALFREDUS sive Aluredus, frater regis Ethelredi, iuvenis admirandæ probitatis, uxorem duxit de regali genere Merciorum, filiam scilicet Ethelredi comitis Gainorum, qui cognominabatur Muchel, quod Latine "grandis" sonat. Mater vero eius Eadburga dicebatur de nobili genere regum prædictorum; puella vero quam desponsaverat Alswitha dicebatur.

Alfred marries Alswitha.

CONTINUATIO.

Asser, Rog. Wend., and Matt. Westm. A.D. 868.

EODEM anno sæpedictus Danorum exercitus Northumbros deserens Snotingham adiit, et ibidem hiemavit. Snotingham autem Britannice Cinguobauc dicitur, Latine vero "domus speluncarum." Buhredus quoque rex Merciorum, audito eorum adventu, nuntios ad regem Occidentalium Saxonum Ethelredum et ad fratrem eius Alfredum sive Aluredum direxit suppliciter auxilium postulantes, quo[1] possent Deo et hominibus paganorum invisum exercitum expugnare. Qui protinus undique inmenso exercitu congregato, Merciorum regem adeunt, et usque ad Snotingham bellum quærentes unanimiter pervenerunt. Cumque pagani arcis tuitione muniti prœlium conserere denegarent, et Christiani muros confringere non sufficerent, pace inter Mercios et paganos ad tempus composita, singuli ad propria sunt reversi. Præfatus vero paganorum exercitus ad Northumbros denuo transiens Eboracam petiit civitatem, et ibidem hiemavit.

Danes in Nottingham.

Asser, A.D. 869.

---

[1] *quo*] Matt. West.; quod, MS.

Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 870.

CONTINUATIO. *De admirabili facto Ebbæ abbatissæ sanctæ.*

Self-mutilation of Ebba, abbess of Collingham, and her nuns.

APPLICUERUNT in Scotia Danorum innumera multitudo, quorum duces fuerunt Zingwar et Hubba quorum supra meminimus in passione sive gestis beatissimi regis et martyris Edmundi, diræ perversitatis homines et fortitudinis inauditæ. Qui totius fines Britanniæ in exterminium adducere conantes, pueros et senes quosque sibi obvios iugulabant, matronasque sanctimoniales seu virgines ludibrio tradendas mandabant. Cumque per omnes regnorum fines tanta tyrannorum immanitas disseminata fuisset, Ebba sancta Collingehamensis cœnobii abbatissa, intuens ne et ipsa, cui sollicitudo regiminis et cura pastoralis commissa fuerat, cum sibi subiectis virginibus ludibrio traderetur paganorum, ut pudicitiam amitteret virginalem, convocatis sororibus in capitulum universis in hanc vocem prorupit, dicens: "Advenerunt nuper," inquit, "ad partes nostras pagani nequissimi et totius humanitatis ignari, qui loca regionis huius singula perlustrantes nec sexui muliebri nec parvulorum quidem parcunt ætati, ecclesias et personas ecclesiasticas destruunt, et obvia sibi quæque conterendo consumunt. Itaque si[1] consiliis meis adquiescere decreveritis, spem certam de clementia Divina concipio, quod et barbarorum rabiem effugere valebimus et perpetuæ virginitatis pudicitiam custodire." Cui cum universa virginum congregatio certis promissionibus spopondisset, sese maternis velle in omnibus obtemperare præceptis, illa admirandæ animositatis abbatissa palam cunctis sororibus exemplum castitatis præbens, non solum sanctimonialibus illis proficuum,[2] verum etiam omnibus successuris virginibus

---

[1] *si*] a, MS.

[2] *proficuum*] Matt. Westm.; profectum, MS.

æternaliter amplectandum, arrepta novacula [nasum] proprium cum labro superiori ad dentes usque præcidens, horrendum de se spectaculum astantibus præbuit universis. Quod factum memorabile cum congregatio tota videns admiraretur, simili de se opere a singulis perpetrato materna sunt vestigia insequtæ. Et his ita gestis cum mane crastinum illuxisset, supervenerunt tyranni nequissimi, ut feminas sanctas et Deo devotas ludibrio traderent, simul et ipsum monasterium spoliatum ignibus concremarent. Sed conspicientes abbatissam illam et singulas sorores tam enormiter mutilatas et in suo sanguine a planta pedis usque ad verticem tabefactas, cum festinatione recesserunt de loco, dum nimis longum sibi videretur vel ibidem etiam per breve temporis spatium demorari. Sed inde recedentes duces prædicti præceperunt suis satellitibus nefandis, ut iniecto igne monasterium cum omnibus officinis et sanctimonialibus concremarent. Sicque executione completa a ministris iniquitatis sancta abbatissa et omnes cum illa [virgines] sanctissimæ ad martyrii gloriam pervenerunt.

CONTINUATIO. *De multorum desolatione cœnobiorum.* Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 870.

ET his ita gestis, velificaverunt infideles nequissimi per maris litus sursum, quæque sibi obvia igne depopulantes et ferro. In hac quoque persequtione diabolica destructa referuntur nobilissima monasteria in margine maris sita, id est Lindisfarnense monachorum, in quo sedes tunc erat cathedralis, quam beatus antistes Cuthbertus sacra sui corporis præsentia decoravit; Tynemuense sanctimonialium; Girfense et Weremuthense monachorum, in quibus sanctus et venerabilis Beda presbyter legitur educatus; Streneshalense sanctimonialium, quod sanctissima Hilda abbatissa fundavit et multas in eo virgines congregavit. Et sic nefandi duces per pagum Eboracensem transitum facientes Destruction of monasteries.

ecclesias civitates et villas combusserunt, homines cuiuscunque sexus et ætatis cum spoliis et iumentis funditus deleverunt. Deinde sursum per flumen Humbri navigantes, consimili ibidem rabie sæviebant. Indeque progressi cuncta cœnobia in paludibus sita monachorum ac virginum interfectis habitatoribus destruxerunt. Horum autem nomina cœnobiorum sunt hæc: Crulandia, Thorneya, Rameseya, Hamstede quod nunc Burgum Sancti Petri dicitur, cum Insula Heliensi et cœnobio olim famosissimo feminarum, in quo dudum sancta virgo et regina Etheldreda abbatissæ officium multis annis laudabiliter adimplevit.

Asser, Rog. Wend., and Matt. Westm. A.D. 871.

CONTINUATIO. *Ut Danorum exercitus Estangliam deserens Westsaxoniam invaserit.*

The Danes invade Wessex.

SUPRADICTUS paganorum exercitus dictis monasteriis destructis Orientales Anglos deserens et regnum Westsaxonum adiens, venit ad villam regiam quæ Radingum dicitur ad meridiem Thamensis fluminis sitam, in pago videlicet Berrocensi. Post quorum adventum die tertia duo comites eorum cum multitudine copiosa armatorum exierunt ad prædandum, aliis interim vallum facientibus inter duo flumina, Thamisiam scilicet et Kenetam, a parte dextra eiusdem villæ. Quibus Ælthelphus comes Berrocensis cum suis in loco qui Anglefeld, id est campus Anglorum, dicitur, obviavit. Ubi acriter ex utraque parte pugnaverunt, donec comes unus paganorum cum maiori parte sui exercitus deletus reliquis causam præbuit fugiendi. Sicque Christianis victoria potitis, post dies quattuor Ethelredus rex et frater eius Alfredus sive Aluredus exercitu congregato ad Radingum venerunt, cædendo et prosternendo quoscunque ex paganis extra arcem invenerunt. Tandem pagani ex omnibus portis erumpentes totis viribus prœlium commiserunt: ubi diu et acriter prœliantes comitem Aeth-

Battle of Anglefeld.

Battle of Reading.

ulfum peremerunt et Christianos in fugam coegerunt. Ex quo casu Christiani plurimum perturbati convenerunt iterum post quattuor dies ad pugnam in loco qui Aschedun, id est mons fraxini, dicitur, cum tota fortitudine quam habere potuerunt. Sed pagani in duas se turmas dividentes, in una duos reges Bairiscay et Haldene, in altera vero omnes consules cum suis subditis ordinarunt. Quod cernentes Christiani, et ipsi se similiter in duas acies statuerunt, unam regi Ethelredo et alteram Alfredo sive Aluredo fratri suo committentes. Erat autem rex Ethelredus, sicut prædiximus, in tentorio missam audiens: ubi cum sæpius a suis invitaretur ad certamen, constanter affirmavit se non recessurum, priusquam presbyter missam complevisset. Quæ fides, sicut præfati sumus, Christiani regis multum sibi profuit die illa. Erat autem in loco certaminis arbor quædam admodum brevis, circa quam hostiles acies ingenti strepitu concurrerunt. Cum autem diutius animose nimis hinc inde pugnaretur, pagani Divino iudicio Christianorum impetum ferre non valentes, suorum maxima parte interfecta ignominiosam arripuere fugam. Quo in loco duo reges paganorum, Baeiscay et Haldene, multaque cum eis milia interempti descenderunt ad inferos, ignibus perpetuis cruciandi. Ex altera vero parte, ubi consules fuerunt et duces contra quos pugnabat Alfredus sive Aluredus frater eius, ceciderunt consules Sidrac senex et Sidrac iuvenis, Osbernus, Frane, et Haroldus cum aliis innumeris; et totus paganorum exercitus cum nocte sequente et die in fugam conversus, per totam Aschedun planitiem contritus est et dispersus. Convenerunt iterum post dies quattuordecim rex Ethelredus et eius frater Alfredus sive Aluredus contra paganos pugnaturi iunctis viribus ad Basingum. Quibus diu et acriter decertantibus, pagani victoriam sunt adepti. Iterum duobus mensibus evolutis, rex Ethelredus et frater eius Alfredus sive Aluredus apud Merentonam cum nefandis

Battle of Aschedun.

Supr., p. 379.

Battle of Basing.

Battle of Merenton.

Rog. Wend. and Matt. Westm. A.D. 871. Death of Ethelred, Apr. 23, an. regn. 5.

pugnantes infidelibus diu vicerunt et paganos in fugam compulerunt; sed illis demum revertentibus contra Christianos, cum victoria recesserunt. Tandem præfatus Westsaxonum rex Ethelredus laboribus bellicis multipliciter infractus regni sui anno quinto, nono kal. Maii diem suum clausit extremum. Quo regio more apud Winburnam sepulto, Alfredus sive Aluredus frater eius, qui prius Romæ a papa Leone coronam susceperat et regiam unctionem, totius regni illius cum summa omnium accolarum lætitia, prout in proximo inferius dicemus, gubernacula suscepit.

CONCLUSION OF BOOK II.

Igitur regulorum sive subregulorum Angliæ gesta, prout ex diversis scriptorum monumentis Domino adiuvante compilare potuimus, huic operi annotare decrevimus; et quia iam monarcharum istius regni Anglicani tempora attigimus, placet Secundo Libro istius Speculi finem imponere; sequentem librum historiæ præsentis ab Alfredo sive Aluredo, qui Angliæ monarcharum extiterat primus, opitulante Domino recto ordine inchoantes.

Explicit Liber Secundus Speculi Historiails.

END OF VOL. I.

LONDON:
Printed by GEORGE E. EYRE and WILLIAM SPOTTISWOODE,
Printers to the Queen's most Excellent Majesty,
For Her Majesty's Stationery Office.

LIST OF WORKS

PUBLISHED

By the late Record and State Paper Commissioners, or under the Direction of the Right Honourable the Master of the Rolls, which may be purchased of Messrs. Longman and Co., London; Messrs. J. H. and J. Parker, Oxford and London; Messrs. Macmillan and Co., Cambridge and London; Messrs. A. and C. Black, Edinburgh; and Mr. A. Thom, Dublin.

PUBLIC RECORDS AND STATE PAPERS.

ROTULORUM ORIGINALIUM IN CURIA SCACCARII ABBREVIATIO. Henry III.—Edward III. *Edited by* HENRY PLAYFORD, Esq. 2 vols. folio (1805—1810). *Price*, 25*s*. boards, or 12*s*. 6*d*. each.

CALENDARIUM INQUISITIONUM POST MORTEM SIVE ESCAETARUM. Henry III.—Richard III. *Edited by* JOHN CALEY and JOHN BAYLEY, Esqrs. Vols. 2, 3, and 4, folio (1806—1808; 1821—1828) boards: vols. 2 and 3, *price* 21*s*. each; vol. 4, *price* 24*s*.

LIBRORUM MANUSCRIPTORUM BIBLIOTHECÆ HARLEIANÆ CATALOGUS. Vol. 4. *Edited by* The Rev. T. H. HORNE, (1812), folio, boards. *Price* 18*s*.

ABBREVIATIO PLACITORUM, Richard I.—Edward II. *Edited by* The Right Hon. GEORGE ROSE and W. ILLINGWORTH, Esq. 1 vol. folio (1811), boards. *Price* 18*s*.

LIBRI CENSUALIS vocati DOMESDAY-BOOK, INDICES. *Edited by* Sir HENRY ELLIS. Small folio (1816), boards (Domesday-Book, vol. 3). *Price* 21*s*.

LIBRI CENSUALIS vocati DOMESDAY-BOOK, ADDITAMENTA EX CODIC. ANTIQUISS. *Edited by* Sir HENRY ELLIS. Small folio (1816), boards (Domesday-Book, vol. 4). *Price* 21*s*.

STATUTES OF THE REALM, large folio. Vols. 4 (in 2 parts) 7, 8, 9, 10, and 11, including 2 vols. of Indices (1819—1828). *Edited by* Sir T. E. TOMLINS, JOHN RAITHBY, JOHN CALEY, and WM. ELLIOTT, Esqrs. *Price* 31*s.* 6*d.* each, except the Alphabetical and Chronological Indices, *price* 30*s.* each.

VALOR ECCLESIASTICUS, temp. Henry VIII., Auctoritate Regia institutus. *Edited by* JOHN CALEY, Esq., and the Rev. JOSEPH HUNTER. Vols. 3 to 6, folio (1810, &c.), boards. *Price* 25*s.* each.

*** The Introduction is also published in 8vo., cloth. *Price* 2*s.* 6*d.*

ROTULI SCOTIÆ IN TURRI LONDINENSI ET IN DOMO CAPITULARI WESTMONASTERIENSI ASSERVATI. 19 Edward I.—Henry VIII. *Edited by* DAVID MACPHERSON, JOHN CALEY, and W. ILLINGWORTH, Esqrs., and the Rev. T. H. HORNE. 2 vols. folio (1814—1819), boards. *Price* 42*s.*

"FŒDERA, CONVENTIONES, LITTERÆ," &c.; or, Rymer's Fœdera, A.D. 1066—1391. New Edition, Vol. 2, Part 2, and Vol. 3, Parts 1 and 2, folio (1821—1830). *Edited by* JOHN CALEY and FRED. HOLBROOKE, Esqrs. *Price* 21*s.* each Part.

DUCATUS LANCASTRIÆ CALENDARIUM INQUISITIONUM POST MORTEM, &c. Part 3, Calendar to the Pleadings, &c., Henry VII.—Ph. and Mary; and Calendar to the Pleadings, 1—13 Elizabeth. Part 4, Calendar to Pleadings to end of Elizabeth. (1827—1834.) *Edited by* R. J. HARPER, JOHN CALEY, and WM. MINCHIN, Esqrs. Folio, boards, Part 3 (or Vol. 2), *price* 31*s.* 6*d.*; and Part 4 (or Vol. 3), *price* 21*s.*

CALENDARS OF THE PROCEEDINGS IN CHANCERY IN THE REIGN OF QUEEN ELIZABETH; to which are prefixed, Examples of earlier Proceedings in that Court from Richard II. to Elizabeth, from the originals in the Tower. *Edited by* JOHN BAYLEY, Esq. Vols. 2 and 3 (1830—1832), folio, boards, *price* 21*s.* each.

PARLIAMENTARY WRITS AND WRITS OF MILITARY SUMMONS, together with the Records and Muniments relating to the Suit and Service due and performed to the King's High Court of Parliament and the Councils of the Realm. Edward I., II. *Edited by* Sir FRANCIS PALGRAVE. (1830—1834). Folio, boards, Vol. 2, Division 1, Edward II., *price* 21*s.*; Vol. 2, Division 2, *price* 21*s.*; Vol. 2, Division 3, *price* 42*s.*

ROTULI LITTERARUM CLAUSARUM IN TURRI LONDINENSI ASSERVATI. 2 vols. folio (1833—1844). The first volume, 1204—1224. The second volume, 1224—1227. *Edited by* THOMAS DUFFUS HARDY, Esq. *Price* 81*s.*, cloth; or separately, Vol. 1, *price* 63*s.*; Vol. 2, *price* 18*s.*

PROCEEDINGS AND ORDINANCES OF THE PRIVY COUNCIL OF ENGLAND, 10 Richard II.—33 Henry VIII. *Edited by* Sir N. HARRIS NICOLAS. 7 vols. royal 8vo. (1834—1837), cloth, 98*s.*; or separately, *price* 14*s.* each.

ROTULI LITTERARUM PATENTIUM IN TURRI LONDINENSI ASSERVATI, A.D. 1201—1216. *Edited by* THOMAS DUFFUS HARDY, Esq. 1 vol. folio (1835), cloth. *Price* 31*s.* 6*d.*

*** The Introduction is also published in 8vo., cloth. *Price* 9*s.*

ROTULI CURIÆ REGIS. Rolls and Records of the Court held before the King's Justiciars or Justices. 6 Richard I.—1 John. *Edited by* Sir FRANCIS PALGRAVE. 2 vols. royal 8vo. (1835), cloth. *Price* 28*s.*

ROTULI NORMANNIÆ IN TURRI LONDINENSI ASSERVATI, A.D. 1200—1205; also, from 1417 to 1418. *Edited by* THOMAS DUFFUS HARDY, Esq. 1 vol. royal 8vo. (1835), cloth. *Price* 12*s.* 6*d.*

ROTULI DE OBLATIS ET FINIBUS IN TURRI LONDINENSI ASSERVATI, tempore Regis Johannis. *Edited by* THOMAS DUFFUS HARDY, Esq. 1 vol. royal 8vo. (1835), cloth. *Price* 18*s.*

EXCERPTA E ROTULIS FINIUM IN TURRI LONDINENSI ASSERVATIS. Henry III., 1216—1272. *Edited by* CHARLES ROBERTS, Esq. 2 vols. royal 8vo. (1835, 1836), cloth, *price* 32*s.*; or separately, Vol. 1, *price* 14*s.*; Vol. 2, *price* 18*s.*

FINES SIVE PEDES FINIUM SIVE FINALES CONCORDIÆ IN CURIA DOMINI REGIS. 7 Richard I.—16 John (1195—1214). *Edited by* the Rev. JOSEPH HUNTER. In Counties. 2 vols. royal 8vo. (1835—1844), cloth, *price* 11*s.*; or separately, Vol. 1, *price* 8*s.* 6*d.*; Vol. 2, *price* 2*s.* 6*d.*

ANCIENT KALENDARS AND INVENTORIES OF THE TREASURY OF HIS MAJESTY'S EXCHEQUER; together with Documents illustrating the History of that Repository. *Edited by* Sir FRANCIS PALGRAVE. 3 vols. royal 8vo. (1836), cloth. *Price* 42*s.*

DOCUMENTS AND RECORDS illustrating the History of Scotland, and the Transactions between the Crowns of Scotland and England; preserved in the Treasury of Her Majesty's Exchequer. *Edited by* Sir FRANCIS PALGRAVE. 1 vol. royal 8vo. (1837), cloth, *Price* 18*s.*

ROTULI CHARTARUM IN TURRI LONDINENSI ASSERVATI, A.D. 1199—1216. *Edited by* THOMAS DUFFUS HARDY, Esq. 1 vol. folio (1837), cloth. *Price* 30*s.*

REGISTRUM vulgariter nuncupatum "The Record of Caernarvon," e codice MS. Harleiano, 696, descriptum. *Edited by* Sir HENRY ELLIS. 1 vol. folio (1838), cloth. *Price* 31*s.* 6*d.*

REPORTS OF THE PROCEEDINGS OF THE RECORD COMMISSIONERS, 1800 to 1819, 2 vols., folio, boards: *Price* 5*l*. 5*s*. Report of their Proceedings, 1831 to 1837, 1 vol., folio, boards: *Price* 8*s*.

ANCIENT LAWS AND INSTITUTES OF ENGLAND; comprising Laws enacted under the Anglo-Saxon Kings, from Æthelbirht to Cnut, with an English Translation of the Saxon; the Laws called Edward the Confessor's; the Laws of William the Conqueror, and those ascribed to Henry the First; also, Monumenta Ecclesiastica Anglicana, from the 7th to the 10th century; and the Ancient Latin Version of the Anglo-Saxon Laws; with a compendious Glossary, &c. *Edited by* BENJAMIN THORPE, Esq. 1 vol. folio (1840), cloth. *Price* 40*s*.

—— 2 vols. royal 8vo. cloth. *Price* 30*s*.

ANCIENT LAWS AND INSTITUTES OF WALES; comprising Laws supposed to be enacted by Howel the Good; modified by subsequent Regulations under the Native Princes, prior to the Conquest by Edward the First; and anomalous Laws, consisting principally of Institutions which, by the Statute of Ruddlan, were admitted to continue in force. With an English Translation of the Welsh Text. To which are added, a few Latin Transcripts, containing Digests of the Welsh Laws, principally of the Dimetian Code. With Indices and Glossary. *Edited by* ANEURIN OWEN, Esq. 1 vol. folio (1841), cloth. *Price* 44*s*.

—— 2 vols. royal 8vo. cloth. *Price* 36*s*.

ROTULI DE LIBERATE AC DE MISIS ET PRÆSTITIS, Regnante Johanne. *Edited by* THOMAS DUFFUS HARDY, Esq. 1 vol. royal 8vo. (1844), cloth. *Price* 6*s*.

THE GREAT ROLLS OF THE PIPE FOR THE SECOND, THIRD, AND FOURTH YEARS OF THE REIGN OF KING HENRY THE SECOND, 1155—1158. *Edited by* the Rev. JOSEPH HUNTER. 1 vol. royal 8vo. (1844), cloth. *Price* 4*s*. 6*d*.

THE GREAT ROLL OF THE PIPE FOR THE FIRST YEAR OF THE REIGN OF KING RICHARD THE FIRST, 1189—1190. *Edited by* the Rev. JOSEPH HUNTER. 1 vol. royal 8vo. (1844), cloth. *Price* 6*s*.

DOCUMENTS ILLUSTRATIVE OF ENGLISH HISTORY in the 13th and 14th centuries, selected from the Records in the Exchequer. *Edited by* HENRY COLE, Esq. 1 vol. fcp. folio (1844), cloth. *Price* 45*s*. 6*d*.

MODUS TENENDI PARLIAMENTUM. An Ancient Treatise on the Mode of holding the Parliament in England. *Edited by* THOMAS DUFFUS HARDY, Esq. 1 vol. 8vo. (1846), cloth. *Price* 2*s*. 6*d*.

Monumenta Historica Britannica, or, Materials for the History of Britain from the earliest period. Vol. 1, extending to the Norman Conquest. Prepared, and illustrated with Notes, by the late Henry Petrie, Esq., F.S.A., Keeper of the Records in the Tower of London, assisted by the Rev. John Sharpe, Rector of Castle Eaton, Wilts. Finally completed for publication, and with an Introduction, by Thomas Duffus Hardy, Esq., Assistant Keeper of Records. (Printed by command of Her Majesty.) Folio (1848). *Price* 42*s*.

Registrum Magni Sigilli Regum Scotorum in Archivis Publicis asservatum. A.D. 1306—1424. *Edited by* Thomas Thomson, Esq. Folio (1814). *Price* 15*s*.

The Acts of the Parliaments of Scotland. 11 vols. folio (1814—1844). Vol. I. *Edited by* Thomas Thomson and Cosmo Innes, Esqrs. *Price* 42*s*. Also, Vols. 4, 7, 8, 9, 10, 11; *price* 10*s*. 6*d*. each.

The Acts of the Lords Auditors of Causes and Complaints. A.D. 1466—1494. *Edited by* Thomas Thomson, Esq. Folio (1839). *Price* 10*s*. 6*d*.

The Acts of the Lords of Council in Civil Causes. A.D. 1478—1495. *Edited by* Thomas Thomson, Esq. Folio (1839). *Price* 10*s*. 6*d*.

Issue Roll of Thomas de Brantingham, Bishop of Exeter, Lord High Treasurer of England, containing Payments out of His Majesty's Revenue, 44 Edward III., 1370. *Edited by* Frederick Devon, Esq. 1 vol. 4to. (1835), cloth. *Price* 35*s*.

—— Royal 8vo. cloth. *Price* 25*s*.

Issues of the Exchequer, containing similar matter to the above, James I.; extracted from the Pell Records. *Edited by* Frederick Devon, Esq. 1 vol. 4to. (1836), cloth. *Price* 30*s*.

—— Royal 8vo. cloth. *Price* 21*s*.

Issues of the Exchequer, containing similar matter to the above; Henry III.—Henry VI.; extracted from the Pell Records. *Edited by* Frederick Devon, Esq. 1 vol. 4to. (1837), cloth. *Price* 40*s*.

—— Royal 8vo. cloth. *Price* 30*s*.

Notes of Materials for the History of Public Departments. By F. S. Thomas, Esq. Demy folio (1846). *Price* 10*s*.

Handbook to the Public Records. By F. S. Thomas, Esq. Royal 8vo. (1853.) *Price* 12*s*.

STATE PAPERS DURING THE REIGN OF HENRY THE EIGHTH. 11 vols. 4to., cloth, (1830—1852), with Indices of Persons and Places. *Price* 5*l*. 15*s*. 6*d*. ; or separately, *price* 10*s*. 6*d*. each.

Vol. I.—Domestic Correspondence.
Vols. II. & III.—Correspondence relating to Ireland.
Vols. IV. & V.—Correspondence relating to Scotland.
Vols. VI. to XI.—Correspondence between England and Foreign Courts.

HISTORICAL NOTES RELATIVE TO THE HISTORY OF ENGLAND; from the Accession of Henry VIII. to the Death of Queen Anne (1509—1714). Designed as a Book of instant Reference for ascertaining the Dates of Events mentioned in History and Manuscripts. The Name of every Person and Event mentioned in History within the above period is placed in Alphabetical and Chronological Order, and the Authority whence taken is given in each case, whether from Printed History or from Manuscripts. By F. S. THOMAS, Esq., Secretary of the Public Record Office. 3 vols. 8vo. (1856.) *Price* 40*s*.

CALENDARS OF STATE PAPERS.

[IMPERIAL 8vo. *Price* 15*s.* each Volume.]

CALENDAR OF STATE PAPERS, DOMESTIC SERIES, OF THE REIGNS OF EDWARD VI., MARY, and ELIZABETH, 1547–1580, preserved in Her Majesty's Public Record Office. *Edited by* ROBERT LEMON, Esq., F.S.A. 1856.

CALENDAR OF STATE PAPERS, DOMESTIC SERIES, OF THE REIGN OF JAMES I., preserved in Her Majesty's Public Record Office. *Edited by* MARY ANNE EVERETT GREEN. 1857–1859.

Vol. I.—1603–1610.
Vol. II.—1611–1618.
Vol. III.—1619–1623.
Vol. IV.—1623–1625, with Addenda.

CALENDAR OF STATE PAPERS, DOMESTIC SERIES, OF THE REIGN OF CHARLES I., preserved in Her Majesty's Public Record Office. *Edited by* JOHN BRUCE, Esq., V.P.S.A. 1858–1862.

Vol. I.—1625–1626.
Vol. II.—1627–1628.
Vol. III.—1628–1629.
Vol. IV.—1629–1631.
Vol. V.—1631–1633.

CALENDAR OF STATE PAPERS, DOMESTIC SERIES, OF THE REIGN OF CHARLES II., preserved in Her Majesty's Public Record Office. *Edited by* MARY ANNE EVERETT GREEN. 1860–1863.

Vol. I.—1660–1661.
Vol. II.—1661–1662.
Vol. III.—1663–1664.
Vol. IV.—1664–1665.

CALENDAR OF STATE PAPERS relating to SCOTLAND, preserved in Her Majesty's Public Record Office. *Edited by* MARKHAM JOHN THORPE, Esq., of St. Edmund Hall, Oxford. 1858.

Vol. I., the Scottish Series, of the Reigns of Henry VIII., Edward VI., Mary, and Elizabeth, 1509–1589.
Vol. II., the Scottish Series, of the Reign of Elizabeth, 1589–1603; an Appendix to the Scottish Series, 1543–1592; and the State Papers relating to Mary Queen of Scots during her Detention in England, 1568–1587.

CALENDAR OF STATE PAPERS relating to IRELAND, preserved in Her Majesty's Public Record Office. *Edited by* H. C. HAMILTON, Esq. 1860.

Vol. I.—1509–1573.

CALENDAR OF STATE PAPERS, COLONIAL SERIES, preserved in Her Majesty's Public Record Office, and elsewhere. *Edited by* W. NOËL SAINSBURY, Esq. 1860–1862.

Vol. I.—America and West Indies, 1574–1660.
Vol. II.—East Indies, China, and Japan, 1513–1616.

CALENDAR OF STATE PAPERS, FOREIGN SERIES, OF THE REIGN OF EDWARD VI. *Edited by* W. B. TURNBULL, Esq., of Lincoln's Inn, Barrister-at-Law, and Correspondant du Comité Impérial des Travaux Historiques et des Sociétés Savants de France. 1861.

CALENDAR OF STATE PAPERS, FOREIGN SERIES, OF THE REIGN OF MARY. *Edited by* W. B. TURNBULL, Esq., of Lincoln's Inn, Barrister-at-Law, and Correspondant du Comité Impérial des Travaux Historiques et des Sociétés Savants de France. 1861.

CALENDAR OF LETTERS AND PAPERS, FOREIGN AND DOMESTIC, OF THE REIGN OF HENRY VIII., preserved in the Public Record Office, the British Museum, &c. *Edited by* J. S. BREWER, M.A., Professor of English Literature, King's College, London. 1862.

Vol. I.—1509–1514.

CALENDAR OF LETTERS, DESPATCHES, AND STATE PAPERS relating to the Negotiations between England and Spain, preserved in the Archives at Simancas, and elsewhere. *Edited by* G. A. BERGENROTH.

Vol. I.—Hen. VII.—1485–1509.

In the Press.

CALENDAR OF STATE PAPERS RELATING TO IRELAND, preserved in Her Majesty's Public Record Office. *Edited by* H. C. HAMILTON, Esq. Vol. II.

CALENDAR OF LETTERS AND PAPERS, FOREIGN AND DOMESTIC, OF THE REIGN OF HENRY VIII., preserved in Her Majesty's Public Record Office, the British Museum, &c. *Edited by* J. S. BREWER, M.A., Professor of English Literature, King's College, London. Vol. II.

CALENDAR OF STATE PAPERS, DOMESTIC SERIES, OF THE REIGN OF CHARLES II., preserved in Her Majesty's Public Record Office. *Edited by* MARY ANNE EVERETT GREEN. Vol. V.

CALENDAR OF STATE PAPERS, DOMESTIC SERIES, OF THE REIGN OF ELIZABETH (continued), preserved in Her Majesty's Public Record Office. *Edited by* ROBERT LEMON, Esq., F.S.A.

CALENDAR OF STATE PAPERS, DOMESTIC SERIES, OF THE REIGN OF CHARLES I., preserved in Her Majesty's Public Record Office. *Edited by* JOHN BRUCE, Esq., F.S.A. Vol. VI.

CALENDAR OF STATE PAPERS, FOREIGN SERIES, OF THE REIGN OF ELIZABETH. *Edited by* the Rev. J. STEVENSON, M.A., of University College, Durham.

In Progress.

CALENDAR OF STATE PAPERS relating to ENGLAND, preserved in the Archives of Venice, &c. *Edited by* RAWDON BROWN, Esq.

CALENDAR OF LETTERS, DESPATCHES, AND STATE PAPERS relating to the Negotiations between England and Spain, preserved in the Archives at Simancas, and elsewhere. *Edited by* G. A. BERGENROTH. Vol. II. Henry VIII.

CALENDAR OF STATE PAPERS, COLONIAL SERIES, preserved in Her Majesty's Public Record Office, and elsewhere. *Edited by* W. NOËL SAINSBURY, Esq. Vol. III. East Indies, China, and Japan.

THE CHRONICLES AND MEMORIALS OF GREAT BRITAIN AND IRELAND DURING THE MIDDLE AGES.

[ROYAL 8VO. *Price* 10*s.* each Volume or Part.]

1. THE CHRONICLE OF ENGLAND, by JOHN CAPGRAVE. *Edited by* the Rev. F. C. HINGESTON, M.A., of Exeter College, Oxford.
2. CHRONICON MONASTERII DE ABINGDON. Vols. I. and II. *Edited by* the Rev. J. STEVENSON, M.A., of University College, Durham, and Vicar of Leighton Buzzard.
3. LIVES OF EDWARD THE CONFESSOR. I.—La Estoire de Seint Aedward le Rei. II.—Vita Beati Edvardi Regis et Confessoris. III.—Vita Æduuardi Regis qui apud Westmonasterium requiescit. *Edited by* H. R. LUARD, M.A., Fellow and Assistant Tutor of Trinity College, Cambridge.
4. MONUMENTA FRANCISCANA; scilicet, I.—Thomas de Eccleston de Adventu Fratrum Minorum in Angliam. II.—Adæ de Marisco Epistolæ. III.—Registrum Fratrum Minorum Londoniæ. *Edited by* J. S. BREWER, M.A., Professor of English Literature, King's College, London.
5. FASCICULI ZIZANIORUM MAGISTRI JOHANNIS WYCLIF CUM TRITICO. Ascribed to THOMAS NETTER, of WALDEN, Provincial of the Carmelite Order in England, and Confessor to King Henry the Fifth. *Edited by* the Rev. W. W. SHIRLEY, M.A., Tutor and late Fellow of Wadham College, Oxford.
6. THE BUIK OF THE CRONICLIS OF SCOTLAND; or, A Metrical Version of the History of Hector Boece; by WILLIAM STEWART. Vols. I., II., and III. *Edited by* W. B. TURNBULL, Esq., of Lincoln's Inn, Barrister-at-Law.
7. JOHANNIS CAPGRAVE LIBER DE ILLUSTRIBUS HENRICIS. *Edited by* the Rev. F. C. HINGESTON, M.A., of Exeter College, Oxford.
8. HISTORIA MONASTERII S. AUGUSTINI CANTUARIENSIS, by THOMAS OF ELMHAM, formerly Monk and Treasurer of that Foundation. *Edited by* C. HARDWICK, M.A., Fellow of St. Catharine's Hall, and Christian Advocate in the University of Cambridge.

9. EULOGIUM (HISTORIARUM SIVE TEMPORIS), Chronicon ab Orbe condito usque ad Annum Domini 1366; a Monacho quodam Malmesbiriensi exaratum. Vols. I. and II. *Edited by* F. S. HAYDON, Esq., B.A.

10. MEMORIALS OF KING HENRY THE SEVENTH: Bernardi Andreæ Tholosatis Vita Regis Henrici Septimi; necnon alia quædam ad eundem Regem spectantia. *Edited by* JAMES GAIRDNER, Esq.

11. MEMORIALS OF HENRY THE FIFTH. I.—Vita Henrici Quinti, Roberto Redmanno auctore. II.—Versus Rhythmici in laudem Regis Henrici Quinti. III.—Elmhami Liber Metricus de Henrico V. *Edited by* C. A. COLE, Esq.

12. MUNIMENTA GILDHALLÆ LONDONIENSIS; Liber Albus, Liber Custumarum, et Liber Horn, in archivis Gildhallæ asservati. Vol. I., Liber Albus. Vol. II. (in Two Parts), Liber Custumarum. Vol. III., Translation of the Anglo-Norman Passages in Liber Albus, Glossaries, Appendices, and Index. *Edited by* H. T. RILEY, Esq., M.A., Barrister-at-Law.

13. CHRONICA JOHANNIS DE OXENEDES. *Edited by* Sir H. ELLIS, K.H.

14. A COLLECTION OF POLITICAL POEMS AND SONGS RELATING TO ENGLISH HISTORY, FROM THE ACCESSION OF EDWARD III. TO THE REIGN OF HENRY VIII. Vols. I. and II. *Edited by* T. WRIGHT, Esq., M.A.

15. The "OPUS TERTIUM," "OPUS MINUS," &c., of ROGER BACON. *Edited by* J. S. BREWER, M.A., Professor of English Literature, King's College, London.

16. BARTHOLOMÆI DE COTTON, MONACHI NORWICENSIS, HISTORIA ANGLICANA (A.D. 449—1298). *Edited by* H. R. LUARD, M.A., Fellow and Assistant Tutor of Trinity College, Cambridge.

17. BRUT Y TYWYSOGION; or, The Chronicle of the Princes of Wales. *Edited by* the Rev. J. WILLIAMS AB ITHEL.

18. A COLLECTION OF ROYAL AND HISTORICAL LETTERS DURING THE REIGN OF HENRY IV. Vol. I. *Edited by* the Rev. F. C. HINGESTON, M.A., of Exeter College, Oxford.

19. THE REPRESSOR OF OVER MUCH BLAMING OF THE CLERGY. By REGINALD PECOCK, sometime Bishop of Chichester. Vols. I. and II. *Edited by* C. BABINGTON, B.D., Fellow of St. John's College, Cambridge.

20. ANNALES CAMBRIÆ. *Edited by* the Rev. J. WILLIAMS AB ITHEL.

21. THE WORKS OF GIRALDUS CAMBRENSIS. Vols. I. and II. *Edited by* J. S. BREWER, M.A., Professor of English Literature, King's College, London.

22. LETTERS AND PAPERS ILLUSTRATIVE OF THE WARS OF THE ENGLISH IN FRANCE DURING THE REIGN OF HENRY THE SIXTH, KING OF ENGLAND. Vol. I. *Edited by* the Rev. J. STEVENSON, M.A., of University College, Durham, and Vicar of Leighton Buzzard.

23. THE ANGLO-SAXON CHRONICLE, ACCORDING TO THE SEVERAL ORIGINAL AUTHORITIES. Vol. I., Original Texts. Vol. II., Translation. *Edited by* B. THORPE, Esq., Member of the Royal Academy of Sciences at Munich, and of the Society of Netherlandish Literature at Leyden.

24. LETTERS AND PAPERS ILLUSTRATIVE OF THE REIGNS OF RICHARD III. AND HENRY VII. Vol. I. *Edited by* JAMES GAIRDNER, Esq.

25. LETTERS OF BISHOP GROSSETESTE, illustrative of the Social Condition of his Time. *Edited by* H. R. LUARD, M.A., Fellow and Assistant Tutor of Trinity College, Cambridge.

26. DESCRIPTIVE CATALOGUE OF MANUSCRIPTS RELATING TO THE HISTORY OF GREAT BRITAIN AND IRELAND. Vol. I. (in Two Parts); Anterior to the Norman Invasion. *By* T. DUFFUS HARDY, Esq., Deputy Keeper of the Public Records.

27. ROYAL AND OTHER HISTORICAL LETTERS ILLUSTRATIVE OF THE REIGN OF HENRY III. From the Originals in the Public Record Office. Vol. I., 1216–1235. *Selected and edited by* the Rev. W. W. SHIRLEY, Tutor and late Fellow of Wadham College, Oxford.

28. THE SAINT ALBANS' CHRONICLES:—THE ENGLISH HISTORY OF THOMAS WALSINGHAM, MONK OF SAINT ALBANS. Vol. I., 1272–1381. *Edited by* HENRY THOMAS RILEY, Esq., M.A., Barrister-at-Law.

29. CHRONICON ABBATIÆ EVESHAMENSIS, AUCTORIBUS DOMINICO PRIORE EVESHAMIÆ ET THOMA DE MARLEBERGE ABBATE, A FUNDATIONE AD ANNUM 1213, UNA CUM CONTINUATIONE AD ANNUM 1418. *Edited by* the Rev. W. D. MACRAY, M.A., Bodleian Library, Oxford.

30. RICARDI DE CIRENCESTRIA SPECULUM HISTORIALE DE GESTIS REGUM ANGLIÆ. A.D. 447—1066. *Edited by* J. E. B. MAYOR, M.A., Fellow and Assistant Tutor of St. John's College, Cambridge.
    Vol. I.—447–871.

In the Press.

Ricardi de Cirencestria Speculum Historiale de Gestis Regum Angliæ. Vol. II. 872-1066. *Edited by* J. E. B. Mayor, M.A., Fellow and Assistant Tutor of St. John's College, Cambridge.

Le Livere de Reis de Brittanie. *Edited by* J. Glover, M.A., Chaplain of Trinity College, Cambridge.

Recueil des Croniques et anchiennes Istories de la Grant Bretaigne a present nomme Engleterre, par Jehan de Waurin. *Edited by* W. Hardy, Esq.

The Wars of the Danes in Ireland: written in the Irish language. *Edited by* the Rev. J. H. Todd, D.D., Librarian of the University of Dublin.

A Collection of Sagas and other Historical Documents relating to the Settlements and Descents of the Northmen on the British Isles. *Edited by* George W. Dasent, Esq., D.C.L. Oxon.

A Collection of Royal and Historical Letters during the Reign of Henry IV. Vol. II. *Edited by* the Rev. F. C. Hingeston, M.A., of Exeter College, Oxford.

Eulogium (Historiarum sive Temporis), Chronicon ab Orbe condito usque ad Annum Domini 1366; a Monacho quodam Malmesbiriensi exaratum. Vol. III. *Edited by* F. S. Haydon, Esq., B.A.

Letters and Papers illustrative of the Wars of the English in France during the Reign of Henry the Sixth, King of England. Vol. II. *Edited by* the Rev. J. Stevenson, M.A., of University College, Durham.

Polychronicon Ranulphi Higdeni, with Trevisa's Translation. *Edited by* C. Babington, B.D., Fellow of St. John's College, Cambridge.

Letters and Papers illustrative of the Reigns of Richard III. and Henry VII. Vol. II. *Edited by* James Gairdner, Esq.

Official Correspondence of Thomas Bekynton, Secretary to Henry VI., with other Letters and Documents. *Edited by* the Rev. George Williams, B.D., Senior Fellow of King's College, Cambridge.

The Works of Giraldus Cambrensis. Vol. III. *Edited by* J. S. Brewer, M.A., Professor of English Literature, King's College, London.

Royal and other Historical Letters illustrative of the Reign of Henry III. From the Originals in the Public Record Office. Vol. II. *Selected and edited by* the Rev. W. W. Shirley, Tutor and late Fellow of Wadham College, Oxford.

ORIGINAL DOCUMENTS ILLUSTRATIVE OF ACADEMICAL AND CLERICAL LIFE AND STUDIES AT OXFORD BETWEEN THE REIGNS OF HENRY III. AND HENRY VII. *Edited by* the Rev. H. ANSTEY, M.A.

THE HISTORY AND CARTULARY OF ST. PETER'S MONASTERY AT GLOUCESTER. *Edited by* W. H. HART, Esq., F.S.A.; Membre correspondant de la Société des Antiquaires de Normandie.

YEAR BOOKS OF THE REIGN OF EDWARD THE FIRST. *Edited and translated by* ALFRED JOHN HORWOOD, Esq., of the Middle Temple, Barrister-at-Law.

THE SAINT ALBANS' CHRONICLES:—THE ENGLISH HISTORY OF THOMAS WALSINGHAM, MONK OF SAINT ALBANS. Vol. II. *Edited by* HENRY THOMAS RILEY, Esq., M.A., Barrister-at-Law.

ROLL OF THE PRIVY COUNCIL OF IRELAND, 16 RICHARD II. *Edited by* the Rev. JAMES GRAVES.

CHRONICLES AND MEMORIALS OF THE REIGN OF RICHARD THE FIRST, Vol. I. RICARDI REGIS ITER HIEROSOLYMITANUM. *Edited by* the Rev. WILLIAM STUBBS, M.A., Vicar of Navestock, Essex.

ANNALS OF TEWKESBURY, DUNSTAPLE, WAVERLEY, MARGAN, AND BURTON. *Edited by* HENRY RICHARDS LUARD, M.A., Fellow and Assistant Tutor of Trinity College, and Registrary of the University, Cambridge.

In Progress.

HISTORIA MINOR MATTHÆI PARIS. *Edited by* Sir F. MADDEN, K.H. Keeper of the Department of Manuscripts, British Museum.

DESCRIPTIVE CATALOGUE OF MANUSCRIPTS RELATING TO THE HISTORY OF GREAT BRITAIN AND IRELAND. Vol. II. *By* T. DUFFUS HARDY, Esq., Deputy Keeper of the Public Records.

March 1863.